M

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible] moraliq in malignis pl. 423.
[illegible] Imperator pl. 415
[illegible] urenti fulmine pl. 416

[illegible] Beotius l. 105 —

Digitized by Google

Paulus Zacchia. fol. 28 ad finem et 99. et 227. ad finem et 231. et 40 ad finem
Alexander VI fol. 88. 102.

1656.

Die Jovis 29 Junii festo S. S. Petri, et Pauli hora 10

emi a Tonobio in Parione. Iulii Julios 13. [illegible]
Nicolaus Tulpius fol. 283. et 291
Meibomius amicus Auctoris fol. 339. [illegible] fol. 270. fol. 79.
Hermannus Westphalus fol. 108
Jenpierius fol. 107

Joannes Preuotius Preceptor Auctoris fol. 422. Vide eius morte fol. 425
Michael Heuerantz Parens Auctoris Medicus quinquagenarius fol. 427

Ioannes Juuenis de Pelle fol. 81.
Hermannus Conringius fol. 114.
Laurentius Richybadius Medicus Anatomicus fol. 121

C. 63. d.

12
15
h
[illegible]

Digitized by Google

12-30-F-34

D. O. M. S.

PAULI NEUCRANTZI
ROSTOCHIENSIS,
PHIL: ET MED: DOCT:

DE PURPURA
Liber Singularis,

In quo febrium malignarum natura & curatio proponitur,

Ad Ampliſſimum Magiſtratum Lubecenſem.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LUBECÆ,
LITERIS GOTHOFREDI JEGERI,
ANNO cIↃ IↃc XLVII.
Proſtat apud HENRICUM SCHERNWEBELIUM.

Digitized by Google

INCLUTÆ REIPUBLICÆ LUBECENSIS

Magnificis, Nobiliſſimis, Ampliſſimis, Conſultiſſimis, Spectatiſſimis,

DN. CONSULIBUS ET SENATORIBUS,

Dominis, Fautoribus ac Amicis omni obſervantiâ honorandis

Salutem.

Cum recepto ſeculi more præſenti labori patronus quærend' eſſet, vos ſingulari dilectu arceſſendos duxi, ad quos tutelarem iſtum honorem maximè pertinere ſciebam.

Veſter ſum, vobis, veſtræq; Reipublicæ, ſacramento obligatus: ſub quorum felici gubernatione in quintum decimum annum, relicta Academiâ patriâ, tutus conſedi, & quaſi ex altâ ſpeculâ vicinarum regionum varios ca-

ſuis,fortunæq; arbitria,innoxiè proſpectavi,ac cum uxore liberisq; chariſſimis,omnis bellicæ crudelitatis expers, vitam quietè traduxi.

Quo tempore cum heic medicinam facerem, ſuccisivis horis porrò mihi allaborandũ duxi, ut, quæ privatim civibus veſtris impenderam,eorũ uſus etiam ad alios devolveretur. Namq; inter cætera inchoata, nec dum perfecta, opera hunc de Purpura tractatum elaboravi,materiam ſcitu maximè neceſſariam medenti; quod funeſtus admodum, idemq; fallaciſſimus,morbus non modò rude vulgus ludere, verum etiam doctos atq; expertos medicos exercere ac mirè fatigare, ſoleat.

Senſere maligni morbi horrendum virus cives veſtri, duobus illis annis, quibus numeroſi ad cenſum Libitinæ relati: pro quorum ſalute peſti purpuræque amoliendæ vitam ipſam mancipavi, ſolô cives veſtros juvandi affectu, non neceſſitate, aut redhoſtimento quodam ,adductus: quodnam enim par tanto periculo ab ægrotis præſtari poterat, cum ſæpius, ut *Poeta* ait *lib. 7. metamorph. fab.* 26. in

—— —— *ipſos ſæva medentes*

Erumpat clades,obſintq́ authoribus artes?
Quin etiam ea de re illò me adſtringi videbam, quod in veſtrâ urbe, veſtrô ſub patrociniô, hæc à me meditata, veſtrorumq; civium exemplis confirmata eſſent: ut jure quaſi emphyteuſeos operis hujus conſecrationem vobis deberi agnoſcam;qui me totum vadari voluiſtis; dum veſtro erga DN. FRANCISCVM PRVNSTERERVM, olim veſtrum Collegam, Socerum meũ deſideratiſſimũ, affectu tralatitio in me immerentem tot tantaq; omnis amoris,benevolentię,gratię,collata fuere munera, quæ,dum vita ſuppetet,gratâ mente colam.&.
ſi liceat cineri me ſupereſſe meo,
veſtrum in literas ac literatos favorem poſteritas cognoſcet, quemadmodum veſtram in gubernando prudentiam ſummam præſens ætas admiratur.

Veſtro enim, poſt DEI benignitatem,beneficio cives ſe incolumes ſervari vident, mediis in undis tranquilli,dum alij populi ad horrendos bellicarum calamitatum ſcopulos inſidasq; ſyrtes alliduntur,&, ut eluctentur, fere deſperant.

Debent hoc ſanctiori tuo conſilio Dn. D. Christophore Gerdesi, Conſul Eminentiſſime, cujus humeris omnis Publicæ Rei moles præcipuè incumbit, & te tantùm non opprimit, qui ut unà cum Dn. Henrico VVedenhofio & Othone Brokes, Conſulibus graviſſimis, publico egregio promovendo diu ſupereſſe poſſis, ex animo voveo.

Et tu Dn. D. Antoni Cölere (quem, rebus arduis dudum exercitum, Patriæ Patres ſuccenturiatum agnovere, ut in locum defuncti Fratris, Dn. Henrici Cöleri, Conſulis, Viri incomparabilis, gubernandæ Reipublicæ ſufficerent) anxiâ curâ ac ſolerti induſtriâ allaboras, ut imminentem civium tuorum cervicibus cladem longè propulſare poſſis: quò & cæterorum univerſi Senatus Procerum communia ſtudia tecum contendunt.

De veſtro in literatos prono affectu, quantum pretium literarum ponatis, jam non dicam, quemadmodum nec veſtra ingentia mihi tributa merita referam; illud publicum veſtri in me affectus teſtimonium modò adducam: quod, cum his feralibus temporibus

quisque ſolvendis militum ſtipendiis de cenſu ſuo conferret, & ego novæ hæreditatis acceſſione ad id me obligari viderem, Collegæ veſtri, Viri Spectatiſſimi, DN. GVILIELMUS von Gohr & DN. JOHANNES Vinhagen (quo utroque familiariter, poſteriore imprimis ut fraterrimo amico utebar, Viro candido ac nivei pectoris,) me ulteriori contributione levandum cenſuerint, memoriâ meæ in cives veſtros fidei, ac præſentiſſimi pro ſalute publicâ periculi. Quæ res mihi eò grata magis, quod nec petenti, nec cogitanti, ἀγνοοῦντι tale offerretur.

Accipite ergo Viri Magnifici & Ampliſſimi ſereno vultu hoc maximo jure, meâq; voluntate cupientiſſimâ, veſtrum, quod publicè vobis jam conſecro, & ſecundùm Divinæ Majeſtatis gloriam, maximô civium commodô, miſerorum præſidiô, veſtri nominis inluſtri cum famâ, Rempublicam adminiſtrate feliciſſimè! *IV. Iduum Novembr:* ANNO CIↃ IↃC XLVII. 1647

Magn: Ampl: Veſtr:

veteri ſolduriorum lege
addictus

Paulus Neucrantz
Phil: & Med: D.

Digitized by Google

Lectori Salutem.

PAucis monendus es, Amice Lector, antequam ad lectionem tractatus hujus te accingas. Natum eum ſcias in mediis occupationibus, ut, ſi quid minus doctum, elegans ac politum in eo offenderis, facilius illi condonare velis; cum ipſe non cogitaverim, laboris huius proventum futurum: quod alios clariſſimos viros illi materiæ dudum manum admoviſſe, me vero perpetuis praxeos impedimentis diſtrictum, & à tenuitate ingenii mei quid literis dignum, aut par expectationi tuæ, proficiſci non poſſe, viderem, &, in tantâ judiciorum varietate, planè deſperarem.

Ambitio namq; diſſidens mortalium
Aut gratiæ ſubſcribit, aut odio ſuo,

ut Phædrus lib. 3. fab. 49. dicebat.

Poſtquam vero laxari aliquantum labor cœpit, quæ ſuper hac materiâ à me ſcripta, ſub incudem revocare, iisdemq; ἡδύσματα quædam, ſelectas ſcilicet authorum ſententias, aliaque memoratu digna, interponere volui, ut hæc pars ſtudiorum meorum in juventutis medicæ bonum verteret, & aliis ſcientiis nomina profeſſi lectionis oblectamenta haberent.

Errores autem, dum typis committeretur liber, plures irrepſere, magno & fatali, ut ſic loquar, typothetarum lapſu, atque à me, ſæpe occupatiſſimo, feſtinatâ (ne tempora illorum hominum morari viderer,) interdum neglectâ fere ac deſultoriâ correctione, diverſiſſimis itineribus peregre avocato, & ordinario correctore officina deſtituta. Potiores notavi, cæteros, iisdem vocibus curatius impreſſis, alibi, in hoc ipſo libro; emendatos leges; aut inter legendum facile corriges: quod pro candore tuo ut facias, etiam atq; etiam rogo.

PAU-

Digitized by Google

PAULI NEUCRANTZI,
ROSTOCHIENSIS,
PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS,

DE PURPURA
Liber Singularis.

CAPUT I.
In quo Purpuræ epidemiæ hiſtoria proponitur.

NOn dum ſatis erat calamitatum, quibus tot annorum decurſu Germania noſtra miſerrimè afflicta, dum in ejus viſcera ferro & flammis tot annos Bellona ſævit; ut nullum publicæ miſeriæ genus inter memoranda veterum exempla extet, quod non præſens viderit ætas, & venturæ, ſi quæ, Deo volente, olim erit, poſteritatis fidem prope excedat: ſed præter illud *ἄθροισμα* malorum, & ſupra ſexcenta calamitatum genera, quaſi ea parum forent homini, alia accerſiri placebat Divinæ Majeſtati, morbos ſcilicet inſolitos, authoramenta noſtrorum peccatorum, &, ut *Seneca* ait *Epiſt. 95. ſupplicia luxuriæ.*

Proximis enim hinc annis, reparatæ ſalutis clↄ Iↄc XXXVIII. & ſequenti clↄ Iↄc XXXIX. febris maligna epidemia, in adjacentibus provinciis & in hac Clariſſimâ Urbe vehementiùs graſſata, plu-

Digitized by Google

rimos ſuſtulit, eò malignitatis tandem provecta, ut in veram peſtem temporis progreſſu degeneraret.

Principia hujus luis cum horrore ægrum occupabant, qui interdum manifeſtior erat, interdum adeo remiſſus, ut levioris & per ſumma corporis diffuſi frigoris ſenſum ægris exhiberet, ſæpiusque hic unico acceſſu ægroto moleſtus; interdum, primis præſertim diebus, per intervalla repetere, iterumque intermittere videbatur: inde levis calor, ſed qui ægros à ſolitis muniis vix diſtineret, interius ſuccendi ſolebat, oris quadam ſiccitate, ſiti modicâ, ἀνορεξίᾳ, nauſeâ, ac vomitu, capitis dolore & vigiliis conſectariis, artubusque quaſi quadam laſſitudine fractis: quorum pleraque ad quartum diem ſenſim aucta perdurabant; tantâ ſæpius lenitate, ut plurimi ægroti ſe non gravi morbo affici; ſed προφάσει aliquâ cauſſarum externarum (in quas vulgus primos morborum acceſſus ipſosque morbos refert) malè habere arbitrarentur. Rarius validus horror calorque æſtuans inter initia affligebant; aut ſymptomata jam adducta ſtatim exſplendeſcebant, ut æger graviter inde afficeretur; (quamvis & illud accidiſſe in paucis adverterim,) ſed ſenſim invaleſcens morbus graviora ſymptomata tempore producebat: tum vero retorridus calor, & circum viſcera abſconſus hærens, amburebat interiora, inde expirantes fuligines fauces linguamque obſidebant, quæ lento ac glutinoſo ſucco, quaſi caſeo, obductæ erant, ut difficulter ſordes collutionibus abſtergeri aut inſtrumentis cheirurgicis abradi poſſent: interdum lingua nigra, ſicca, dura atque aſpera aliquot fiſſuris dehiſcebat, vicinæque fauces maligno calore arebant, ut oblata difficulter in œſophagum demitterentur, & reſpiratio cum difficultate traheretur: hinc continuo potu dictæ partes irrigari deſiderabant: interdum in tantis ſqualoribus nullum potus deſiderium, nec manifeſtus tangenti calor in partibus exterioribus; quamvis nec levioris lodiculæ tegumentum ſuſtinere poſſent, & in interioribus turbationem atque æſtum, animique anxij cordis anguſtiam atque oppreſſionem inde natam quererentur, ac cujusque rei, locique, faſtidioſi decubitum momento prope mutarent. Præterea dolorem capitis & vigilatas noctes ſequebatur delirium; quod modo ferocius affligebat, modo mitius: interdum dolore

capitis

Digitized by Google

capitis gravativo, facie ſubtumida in ſomnum proclives erant, pari, imo majori ſæpe cum periculo; aliquando κῶμα ἄγρυπνον ægrotos fatigabat. Pulſus interdum febricitantium æmulus, celer, creber, & inæqualis; ſæpius ſanorum ſimilis erat, ut admiratus maximè fuerim, in tanto viſcerum incendio, morbo jam adulto, pulſum naturalem prope ſervare modum; aut paululum admodum ab eodem declinare. Urina varia fluebat, eaque inter initia craſſa & confuſa ſæpe erat, procedente tempore clarior reddita ſedimentum mediocre dabat, quod cum ſanorum hypoſtaſi conferri poſſet; cum quo tamen plerique moriebantur: aliis principio naturalis ſimillima urina, aut paulo rubicundior erat, tempore craſſeſcens ac turbidior facta: nec ex urinâ certa ſalutis aut mortis auguria aucupari licebat, qualis illa tandem flueret: interdum copioſa ferebatur, interdum parcior, aliquando penitus ſuppreſſa ἰσχουρίαν mentiebatur. Alvus quibusdam crebris ſeceſſibus ſolvebatur, nullô fere cum bonô ægrotorum, primis maximè diebus: ſed & morbô jam provectô, aut in ſpeciem declinante, pernicioſas diarrhœas oboriri memini: paucis admodum ſalutares fuere alvi fluxus, nec niſi victa aliis morbi malignitate, corruptis humoribus coctis tandem huc abductis. Maculæ quinto, ſexto, ſeptimo, octavo, nono, die ut plurimùm erumpebant, ſed nec inde fidum ſublevamentum morbi ſperare licebat: verſicolores erant: ex quibus pejores citrinæ, puniceæ, lividæ, nigræ, & quæ primis ac poſtremis morbi temporibus, aut quæ nulla cum εὐφορίᾳ durabili, effloreſcebant. Hæmorrhagia narium, uteri, (aliquando & ani,) crebrior in his morbis nec quicquam contulit, etſi profuſior fieret: nullus enim decumbentium, quod ſciam, inde reſtitutus, exceptâ unicâ puellâ, *Ludovici Reiſeri* filia; quæ tamen uſu alexipharmacorum potius, quàm illâ gravi hæmorrhagiâ convaleſcere mihi videbatur. Optimum plerumque morbo remedium erat ſudor, copioſiſſimè fluens, naturæ ductu aut alexiteriorum vi diaphoreticâ concitatus, unde æger ſe melius habere perciperet: ſæpeque fœtidum odorem elicitus ſudor expirabat, non minore interdum adjumentô ægri, quàm argumentô maximæ putredinis. Lues hæc nulli certo generi morborum adſtricta vagabatur: plerumque tamen ſimplicis ſynochæ febris ideam refere-

bat, interdum aliarum continuarum indolem monſtrabat, & harum more accedebat & remittebat; interdum periodorum incerta nullas ejusmodi leges agnoſcebat: viſæ & febres tertianæ intermittentes creberrimæ: alij item morbi, ut pleuritis, comitabantur hanc luem, interdum ſequebantur, cæterique morbi (frequenti jam per urbem lue,) ut in peſte, huc deſinere videbantur, aut, præter eorum naturam ſeipſis pernicioſiores facti, de præſentis luis malignitate quid contraxiſſe merito videri poterant. Nulla certa ſtataq; mortis dies: alij n. 8, 9, 11. alij 14. 17. & intercalaribus diebus moriebantur, rariusque ultra dilatus vitæ mortiſque terminus, niſi quando naturæ robore, aut ope medicamentorum adjutus æger morbo diutius reſiſteret. Qui convaleſcebant, inter principia morbi vim jugulabant, alexiteriis difflatis morbi ſeminariis: alioquin, ubi purpura inveteraverat, pernicie corpori fortius impreſsâ, characterem ſui longo poſt tempore relinquebat, ut medici ſic affectos diu tractos vix expedierint; vulgus vero, quod medicorum conſilia non admittebat, promiſcuè moriebatur. Cognovi tamen quoſdam robore naturæ, ac medicamentis quibusdam temere adminiſtratis eluctatos fuiſſe; ſed qui non niſi pluribus ſeptimanis, ne dixerim menſibus, exactis ſerò tandem receperint ſanitatem.

Non ſenſere hoc malum tantùm ſervitia, plebesque humilis, ſed & alij, quibus luculentiore fortunâ opes pro votô affluebant; nullo ætatis diſcrimine; niſi quod infantes, & qui infra annos pubertatis erant, rariùs hoc hoc morbo ſuccumberent. Contagij etiam manifeſta aderant indicia; non adeo quidem, ut in peſte, ſævi; ſed quod tamen ſanguinis propinquitate junctos, & illos, qui, ad hoc malum proni alias, cum ægro familiarius converſabantur, potiſſimùm corriperet: ex his vero ii præcipuè afficiebantur, qui ſanguineæ conſtitutionis erant; malo quaſi eligente hanc temperaturam.

Principium morbo videbatur dare boum peſtis, quâ præcedente ante autumno, quàm lues apud nos increbreſceret; multa millia iſtorum armentorum in his viciniſque locis abrepta fuere, (quam & paulo ante in Livoniâ, aliiſque adjacentibus provinciis graſſatam audio) nullô tum aeris aut cæli vitiô, quantum ſenſu cognoſcere licebat: etſi alij in ſiccitate hanc boum ſtragem referre voluerint, unde

prata

Digitized by Google

prata ſitientia nec laudatum pabulum producere, nec arentes rivi armentis potum ſubminiſtrare, potuerint: cum tamen immodicis, & iis longè majoribus, Anni cIↄ Iↄc XL. & cIↄ Iↄc XLIV. caloribus nihil tale contigiſſe fuerit obſervatum.

Sed & contagio traductam ad nos luem obſervatum: delato enim ad oras Balthici maris bello Suecico; (quod longum, aſperum, atque anceps, variâq; fortunâ geſtum fuit, viribus univerſæ Germaniæ inter ſe concurrentibus ac fatali diſcordiâ colliſis,) dum ruri cuncta ferro & flammis arbitrio militum expiantur, miſerrimi vicinarum provinciarum ſubditi, huc confugientes, ſeminaria malignæ febris, quæ integro anno prius apud ipſos vehementius graſſata, quàm heic diſpaleſceret, ſecum tranſtulere. Anni etiam cIↄ Iↄc XXXVIII. conſtitutio humidior fuit, creberrimæ, craſſæ ac fœtidæ nebulæ, quibus aliquos, dum foras negotiorum cauſsâ prodirent, infectos obſervavi, pluviæ item præter ſolitum copioſæ erant, *crebérq; procellis Africus* continuò fere ſpirabat. Præſertim verò Anni cIↄ Iↄc XXXIX. totius revolutione maxima humiditas obſervata, qualis hominum memoriâ non alia in his locis olim viſa fuit, idemque Africus, familiarior his regionibus ventus, tum ſolitò frequentior erat: nebulæ putidæ, denſiſſimæ, eæque creberrimæ: pluviæ fere continuæ, (niſi quis paucos Martij & Aprilis dies exciperet, quibus ſudum ac ſerenum erat cælum,) ut pleraque terrâ nata ob continuos imbres putredine corrumperentur, & eodem autumnô terræ mandata, quo futurô annô lætô proventu ſuccreſcerent, nimiô madore corrupta, & limacibus, quorum maxima copia tum in agris luxuriabat, ambeſa, ſpem agricolarum fruſtrarentur, ac hi ſequenti vere novam ſementem facere quibusdam in locis cogerentur. Frequentior tum hæc lues, & priore anno ſævior facta, plures jugulabat, ut tandem in veram peſtem deſineret, quæ æſtate ſævire occœpit, adeo, ut rerum medicarum peritis metus eſſet, ne iſta, durantibus pluviis, futuro anno in nos gravius debaccharetur: ſed primis ſtatim Januarij diebus ſequentis Anni cIↄ Iↄc XL. vehementia frigoris omnem noxam tollebat, quæ eodem & ſequenti menſe toto, itemque Martio, magna ex parte perdurabat, ut relati morbi ipſiusque peſtis contagioſa *μιάσματα* penitus abolita deprehenderentur.

Cum autem hic morbus, vulgò ignotus, ſimilitudine ſymptomatum alterius morbi rerum ignaros deciperet; aut ſimulatâ lenitate expers gravioris mali videretur, principio neglecta, aut aliena à morbo conquiſita, fuere remedia: quæ in præſens potius nocitura; etſi olim in aliis, quorum ſpeciem præ ſe ferebat morbus fallaciſſimus, talia profuiſſe conſtaret. Poſtquam caſſus hic labor fuit, (nec enim morbus propoſitâ curandi ratione cedebat, *incertis cauſſis*, eoq; ut *Corn. Tacitus lib. 1. hiſt.* de *Divoduri* cæde ajebat, *difficilioribus remediis*,) magnæ controverſiæ obortæ apud quoſdam, de præſentis morbi indole, cauſſis ac decenti curandi lege: quod & ſuo tempore ipſis medicis eveniſſe refert *Fracaſtor lib. 2. de morb. contag: cap. 7. & lib. 3: de contag. morb. cur: cap. 6.* Et *Lud: Mercatus lib. 7. de febr: peſt. & malig: cur: cap. 2.* ab anno cIↃ Iↄv. usque ad annum cIↃ IↃLVIII. de curatione hujus febris apud Italos Medicos dubitatum fuiſſe, ſcribit. Ob quas diſſenſiones medicorum *ars tota magnam ſuſtinet apud vulgus calumniam, ut nullam omnino medicinam eſſe exiſtimet* teſte *Hippocrate de diæta acut:* imo, ut *medici inventa ſua invicem videantur diſſipare*, quemadmodum *Theodoricus Rex Gothorum* apud *Caſſiodorum lib. 6. Variar: epiſt: 19.* cenſebat. Hinc illa infelicis monumenti inſcriptio, *turbà medicorum ſe periſſe*: de qua meminit *Plinius hiſtor: natur: lib. 29. cap. 1.*

Vulgus itaque iners, & ad leviora incomperta mala trepidum, abrumpendas pariter ſpes metusque clamabat: vim morbi excedere intellectus humani anguſtias, & fruſtra fatigari naturam medicamentis, quæ in taliſmodi caſibus ſolam opem divinam poſtulet. Hinc plerique nullis, aut ineptis, adminiſtratis remediis, inultâ quaſi morte perierunt: cum divinâ benignitate dudum litteris proditum ſit, quâ ratione cognoſci, & quâ lege, quibusve delectis ad hunc uſum remediis oppugnari, imo ſuperari is morbus debeat: quæ & heic commodùm uſurpata, ſuos votivos effectus habuere; quotiens effrænis vis morbi, præſertim jam provecti, atque propterea veneni nimis invaleſcentis, cordique jam ἐγκειμένου, remediorum vires non eluderet; aut æger ipſe curationis impatiens, aut diffiſus, uſum eorum negligeret; aut medico abſente aliena remedia ab adſtantibus temere adminiſtrarentur.

Mihi

Mihi, in ipſo principio emergentis epidemiæ luis, ejus indolem è ſuis principiis eruere, & curandi veram methodum inde diducere, propoſitum fuit, adjecto ſingulari remediorum delectu, ex iis, quæ doctiſſimorum authorum ſcripis memorata, & ipsâ experientiâ ac ſolida ratione confirmata: quò ea præſenti in re uſibus meis inſervirent, & aliquando oblivioſæ ſenectuti (ut ex *Platone Galenus de diff. pulſ. cap. 3. & 7.m.m. cap.1.* referebat) pro commentariis forent; ſimul & ratio futuris annis conſtaret acti mei laboris: quàm temeraria via à me non fuerint adiuti ægroti; aut ut iidem ſorte ſuâ, morbique atrociâ, non meis remediis, interierint: cum ita curandi rationem inſtituere debeamus, tanquam ſub ludimagiſtro, cui dictorum factorumque noſtrorum aliquando conſtare debeat exactiſſima ratio. Neque enim, ut idem *Gal. comm: 1. aph: 1.* monebat, *lateres, lutum, ligna, lapides, tegulæ, coria artis medicæ, ſicut aliarum rerum, ſunt materia,* quorum facilis jactura: *at in corpore humano ea tentare, quæ non ſunt experientiâ comprobata, periculo non vacat; quum temerariæ experientiæ finis ſit hominis internecio.*

Hæc vero meis parata uſibus, dum publici juris facio, divino honori devota eſſe cupio, & proximi emolumento: quod ſi eâ in re publicæ (tironum præcipuè) utilitati quid contuliſſe commodi videar, votorum meorum ſumma mihi obtigit: alios vero peramanter rogo, ut, ſi quæ in his ſtudiis litterarum longè meliora meditata habent, altiore concepta conſiliô, in lucem dare, & manu mittere velint, præſenti ſeculo, ac gratæ poſteritati non invidenda.

CAPUT II.

In quo etymologia morbi, ejusque prima incunabula referuntur.

MOrbus hic plerisque medicorum *Febris Maligna* appellatur, *Lud. Mercato lib.7. de febr.peſt: & mal. cap.2. Joanni Thom: Minad: tract: de febr: malig: cap.2. Mercuriali lib. 5. de febr. cap. 17.* quod ea ultra ſortem aliarum febrium κακοήθης ſit, ſeu malimo-

li moris, & quod ipſa ſymptomata majorem, quàm præ ſe ferunt, perniciem ſecum gerant. Nam *febris hæc eſt quieta exterius, interius conturbans valde Avicen: Fen: 1. lib. 4. tract: 4. cap: 2.* Morbus enim malignus deſcribitur à *Galeno in def: med.* Κακόηθες νόσημα ἐστὶ τῇ δυνάμει μὲν μέγα καὶ χαλεπὸν; φαντασίᾳ δὲ ἀσθενὲς, οὐκ ἔχον κρισίμους χρόνους ὡρισμένους. *Malignus morbus eſt, qui facultate magnus difficilisque eſt; ſpecie tamen debilis, nec ſtatuta habet ad judicandum tempora.* Quare & *Galenus lib. 1. de criſib. cap. 3.* τῷ κακοήθει oppoſuit τὸ ἁπλοῦν ſimplex. Ut enim morbus ſimplex, cauſſam habet ſimplicem, & ſymptomata conſuetam in tali morborum genere naturam obtinent, nec curationem ſolitò graviorem reddunt; ita κακοήθης morbus occultam, pernicioſam cauſſam habet, ac ſymptomata producit; quæ ultra propriam ſortem, quam in aliis morbis exprimunt, ac in præſens referre videntur, prava ſunt, curationemque, ſecus quàm quis cogitare poſſet, multò difficiliorem efficiunt. Hinc *3. criſ. cap. 4.* Debiles & parvæ febres quandoque valde malignæ dicuntur: quod, cum in exiguâ febre accidentia debeant eſſe mitiora, ſi ea increbreſcant & pro ratione morbi graviora fiant, neceſſum ſit, aliam intus hærere cauſſam, pravam & pernicioſam qualitatem, unde malignitas morbi ſubnaſcatur. Ita *Crito in Thaſo 1. epid. ſ. 3.* febre parvâ, ſed maligniſſimâ periit, humore malignô ad crus decumbente, eodemque ad cerebrum translatô, cum univerſi humoris affluxus à pede recipi non poſſet: malignitatis vero excrementi indicium dabant puſtulæ nigræ, circa talum obortæ. Sic *Galen: 4. aphoriſ. 48.* febres, in quibus externæ partes frigent, internæ uruntur, (quod familiare admodum eſt huic lui) vocat πυρετοὺς κακοηθεστάτους: quod de cauſo maligno confirmat *4. de diæt. acut. comm: 16.* Et *6. epid: ſ. 1. comm: 29.* de febribus peſtilentibus ſcribit, in illis cutem tangenti non admodum calidam fuiſſe, etſi interiora urerentur. Idem quoq; *1. in 1. epidem. in præfat:* epidemios pernicioſos morbos, ſub quorum cenſu & hæc lues continetur, *maligniſſimos* ac peſtilentes vocari teſtatur: & *d. ſucc: euchym & cacochym. cap. 1.* malignas febres in peſtilente conſtitutione graſſatas fuiſſe refert, quibus plurimi periere.

Malignitatis autem morbi appellationem à recepto loquendi more traductam conſtat, quo malignos homines dicim⁹, qui ſubdolo ſunt ac de-

Digitized by Google

ac depravato animo, ſeu,ut *Non: Marcellus de propr. ſerm, litt. M.* explicat, *qui conſuetudine ſunt malevoli.* Græci παλιμβόλυς vocant, *homines ſubdolos, alia loquentes alia cogitantes, & opinione facile mutabiles.* Quibus & morbus παλίμβολος dicitur, *qui levamentum præ ſe fert, ſed interiùs malignitatem occultat*, ut notat *Palladius Sophiſta in 6. epid. ſ. 6. comm. 15. Malignitas enim opponitur candori, cum ſiniſtrè & iniquè aliquid interpretamur*, ut *Eraſmus in ſchol. ad Epitaphium Marcellæ viduæ apud Hieronymum* notavit. Quo ſenſu accipit *Palladius Rutilius epiſt. ad Paſiphilum. Quod volumina ruris colendi ſerius, quàm juſſeras, ſcripta ſunt, librarij manus ſegnior fecit: cujus tarditatem nunquam malignè æſtimo. Martialis* item *lib 1. epigr. præfat: ad lectorem. Abſit à jocorum noſtrorum ſimplicitate malignus interpres.* Idem *lib. 7. epigram. 72.*

Si quiſquam mea dixerit malignus
Atra carmina, quæ madent veneno.

Sic *Galenus de præcogn. ad Poſth. cap. 4. & 10.* medicorum Romanorum κακοήθειαν notavit: quos *eodem libro, cap. 9.* lectione librorum ſuorum indignos judicat, *quod malo ſint animo, nec libros, ut diſcant, legant; ſed ut quempiam inde calumnientur.* Qua ratione ad invidos devenit maligni appellatio, quia livore mentis ſugillatis quaſi affectibus tales minus candidè, ſeu malignè rem judicant, meritamque laudem ſtudiô intervertunt. Ita malignè laudare dicuntur, qui intra modum & frigidè quid laudant, quod majorem laudem merebatur, Quemadmodum *Horatius lib. 2. epiſt. 1.*

Ac ne forte putes, me, quæ facere ipſe recuſem,
Cum rectè tractent alii, laudare malignè.

Et *Quintilianus inſtit. orat. l. 2. cap. 2. In laudandis diſcipulorum dictionibus nec effuſus, nec malignus: quia res altera tædium laboris, altera ſecuritatem parit. Seneca* item *lib. 6. de benef. cap. 16.* de pædagogo differens. *Tum ingenium latens ac pigrum injecta manu extraxit, nec, quæ ſciebat, malignè diſpenſavit, quo diutius eſſet neceſſarius.* Et hæc malignitatis maximè propria ſignificatio eſt.

Malignus præterea pro magno ac vehementi accipitur à *Petron. ſatyr. pag. m. 45. Ne ſic cohærentes malignior fluctus detraheret.* Et apud medicos malignus morbus is aliquando dicitur, *qui gravis eſt ac periculoſus, ſed ſpem ſalutis non adimit Gal. 1. prorrhet. ſect. 1. comm.* 14. in-

14 improprio loquendi more, cum plurimi morbi acuti, febres continuæ, pleuritis, phrenitis, & id genus alii graves ſint ac periculoſi, nec ſpem ſalutis tollant, non tamen vere maligni. Hoc itaq; ſenſu *2. in 3 epid. in præfat.* febres ex cerebro ejusq; membranis pulmone, corde, hepate, ſepto transverſo &c. malignæ dicuntur. Quo authore *4. m. m. cap. 6. Cacoethe ſtatim fiunt in articulis accepta vulnera, ex ipſa partium vulneratarum naturâ. Ubi enim tendines & nervi & carne vacua atque oſſea loca ſunt, hic doloris, vigiliarum, convulſionis & delirii periculum inſtat.* Ita *Hippocrates 6. aph. 4. circumglabra ulcera* dixit κακόηθεα, quod talia ex ſententiâ *Philothei* & *Galeni* difficulter ſanentur. Rationem in hujus loci commentariis dicti authores propoſuere: quorum poſterior eandem repetit *4. comp. med. ſec. gen. cap. 1. ulcerra dyſepulotica & cacoethe propriè nominari* ſcribens, *quæ cicatricem difficulter admittunt, ipſa affecta ſede influentem ſuccum quamvis probum corrumpente.* Quo flecto Poetæ de pravâ, inveteratâ conſuetudine verba, *ſatyra 7. verſ. 51.*

> ——— *tenet inſanabile multos*
> *Scribendi cacoethes.*

Sic *carbunculus* etiam non peſtilens *malignus* dicitur *Galen. 3. in epid. 3. comm. 12.* Pariter *Æginęta l. 3. cap. 82. tuſſim malignam* dixit, catarrhis copioſis in pectus & pulmones ruentibus. Quales deſtillationes, ab acribus humoribus ortas, faucium dolorem & cum inflammatione ruborem inferentes *malignas Galenus vocavit 1. epid. ſ. 1. t. 28.* & *tabes maligniſſimas text. 27.* dixit, quibus proxima mors inſtat: ut cum lethali idem aliquando ſignificet: quod & conſtat ex *1. criſ. cap. 5.* dum ſputum malignum mortem minari ibidem ſcribit. Aliæ præterea ſignificationes apud authores malignitatis reperiuntur, ut apud *Vergil. 2. Georg.*

> *Difficiles primùm terræ colleſq; maligni.*

Quod tales ſteriles ſint, nec domino ſuo ex ſorte uſuram & laboris condignum fructum referant. Inde apud *Senecam* ad ingenia tarda traductum malignitatis verbum *Epiſt. 52. Quædam* inquit, *ingenia facilia & expedita: quædam manu, quod ajunt, facienda ſunt, & in fundamentis ſuis occupanda: itaque ego illum feliciorem dixerim, qui nihil negotii ſecum habuit: hunc quidem de ſe melius meruiſſe, qui malignita-*

tem natura ſua vicit, & ad ſapientiam ſe quidem non perduxit, ſed extraxit. Lux quoque crepera ſeu dubia, maligna dicitur *6. Æneidos*

Quale ſub incertam lunam, ſub luce maligna.

Et *Claudianus de bello Getico pag. m. 106.*

O ſemper tacitâ ſortes ambage malignæ.

Malignus item pro iniquo & alieno; ut apud *Terent. in Hecyra. Sed ut ſit, poſtquam hunc alienum ab ſeſe videt. Maligna multò & magis procax facta illico eſt: aditusq; maligni 11. Æneid.* dicuntur difficiles ardui & anguſti.

Aliis ob pernicioſam, deleteriam ſeu venenatam, quam obtinet, qualitatem, peſtis æmulam, quâ potiſſimùm graviter affligit, plurimosque conficit, *febris peſtilentialis* hic morbus dicitur, *Nicol. Maſſ. tract. 3. d. feb. peſt. cap. 2. P. Sal. Diverſo d. febr. peſt. cap. 3. Gerardo Columb. de febr. peſtilent. cogn. & curat*: Hinc *Fonſeca tomo 2. conſult. med. 31.* febrem hanc dicit eſſe de natura peſtilentium: & in limine vere peſtilentium eſſe poſitam *Fracaſtor.* aſſerit *l. 2. d. contag. morb. c. 7. Lud. Mercatus* loco allegato *Pſeudopeſtem & Semipeſtem*: vulgus Italorum *petecbias* vocat, quaſi peſtichias, quod febrem peſtilentialem conſequantur, aut quod ſint diminutivum à peſte: cum vulgò apoſtema magnum in tali morbo vocetur peſtis, ut notat *Nicol. Maſſa in proœm. tract 1. de febr. peſt.* Unde & *petecbialis* pleriſque dicta febris & *peticularis*. Aliis *leniticularis* dicitur ut *Fracaſtor. libro dicto cap. 6. Foreſto lib. 6. obſerv. 35.* & *Lenticula Langio l. 2. epiſt. 15.* quod maculas proferat figura ſæpe & colore lentium grana æmulantes. Aliis *puncticularis ut Zacuto prax. hiſt. lib. ult. cap. 28.* & *lib. 3. prax. med. admir. obſerv. 13. Coſtæo* & *Mongio comm. in Avicen. l. 4. f. 1. tract. 4. cap. 8. Nicol Boccang. de morb. mal. & peſt. cap 34. & Minadao lib. 1. d febr. malign. cap. 2. pulicaris* dicitur ob maculas pulicum morſibus ſimiles: Inluſtris *Thuanus lib. 17. hiſtor. Anni 1557. pag. 358.* Purpuratam *Febrem*: *Jacobus Sylvius comm. in 1. Gal. d. diff febr. cap. 1.* Purpuram, patriæ gentis loquendi more, vocarunt. *Balthaſari Conrad. febris miſcellanea Ungarica* ὀνομάζει *Joh. Thom. Jordano de peſt. phænomen. tract. 1. cap. 19. Lues Pannonia* appellatur à regione, in qua dicta lues primùm increbreſcere, atque hinc in Germaniam propagari quibuſdam viſa fuit. *Rhaſes lib. 1. aph. cap. de nebulis* Arabicè *Alchitcba* nominari ſcribit. *Germani* præſenti morbo varia dedere

 nomi-

nomina, das Fleckfieber/giffrig oder Peſtilentziſch Fieber / die Hauptkranckheit/ die Vngeriſche Kranckheit/ Wurmfieber/Sprinckeln/ die Newe Kranckheit. Ita quaſi ſingulari contentione quadam polydædala nomina huic morbo ab authoribus impoſita, ut ille πολύτροπος eſt, varioq; ſymptomatum charactere ſe profert, quaſi novus *Chamæleon*, vel ſi quid aliud verſipelle novit, aut commenta fuit antiquitas. Ego Inluſtris *Thuani* & doctiſſimi *Sylvii* exemplo *Purpuram* & *Purpuratam Febrem* vocabo ſynonymâ appellatione, ob ſpecioſum purpuræ colorem, quem maculæ rubræ & purpureæ pleruq; in hoc morbo referunt: quaſi & hoc pretioſo nigrantis roſæ ſublucente colore falſum renidens morbus adblandiatur, nunquam non fallaciſſimus. Prætereà febris malignæ appellatio mihi, ſecuto communem loquendi morem, frequens in hoc tractatu erit; etſi etymon morbi minus explicare videatur, cum non ſpeciem, ſed morem ejuſdem indicet, majorq; ſit hujus phraſeos ambitus, ac, tanquam genus ſpeciem, ita purpuram ſub ſe complectatur, & ad plures venenatorum morborum ſpecies ſe diffundat, ut in differentiis docebo: ubi, quanto diſcrimine purpuratæ, peſtilentes & aliæ malignæ febres inter ſe differant, ſimul tradetur.

De Purpuræ vero ætate lis controverſa eſt penes authores; aliis, morbum hunc priſcis incognitum, præterito ſeculo medentibus primùm innotuiſſe, aſſerentibus; aliis, non patrum noſtrûm memoriâ luem hanc primùm graſſatam; ſed tot retroactis ſeculis, & in ultimâ antiquitate obſervatam, ſtatuentibus. *Fracaſtor. l. 2. d. morb. contag. c. 6.* Peticulas in Italia primùm appàruiſſe annis cIↃ IↃ V & cIↃ IↃ XXVIII. & *Andream Naugerium Oratorem Venetum ad Franciſcum Galliæ Regem* peticulis periſſe teſtatur, in eâ provinciâ, in qua ne nomine quidem nota fuerit ægritudo hæc. *Ludov: Septal. lib 3. de peſte cap 10.* Ante centeſimum annum nullum reperire authorem ſcribit, qui harum macularum ullam fecerit mentionem. *Gabriel Falloppius tract. d. morbo Galli cap.* 1. ait, vix eſſe quadrageſimum annum, quo audita fuerit lues iſta: adfuiſſe febres peſtilentes, ſed non cum puncticulis iſtis. *Joann. Thom. Minad. d. febr. mal. lib. 1. cap. 3.* febres has leniticulares veterum medicorum *Hippocratis Galeni Aetii* tempore incognitas fuiſſe, non tamen adeo recentem earum ætatem eſſe, credit.

eredit, ut primùm Anno cIɔ IɔLXVI. tempore Maximiliani ſecundi Imperatoris in exercitu ejuſdem ſint graſſatæ; ſed jam ante quingentos annos obſervatas has febres ab *Actuario lib, 1. m.m. cap. 23.* Et ante trecentos annos à *Jacobo de partibus comm. in primam quarti Avicenn. cap. 2.* Contra *Joh. Lang. lib. 2. epiſt. med. 15.* morbum hunc non novum, ſed ab *Herodoto,* apud *Aetium* deſcriptum cenſet. *Alexander Maſſaria lib. 5. pract. cap. 25.* Galeno, Hippocrati & antiquioribus horum exanthematum cognitionem notam fuiſſe aſſerit. Quod idem confirmant *Sennertus lib. 4. d. febr. cap. 13. Zacutus l. 2. med. princ. hiſt. 3. q. 3. & lib. 3. prax. med. admir. obſ. 13. lib. prax. hiſtor. ult. cap. ult. §. de febre maligna puncticulari. Hechſtetterus in obſervat. medicis* & alii, quibus & ego aſſentior.

Non quidem inficias iverim; novos & veterum monumentis, noſtrâq; memoria incognitos morbos aliquando emergere, malâ victus ratione, ſyderumq; variô in inferiora influxu: quemadmodum παρωτιγία illa in Thaſo, de qua lib. 1. epid. ſtat. 3. actum, Hippocratis ætate epidemia, plurimos afficiebat cætera ſanos, ſequentibus ſeculis inaudita fuit. *Senſit & facies hominum novos, omniq; ævo priore incognitos, non Italiæ modò, verum etiam univerſæ propè Europæ morbos: tunc quoq; nec totâ Italiâ, nec per Illyrium Galliasve aut Hiſpanias magnopere vagatos, aut alibi quàm Romæ, circaq; ſine dolore quidem illos ac ſine pernicie vitæ; ſed tanta fœditate ut quæcunq; mors præferenda eſſet. Ex quibus graviſſimum lichenas, mentagram joculari laſciviâ, mox & uſurpato vocabulo appellavere* teſte *Plinio l. 26. nat. hiſtor. cap. 1. Cornel. Celſ. in proœmio lib. 1.* author eſt, ſæpe *incidere nova morborum genera in quibus nihil adhuc uſus oſtenderit.* Quapropter in talibus ἀναλογισμὸν, ſeu τὴν τοῦ ὁμοίου μετάβασιν, tranſitum à ſimili ad ſimile medicinæ conſulti invenere, quò eſſentiâ morbi ignotâ, ex vicino notæ peterentur, quibus ad veram morbi eſſentiam eruendam, ſimilitudine vero remediorum, quæ in conſimili affectu olim contuliſſe viſa fuere, ad θεραπείας ejusdem devenirent, ut pluribus demonſtrat *Gal. lib. d. ſect. ad eos qui introducuntur cap. 2. & lib. d. opt. ſect. ad Thraſibulum cap 8. 18 & 19.* Lues Venerea transmarina merx eſt, non hujus orbis ſoboles, inventâ Americâ in Europam commerciô quaſi quodam translata; quæ ignota ſuperioribus ſeculis Gallis ad Nea-

polin belligerantibus primùm innotuit: inde ex authorato milite ad alias gentes delata, reſtibili quadam fœcunditate hactenus perennat, ut docent *Guicciardinus lib. 2. hiſtor. in fine. Cæſalpinus lib. 4. art. med. cap. 2. Fernelius d. luis vener. cur. cap. 2. Falloppius d. morbo Gallico cap. 1. Scaliger Exerc. 181. ſ. 19.* Et, ne longiùs abeam, patrum noſtrûm memoria ſudor Anglicus, Angliam, Belgium adſitasq; provincias graviſſimè afflixit, quo 24. horarum ſpacio ſudore immodico diffluentes comite febre interierunt: adeo ut hydropyreto iſto multa millia hominum fuerint ſublata, de quo pluribus egere *Lang. lib. 1. epiſt. 19. P. Sal. Diverſus de febr. peſtil. cap. 9. Cornelius Gemma lib. 1. Coſmocrit. 8. Fernel. lib. 2. d. abd. rer. cauſſ. 12. Fracaſtorius lib. 2. d. morb. contag. cap. 5. Sennertus lib. 4. de febr. 15.* & alii.

Purpuræ tamen ætatem non adeo novam arbitror, ut noviſſimi ſcriptores ejus incunabula & prima exordia norint: ſed ut morbi novi interdum penitus in nobis deſinunt; aliquando perpetuo durant; aliquando longâ annorum ſerie exactâ revertuntur, ut ſolidis rationibus probat *Plutarch. lib. 8. ſympoſ. quæſt. 9:* ita purpuram poſteriorum ſortem æmulari, & antiquorum medicorum temporibus ſatis frequentem, incerto tempore, ſublatis mali cauſſis, aliquando deſiiſſe, earumq; novâ generatione rurſus productam, præteritò ſeculo increbruiſſe veriſimile eſt: ut, quod de *Syphilide Fracaſtorius* ſentiebat, huc meritò transferre mihi liceat ex *lib. 1. d. ſyphil.* Febrem Purpuratam

Non ſemel in terris viſam, ſed ſæpe fuiſſe
Ducendum eſt, quamvis nobis nec nomine nota
Hactenus illa fuit: quoniam longæva vetuſtas,
Cuncta ſitu involvens, & res & nomina delet,
Nec monumenta patrum ſeri videre nepotes.

Iiſdem enim cauſſis olim, ut nunc, præſentibus, etiam pares effectus fuiſſe credendum: nec dubium veteres ſub nomine peſtis has febres purpuratas febres complexos fuiiſſe: quod pleraque quæ peſtis παθολογίαν ejusq; θεραπείαν ſpectant, commodiſſimè huc referri poſſint. Nec enim peſtis certum ſtatumq; morbi genus antiquis fuit: major apud eos hujus nominis ambitus eſt, eoq; omnes morbi epidemii, modo perniciem ſecum gerant, intelliguntur, ut conſtat ex *Galeno lib. 1. d. victus rat. acut. comm. 9.* Et 3 *in 3. epidem. comm. 20.*

Qui-

Quicunq, morbus uno in loco multos ſimul invaſerit, vulgaris hic vocatur, qui ſimul ſi hoc habeat], ut multos perimat, peſtis fit. Ut propterea jure inde genus & originem ſuã deducant hæ purpuratæ febres, quod manifeſtè magnã ſecum gerant perniciem, proximè ad naturam ipſius peſtis accedentes: quod teſtimonia authorum præcedenti capite relata; à quibus ad familiam peſtilentium febrium recenſæ & tanta hominum ſtrages nuperis annis facta, quâ aliquot funerum millia in rationem Libitinæ venerunt, oppidò nos docere poterunt: namque & heic, quod de de peſte *Atticâ Lucretius lib.6. de rer. nat.* teſtatus,

> ——— *Sancta Deûm delubra replerat*
> *Corporibus mors exanimis, onerataq, paſſim*
> *Cuncta cadaveribus cœleſtum templa manebant:*
> *Hoſpitibus loca quæ complerant æditumentes.*

Ego purpuratas febres ſub nomine febrium, quas peſtilentes privatas vocant, cum mortales vel circa peſtem corripiant, ut conſtat ex *Galeno 3 epid. ſ.3. comm.58. & 3 præſag. pulſ. cap.4.* veteres intellexiſſe credere adducor: quod, ut jam dixi, pravitate ſymptomatumq; ſimilitudine peſtilentibus ſimiles aliquo modo ſint. Quia vero tantam perniciem, in qua formalis peſtis ratio poſita videtur, ſecum non gerunt, (unde nec carbunculi nec bubones, aut certe hi rariſſimi qui vulgo pro peſtis indiciis habentur, &, ut ex *Nicolao Maſſa* jam aſſerui, peſtis appellantur, comitari ſolent,) minusq; contagioſæ ſunt, ſine peſte incidere, ac cum ſuâ cuiq; victus ratione aliquando in nobis generentur, & σποράδες quotannis appareant, privatim, nulla populari lue, peſtilentes invadere dicuntur: peſtis enim hoc proprium, ut & multos invadat ac plurimos interficiat, teſte *Galeno 1. in 1. epid. in præfat.* Præterea cum, febres malignas olim veteribus cognitas fuiſſe, nemo facile negaverit, (quas & in peſte coætaneâ *Galenus* ſæviiſſe teſtatur, quibus plurimi perierunt *l. ſucc. euchym. & cacochym. cap.1.*) & has purpuratis febribus, exceptis rubris ἐξανθήμασι cætera ita, ut lac lacti, ovumq; ovo, ſimiles eſſe conſtet, etiam maculas priſcè ſimul emergere conſueviſſe credendum. Calor enim, ex quo præcipuum dignoſcendæ purpuræ argumentum deſumitur, qui in febribus malignis in interioribus partibus potiſſimùm moleſtus eſt, exteriores minus afficit, (ut notum

ex 4.

ex *4. aph. comm. 48.* quo loco ut & *4. d. diæta acutorum* cauſum malignum extrema habere refrigerata *Galenus* docet,) heic ſemper talis eſt; adeo, ut, ſi inexpletam ſitim, interiora æſtu torrida; fauceſque ambuſtas, (unde καῦσος nomen iſti morbo datum,) conſideratius quis perpendat, & purpuram ad naturam cauſi; ſed maligni accedere fatebitur, in tantò viſcerum incendiô partibus exterioribus frigidis aut ſubtepidis. Omnia etiam ſymptomata purpuratæ febris etſi ſæva ſatis ſint, metumq; gravioris periculi medicis circumſpectis incutiant; leviori tamen ac vulgò contemnendo morbo proficiſci videntur: quod & malignis febribus perpetuum eſt, unde nec medicamenta admittunt ægri; multo minus accerſere cupiunt medicum; morbô præcipuè inter principia conſtitutô: His jungo ἀκρισίας, cæteraq; quæ tam purpurâ quàm malignis febribus defunctis eadem utriſq; ſupervenire ſolent.

Tandem cum in peſte verâ cutis non bubonibus & carbunculis tantùm, verum & verſiculoribus: maculis ſæpe fœdetur, & illam in genus humanum totiens graviſſimè debacchatam conſtet, eaſdem maculas peſti olim adfuiſſe, ac veteribus innotuiſſe credendum: niſi quis aut peſtem olim penitus ignotam, aut aliam ejus fuiſſe indolem ac naturam, contra propriæ rationis teſtimonium ac fidem tòt inluſtrium medicorum, à quibus extrema petechiarum antiquitas aſſeritur, ſtatuere velit: cum apud veteres peculiare harum macularum nomen non reperiatur; quod eos ſub exanthematum titulô petechias comprehendiſſe conſtet: quemadmodum idem à recentioribus fieri adverto *Coſtæo* & *Mongio ſcholiis in Avicenn. lib. 4. fen. 1. tract. 4. cap. 4. Fernel. lib. 4. d. febr. cap. 19. & lib. 8. cap. 5. Alex. Maſſaria lib. 5. d. febr. cap. 25. Gorræo in definit. med. litt.* E. *Dan. Sennerto lib. 4. de febr. cap. 12. Hechſtettero decad. 1. obſerv. med. 5.* & aliis.

Apud Hippocratem quidem pauca admodum de his maculis reperies: quamvis *l. 2. epid. ſect. 3.* prope initium eas deſcripſiſſe videri poſſit. *Fiebant,* inquit, *in febribus æſtivis circa ſeptimum, octavum & nonum diem aſpretudines quædam miliaceæ, culicum morſibus ferè ſimiles, quæ tamen non admodum pruriebant, in ſumma cute ſubnaſcebantur, & ad judicationem uſq; perdurabant. Ac ne ea quidem maſculorum ulli eruperunt. Mulier vero cui talia fierent, nulla mortua eſt* &c. *Valleſius in*

ſius in comm: hujus loci eas maculas heic deſcribi autumat, quæ Hiſpanis novato nomine vocantur *tabardillo*, in febribus ardentibus ſymptomatice, ob fervorem aut malignam ſuccorum corruptionem, facta eruptione: quas natura in malignis ac peſtilentibus febribus per cutem, præſertim dorſum, pectus, ſcapulas expellere tentet &c. Cujus ſententiæ adſtipulantur *Lupeus Cureleanus lib. d. morbo puſtulato, Zoroaſter Tinellus tomo 1. conſult. ult. Ludov. Lemoſius comm. ad cap. 12. lib. 5. meth. med.* quos citat Celeberrimus noſtri ſeculi medicus *Zacutus lib. 2. med. princ. hiſt. 3. quæſt. 3.*

Cæterum purpuratas maculas ad illa τερχίσματα nequaquam referendas cenſeo, quod hæc, ut eodem loco Zacutus, & *Proſper Martianus in l. 2. epid. ſ. 3. comm. text. 20.* notant, aſpera, miliacea, culicum morſibus ſimilia & aliquantum prurientia fuerint: maculæ vero purpuratæ non ſint aſperæ, nec cutem attollant, pulicum non culicum morſibus aſſimilentur, nec pruriant. Sed & febres, in quibus iſta τερχίσματα emerſere, à purpuratis planè differre, vel inde conſtare poteſt: quod in maribus non apparuerint, mulierumq; nulla, in quibus ea erupere, fuerit mortua; imo pauci ob iſtam temporis conſtitutionem deceſſerint: ſecus, quàm in purpuratis ac malignis febribus accidere ſolet, in quibus tam maribus, quàm fœminis indifferenter, nullô fidô ſublevamentô morbi, maculæ emergunt, cujus etiam pernicioſâ malignitate plures ſuccumbunt. Ut naturæ robur ſanguinisq; fervorem potius, quàm venenatam humorum corruptionem dicta τερχίσματα oſtendiſſe credam: quale quod innoxium exanthematum genus *Anno cIↃ IↃ LVII. Mediomatrici* populariter graſſatum *Foeſius in comm. hujus loci* narrat.

Pariter nec *Hippocratis* ἐξανθήματα οἷα τὰ τῶν κωνώπων δήγματα *efflores ſcentiæ culicum morſibus ſimiles*, quæ *Euphranoris filio. lib 5. epid. text. 92. & 7. epid. 112.* erupere, huc referantur: quod à febre ægrotus liber fuerit, quæ poſtero die primùm invaſit. *Fulloni in Syro* libro adducto *text. 87. phrenetico corpus* ὅλον ὑπὸ κωνώπων ἐγκαταδαμαθὲν, ut legi cupit *Foeſius in comm. velut à culicibus compunctum*: Et *Pherecydæ eodem lib. text. 19.* octavo die ὡς ὑπὸ κωνώπων ἀναδήγματα *velut culicum morſus apparuere*: quas maculas graviſſimis comitatas ſymptomatis aut eaſdem cum noſtris, aut his admodum ſimiles fuiſſe

credo: quemadmodum in *Coacis text. 564.* κωνώπων κεντήματα ἀσώδεσι *anxioſis velut culicum puncturas* ſupervenire docuit; quod malignis febribus admodum frequens eſt, iis affectos & anxietate detineri, maculasque tales efflorеſcere. An huc referenda rubra ἐπανθίσματα *1. prorrhet: ſ. 2. text. 24?* Ita cenſeo, cum urinas coctas in purpuratis febribus apparentibus maculis admodum infauſtas obſervemus. Horſum flecti poteſt textus *Hippocratis lib. 1. epid. ſ. 2. text.* 38. ubi Ἐξανθήματα μικρά, καὶ οὐκ ἄξια τῆς περιβολῆς τῶν νοσημάτων, καὶ ταχὺ πάλιν ἀφανιζόμενα *efflorеſcentiæ parvæ, quæ nec ſatis pro dignitate morborum invaſionis eſſent, celeriter rurſus evaneſcentes* referuntur. Quæ enim de illis exanthematis illic traduntur, ad purpuratas maculas traduci poſſunt: quamvis temporis illius conſtitutionem nequaquam peſtilentem fuiſſe ultro concedam.

Sed nec apud Galenum multa de his maculis tradita comperio. Inluſtris locus eſt *5. meth. med. cap. 12.* ubi in peſtilentia Galeno coætanea evaſuris *puſtulas, quas exanthemata vocant, nigras toto corpore confertim multas apparuiſſe Gal.* teſtatur, *ulceroſas quidem plurimis, omnibus certe ſiccas:* quo loco maculas has deſcribi ſentit *Zacutus lib. 2 med. princ. hiſt 3. q. 3.* Cui aſſentiri vetat, exanthemata noſtra indifferenter, non evaſuris tantum, efflorеſcere, nec, quas peticulas propriè dicimus, ulcerari: quamvis enim ex illis, ut ſiccis, nihil emanarit; quia tamen puſtulæ fuerunt, eminentiam in corpore habuere, quod à puncticularibus his maculis alienum eſſe ſcimus: quo argumento ipſe *Zacutus* adverſus *Mercatum* atque *Maſſariam* loco allegato utitur: ut exanthemata *5. meth. med.* allegata cum illis *lib. de atra bile cap. 4. 1. de diff. febr. 3.* & *1. de succ. bon. & vit. cap. 1.* deſcriptis plane convenire exiſtimem: cum eadem peſtilentia fuerit, pravitate ciborum producta; cujus dictis aliisq; locis ſæpius meminit. *Aetii* inluſtris locus eſt de his maculis *lib. 5. cap. 130.* ex *Herodoto* antiquo medico citatus. Γίγνονται γὰρ ἐξανθήματα, κατ' ἀρχὰς τῶν πυρετῶν, οὐ τῶν ἁπλουστέρων, ἀλλὰ τῶν κακοχυμοτέρων περὶ ὅλον τὸ σῶμα, μώλωπες, ἐμφερεῖς τοῖς ἀπὸ κωνώπων δήγμασι *Gignuntur quidem exanthemata principio febrium non ſimplicium, ſed malignarum, per totum corpus, vibices aut maculæ culicum morſibus ſimiles.*

Actua.

Actuarius I. *m. m. cap.* 23. horum exanthematum pulicarium meminit, dum inquit. *Alia, veluti ſi ab urticâ aut culicibus eſſent demorſi, in cute quædam efflore ſcunt, quæ modo permanent, modo revertuntur, ac craſſitiem, aut expultricis facultatis imbecillitatem demonſtrant. Nonnulla vero rubræ aut purpureæ, vel etiam nigræ emergunt, quales ex pulicum cimicumq́; morſibus quotidie nobis apparent: atque hæ haud quaquam promptè redeunt, utpote quæ ex tenuiori pauciorı q́; materia enaſcantur: cæterum ex rubris deteriores ſunt purpureæ, & omnium peſſimæ nigræ: quippe quæ mortem plerumq́; denuntiant.*

De exanthematibus illud monere præſentis loci fuerit, nominis hujus appellationem tribui à *Græcis aſpredini* ſimili puſtulis, quæ ex urticâ vel ex ſudore naſcuntur, & quæ modo rubent, modo colorem cutis non excedunt teſte C. *Celſo lib.* 5. *d. re med. cap.* 28. *Galenus* 5. *τῶν κ.τ. cap.* 6. Exanthemata in communi uſurpari ſcribit de *affectibus ulceroſis & aſperis.* firmat. 5. *m. m. c.* 12. *Alexandro Tralliano lib.* 1. *c.* 5. exanthemata ſuperficiariæ cutis exulcerationes ſunt, & aſperæ. *Oribaſio lib.* 7. *ſynopſ. c.* 7. & *lib.* 3. *d. morb. curat. c.* 21. exanthemata ex craſſis humoribus in cute concretis, quum ſuperior pellicula denſior eſt, oriuntur. Quod de iiſdem tradit *Actuarius lib.* 2. *m. m. c.* 13. & 6. *m. m. c.* 8. Idem *lib.* 1. *m. m.* 20. ſuppreſſis hæmorrhodibus, in quibus fluere conſuevere, ſi ſanguis ad cutem feratur, multas variasq; puſtulas (quas ἐξανθήματα Græci nominant) erumpere ſcribit. Si tamen vim phraſeos quis notet, etiam maculis exanthematum nomen convenire ſtatuendum: namque ἐξανθήματα ab ἐξανθεῖν derivata *efflore ſcentiam* ſignificant, & maculæ æquè ut puſtulæ in corpore efflore ſcere videatur. Quam ſententiam citatus *Actuarii* locus confirmat, dum exanthemata pulicum morſibus ſimilia emergere teſtatur: ubi non puſtulas, ſed maculas intelligi credendum: cum illæ rotundo ſchemate manifeſto extuberent; hæ, pulicares ſcilicet maculæ, nullam eminentiam tangenti cutem exhibeant. Quin & apud *Ariſtotelem* hanc vocem maculis tribui legimus 3. *hiſtor. animal. cap.* 11. Ἐξανθήματα, ὃ καλεῖται λεύκη. Gaza vertit *Cutis vitio, quod vitiliginem appellamus.* Leuce autem macula cutis eſt & μεταβολή τις τοῦ χρωτὸς ἐπὶ τὸ λευκότερον, *cutis quædam ad albidius mutatio. Ægin. l.* 4. *c.* 5. Hinc etiã *author problematum ſ.* 10. *probl.* 35. leucen πνεύματος ἐκκεκαυ-

 ſpiri-

ſpiritus excretionem eſſe dixit, qui cæteris animantibus excerni tergore duro prohibeatur: homini vero accidat, quod cute prætenui contineatur, unde cutis maculari, non vero ſtatim intumeſcere ſolet. Nec obſtant ſuperiorum authorum teſtimonia, quibus culicum morſibus ſimilia eſſe ἐξανθήματα aſſeritur; quod ab illis cutis intumeſcat; in purpuratis maculis nullæ extuberantiæ obſerventur: iſtis enim comparari dixerim, quod exteriori ſpecie colore ac magnitudine ejuſmodi puncturas ſæpius referant, etſi cutem (quod κωνώπων ἀναδήγματα faciunt,) non attollant. Quo ſenſu lenticulæ & lenticularis hic morbꝰ quibuſdam recentioribus dicitur, non quod maculæ magnitudine lentium foris in cute protuberent; ſed quod illæ figura, aliquando & colore lentium grana exprimere videantur. Sed ad rem, unde digreſſus, redeo.

Præter authores ſupra recenſitos etiam alii purpuratarum macularum meminere. *Avicenna lib. 4. f. 1. tract. 4. cap. 2.* Inter ſigna peſtilentialis febris ſub nomine bothor has maculas citra dubium propoſuit, dum inquit: *Et quandoq; accidit cum eâ bothor ſubalbida & ſubrubea, & quandoque eſt velocis apparitionis, & velocis occultationis.* Quamvis enim *bothor* ſit eminentia in cute, ſive apoſtema parvum, ſive puſtula, ut videre eſt apud *Avicen. l. 1. f. 2. doct. 1. cap. 5. & Rhaſem ad Manſ. lib. 1. diviſ cap. 48.* Libro tamen *4. fen. 7. tract. 3. cap. 6. Avicennæ* bothor dicitur *macula puncturæ ſimilis*, quam ex vapore ad ſuperficiem corporis delato gigni ſcribit. Quin & maculas has ſub nomine *bothor* ab eodem intelligi, vel ex eo colligere licet, dum eam ſubalbidam, i.e. ſubflavam & rubeam dixit, qui color peticularum frequentiſſimus eſt: velocis quoque apparitionis & velocis occultationis *bothor* eſſe voluit, quod creberrimè in petechiis obſervare licet; ob materiæ, ex quâ generantur, tenuitatem, quâ ſumma corporis illico petunt, facileque, levi de cauſſa, retrocedunt & evaneſcunt; ſecus quàm in bubonibus ac carbunculis, utpote ex craſſiore materiâ productis, contingere obſervamus. Hinc & *Bened. Victor. Favent. in Empir. lib. d. febr. cap. 21.* has maculas ab aliis bothor vocari teſtatur. A qua re non abeſt conjectura, ab etymologia bothor deſumpta; quæ vox à בתר i. e. diviſit, incidit, derivatur: quod dum ichoroſus ſanguis ſub cutem effuſus maculas producit, poros corporis aperiat:

Digitized by Google

ſcat & quaſi dividat. Quemadmodum & à חצב incidit, deducitur חצאבאל: quod cutis maculis colorata à ſanguine ichoroide quaſi incidatur. *Jacobus de partibus in comm. Avicenn. l.4. f.1. tract. 4. cap.2.* jam ante trecentos annos maculas has deſcripſit, & pulicum morſibus ſimiles eſſe dixit: ut vel hoc authore conſtet, purpuratas maculas, non patrum noſtrorum memoria primùm increbruiſſe; ſed ætatem earum ex ultimâ antiquitate petendam. *Rhaſes* etiam, qui ante quingentos annos vixit, *lib.1. aph. in principio*, harum macularum in peſtilentibus morbis manifeſtò meminit, dum inquit. *Cum in civitate fuerit multitudo nebulæ cum pluvia permanente, prognoſticat algidri, puncturas rubeas, & vocatur in Arabico Alchiteba.* Puncturæ iſtæ rubeæ nihil aliud ſunt, quàm purpuratæ noſtræ maculæ; quod & vox Arabica Alchiteba confirmat: quæ derivatur à חצב i. e. incidit, tinxit: unde apud Avicennam חצאבאל tincturæ: quod corpora ægrotantium præſenti morbo rubris & purpureis maculis ac punctis perfuſa atque picta appareant. Norunt enim peritiores Arabicæ linguæ צ punctatum per ד vel ט pronunciari, ſicut & apud Hebræos & Aramæos צ & ט ſæpe permutatur, e.g. חצב & חטב idem ſignificant incidit, ſculpſit: אל vero articulus eſt emphaſis gratia præfixus. Cæterum nec hic, nec reliqui jam memorati authores hujus morbi tanquam inſolentis aut novi meminere; quod citra dubium factum fuiſſet, ſi illorum ætate primùm emerſiſſet.

His rationibus atque maximorum virorum authoritatibus adductus ſtatuo, purpuram non eſſe morbum novum, (quamvis novâ facie, novisque ſymptomatis aliquando affligat; ut quaſi alius à ſeipſo interdum appareat: unde etiam multivaria nomina huic lui ab authoribus impoſita fuiſſe memoravi;) imò ætatem longe ultra quingentos annos agere, ſecus quàm exiſtimat Minadous, qui ſuo ſe jugulat gladio, dum *libro 1. de febre maligna cap. 3.* veterum medicorum *Hippocratis, Galeni, Aetii* temporibus lenticulares febres incognitas fuiſſe autumat: contra vero *lib 1. cap. 16.* ſtatuit, eas putridarum febrium genere contineri, eſſeque quandam putridæ febris differentiam, ſeu ſpeciem: & propter hanc cauſſam de illis quoque à Galeno libris de febrium differentiis fuiſſe expreſſa diſputatione

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

tatione peractum, quas & in genere ab eodem ſub putridarum febrium cognitione &curatione libris methodi medendi comprehenſas cenſet.

Non defuere omni ævo præclariſſimi authores, per quos ſalutaris profeſſio medica increvit, qui materiem hanc, ſine aliô, quàm poſteros juvandi præmiô, ſcriptis ſuis nobilitaruut; quorum plurima temporis injuriâ, ac præcedentium ſeculorum negligentiâ intercidere: quæ reſtant, in illâ medicinæ infantiâ (quam balbutienti, ut primam Philoſophiam *Ariſtoteles 1. metaph. cap. ult. in fine*, meritò aſſimilare licet) pleraque non adeo exculta, plurimarum rerum adjectione *poſteritas* compenſavit. Non tamen propterea illos primos ſcriptores ſua laude velim interverti: quod non ſolùm, qui abſolutam rei noticiam docuere, digni laudibus ſint; ſed & qui eam adinvenere; aut faciliora doctioraq; aliqua induſtria laboreque tradidere, docentibus *Hippocrate de diata acut.* & *Ariſtotel. 2. metaph. cap. 1.* Veneror enim hæc inventa medicinæ, inventoresq; quam venerationem præceptoribus meis debeo, eandem præceptoribus generis humani, à quibus tanti boni initia fluxerunt.

Inter eos autem primus eſt *Hippocrates, omnis medicinæ parens*, teſte *C. Celſ. lib. 7. in præfat.* adeo ut *Hippocratem Æſculapio* contulerit *Cicero lib. 3. de nat. Deor*: Hic primus medendi præcepta clariſſimè condidit authore *Plin. lib. 26. nat. hiſtor. cap. 2.* ac, quæ in horridâ antiquitate aut ignota latebant; aut ſecreta familiarum per manus nepotibus tradebâtur, reciperatæ item valetudinis remedia, quæ aliis contuliſſe viſa, ac propterea *Æſculapio* ad ejus aram ſuſpenſa, ut inde conſimilis morbi remedium peteretur, primus in codices digeſſit, & ex iis (ut *Varro* credidit, referente *Plinio lib. 29. hiſtor. nat. cap. 1.*) templo jam cremato medendi præcepta condidit, longô rerum uſu ac ratione confirmata: de quo verè mihi dicere liceat, quod de *Epicuro*, maximo ſui ſeculi Philoſopho, *Lucianus in Pſeudomante* aſſerebat, eum rerum naturam perſpectam habuiſſe, atq; unum quid in his eſſet verum, vidiſſe: quoniam mentem luſtraverat, non face ac ſquillâ; ſed ſolidâ ratione ac verô. Unde etiam hic

genus humanum ingenio ſuperavit, & omnes
Præſtrinxit ſtellas exortus uti æthereus Sol.

quod

Digitized by Google

quod de eodem *Epicuro Lucretius lib.3. de rerum natura* referebat. Hic noſter *Hippocrates* libros Epidemiorum conſcripſit, multis rerum documentis & exemplis refertos, item alios de aere aquis & locis, in quibus ut aliis multis libris ſui divini operis plurima tradidit, quæ ad præſentes morbos referri poſſunt ac debent; ſed ita tamen, ut obſervaret magis, quàm ut eorum indolem aut veram curandi rationem poſteritati relinqueret. Neq; enim, quod ipſe fatetur *Galenus 1. acuti comm. 4.* peculiarem librum de peſte conſcripſit: quoniam ex epidemiis unum eſſe illam, per libros epidemiorum demonſtrarat. Hic *lib. de nat. hum. ſect.2. text.3.* popularium morborum cauſſam ad aerem refert, quod is tum, ut loquitur *text.4.* *νοσηρὴν ἔχει ἀπόκρισιν, morboſam quondam excretionem habeat.* Idem *lib. d. flatib:* aera *τοιούτοισι μιάσμασι ἀνθρωπίνῃ φύσει πολεμίοις morbidis inquinamentis, naturæ humanæ adverſis* infici notavit, ex quibus homines ægrotent. Et *3. progn. 38.* *τὰς φορὰς τῶν νοσημάτων αἰεὶ ἐπιδημεόντων* impetum morborum ſemper vulgarium medicum conſiderare jubet, nec non tenere temporis conditionem, præſentis ſcilicet & præteriti, ut pluribus id explicat *6. epid. ſ.8. text.31.* Quod, etſi quilibet in quibusvis temporibus morbi fieri poſſint; nonnulli tamen in quibusdam magis tum fiant, tum irritentur, in quibuſdam vero miteſcant, ut docet *l 3. aph.3 & l 2. aph.34.* & naturæ quædam ad hanc aut illam tempeſtatem bene aut male ſe habeat. *l.3. aph.2.* aliisq; temporibus acuti, aliis longi, aliis ſalutares aut periculoſi invadant. Quare ſi populares morbi jam increbreſcant, ut, ſi tertianæ, quartanæ febres, petechiæ, aut variolæ &c. vagentur, aliaque ſigna morbi eo conſpirent, tum temporis epidemiũ morbum præſentem jam adeſſe veriſimile erit. Popularium vero morborum *τὰς φορὰς* (ſeu ut loquitur ſexti epidem: jam allegato loco *τοὺς τρόπους* modos) *ταχέως ἐνθυμεῖσθαι* ocyus medicum advertere jubet, tum ab longitudinem aut brevitatem futuram morborũ, ut ſentit *Illefonſus Lopi in progn. Hipp. ſent. comm. 5.* (qui enim impetuoſi ſunt, breves, qui contra manſueti, & ſimiles inter initia, in longius protrahunt ætatem:) tum ob eorum exitium aut ſalutem prædicendam, collecta in hanc rem cæterorum ſignorum *συνδρομῇ*: quod alii eorum periculi omnino exortes ſint, alii gravem perniciem ſecum gerant. Præterea perſpectâ tempeſtatum

Digitized by Google

tum morborumque inde naſcentium conſtitutione & victus rationem commodiùs inſtituet medicus,& qualis ſit futura criſis optimè cognoſcet, maximô ſuô honore, incomparabili ægrotantis commodô. Idem *1. progn.4.* utrum θεῖον *h. divini quid* morbis adſit, medicum obſervare,& ejus providentiam habere monet, quò admirationem & boni medici exiſtimationem ſibi conciliare poſſit. De qua θείου voce diſſentientes ſunt medicorum ſententiæ. *Galenus* noſter *in comm. loci præſentis* τὸ θεῖον *Hippocratis de ambientis aeris conſtitutione* explicari debere pluribus demonſtrat, quemadmodum *cœlum procelloſum pro aere tali lib.1. epid. ſ.3. text.4.* intelligit. Et *Plinio* teſte *lib.2. nat. hiſt. cap.38. Hoc cælum appellavere majores, quod alio nomine aera.* Sic *Hippocrates lib. de ſacro morbo prope finem* θεῖα *vocat* quæ ex aeris conſtitutione aut ipſo cœlo dedenpent, *frigus, ſolem, uentos* &c. Illa tamen conſtitutio aeris non ad vulgarem ſimplicemq; primarum qualitatum exceſſum transferenda, quod & notant *Hieronymus Mercurialis comm. in progn. Hipp. Gorræus in explicatione vocis* θεῖον. *Fernelius de abd. rer. cauſ. lib.2. cap.10. Sennertus lib.4. d. febr. cap. 2:* quod ejuſmodi conſtitutio aeris nequaquam admirationem pariat, cum ſenſibus cujusq; obvia ſit, & à rerum prudentibus facile cognoſci poſſit. Cum non ſimpliciter quæcunque cauſſas habent incognitas aut inopinabiles divina vocentur, ſed ubi mirabilia habentur duntaxat, authore eodem *Galeno in hujus loci comm.* Ita anima humana divina eſt, & à Poeta *lib.2. ſerm. ſat.2.* dicitur

divinæ particula auræ,

ſeu primam ejus originem ſpectes

Διὸς γὰρ καὶ γένος ἐσμέν

Jovis etenim genus ſumus

ut Aratus in phænom. cecinit, ex quo repetiit *Apoſtolus Paulus Actor.17. v.29.* Et *animus nobis cum Diis, corpus cum belluis commune eſt*, juxta *Salluſt. de bello Catilin. in principio*: ſeu divinas mentis operationes: ex quibus divinitatem animæ præclare deducunt *Seneca epiſt.79. Macrobius in ſom. Scipion. lib.2. cap.12. & 13. Cicero in Conſolatione pag. m.322. de ſenect. pag.m.285.* Quo loco ex *Xenophonte Cyri majoris* ſupremam ad filios orationem deſcribit, quâ *dormientium animos maximè declarare divinitatem ſuam* aſſeritur: quod tum ſibi ipſi vacent

ab o-

Digitized by Google

ab omni actione corporis liberi ut *Divinus Senex lib. de inſomniis* pluribus demonſtrat. *Plato in Phædone ſive de anima. Actuarius lib. d. act. & aff. ſpirit. anim. cap. 1. 2. & 3. Scaliger Exerc. 102. ſ. 6.* Adeo ut 33. *problem. 9.* & 7. *caput partium noſtri corporis θειότατον* dicatur, quod rationis domicilium ſit: qua de cauſſa & πταρμὸν θεὸν ſternutationem pro numine haberi loco poſterius allegato ſcribitur. *Lacones virum, quem magnopere admirabantur, divinum ſolebant appellare*: quoniam *rarum admodum divinum virum exiſtere*, teſte *Ariſtotele 7. ethic. c. 1.* quo loco ἡρωικὴν ἀρετὴν *virtutem heroicam divinam* idem vocabat. Sic *Homerus Priamum de Hectore Iliad. α* loquentem introducit:

οὐδὲ ἐώκει
Ἀνδρός γε θνητοῦ πάϊς ἔμμεναι ἀλλὰ θεοῖο
——— *namq; illum haud eſſe putares*
Mortali genitore ſatum, at genus eſſe Deorum

Pariter *Hippocrates θείῃ φύσει divina natura uſus* dicitur *Pæto, Epiſt: ad Artaxerxem*, ob divinas ingenii dotes. Quin *propter excellentiam virtutis Dii ex hominibus effici credebantur*, ut eodem loco *Ariſtoteles* & *Dionyſ. Halicarnaſſ. antiq. Rom. lib. 2. cap. 67.* prodidere: quod de *Æſculapio & Hercule* confirmat *Theſſalus Hippocratis filius in Orat. ad Athenienſ.* Ita *C. Julius Cæſar* ob fortia facta *Deus* appellatus, ut patet ex *Diodoro Siculo lib. 4 biblioth. pag. 158. lib. 5. pag. 208.* & *pag. 211.* item *lib. 1. pag. 4. Siquidem ille vetuſtiſſimus referendi bene merentibus gratiam mos, ut tales numinibus adſcriberentur* ex ſententia *Plinii lib. 2. nat. hiſt. cap. 7. Ciceronis in conſolat. pag. m. 325.* Confer *Sapient. lib. cap. 14.* Traducta etiam *divinitatis* vox ad *conſultationes*, ob ſummam earum præſtantiam, & quod inter præcipuas mentis operationes collocentur: namq; τὸ βουλεύεσθαι τῶν περὶ τὸν ἄνθρωπον θειότατον *conſultatione uti rerum humanarum diviniſſimum* cenſebat *Ariſtoteles cap. 1. Rhetor. ad Alexand.*

Quamobrem ſi quæ tempeſtatis conſtitutio loco progn. allegato ſub nomine τοῦ θείου intelligenda, ea erit, quæ *totius ſubſtantiæ proprietate*, ut loquitur *Gal. comm. 2. d. nat. hum. text. 4.* corporibus infenſa eſt: quæ divina dici meretur, ſive quod à cœlo impreſſionem recipiat, ſive quod admirationis pleniſſima ſit, atque difficultate attingere ciem humani intellectus perſtringat: cum effectus ultra ſortem alio-

rum morborum in nobis producat, qui non conſuetis illorum remediis removeri poſſint; ſed multo nobilioribus, quorum natura ut tranſelementaris eſt, ac propterea divina merito dicitur; ita effectus tranſcedunt ſortem elementarium, cœlo & cœleſtibus influentiis propiores. Quidam enim morborum popularium aliquid peculiare habent, cujus gratia à conſuetâ naturali conſtitutione deflectant, diverſoſque exitus ſortiantur. Multoties enim ex peculiari aeris & tempeſtatum diſpoſitione monſtroſi effectus in arte contingunt, quorum nulla probabilis ratio afferri poteſt, ut docet *Proſper Martianus eruditiſſimis comm. in 1. progn. text. 4.* Hoc ſcilicet Divinum eſt, quod in morbis obſervari volebat *Hippocrates*, quippe quod theoremata prognoſtica ab eodem tradita plerumq; invertat falſaque reddat. Cujus rei exemplum *Proſper Martianus* propoſuit ex *Hippocratis 4. epid. textu* ſecundum *Foeſium 3.* Ubi tempeſtatis cujuſdam meminit, in qua omnia & ſexto & octavo die fuere judicata. Illud enim ſingulare illis morbis fuit, tam ſubito, perfecteque judicari; cum alias, qui paribus moventur, qui etiam propterea paribus judicantur, periculo vacare non ſoleant, quod ſubito occidant, aut in longum tempus protrahantur effatō *Hippocratis*.

Hinc morbi epidemii, graviſſimis comitati ſymptomatis aliquando minus pernicioſi ſunt, ob conſtitutionem temporum benignam: contra vero leviores morbi, ſymptomatis minus gravibus lethales aliquando ſunt, ſi κακόηθες ex aere acceſſerit, quod peſtilentiæ tempore perquàm familiare. Namq; ut jam dixi τῶν νόσων ἄλλαι πρὸς ἄλλας εὖ ἢ κακῶς πεφύκασι, *morborum alii ad alias tempeſtates benè aut malè habere conſueverunt*, ut docet *l. 3. aph. 3.* Qua de re idem *lib. 3. epid. ſ. 3 in fine*, medicos jubebat καταμανθάνειν ἀκριβῶς τὴν κατάστασιν τῶν ὡρέων ἑκάστην, καὶ τὸ νόσημα, ἀγαθὸν ὅ, τι κοινὸν ἐν τῇ καταστάσει, ἢ ἐν τῇ νόσῳ, κακὸν ὅ τι κοινὸν ἐν τῇ καταστάσει, ἢ ἐν τῇ νόσῳ, *exactè ediſcere temporum anni conſtitutionem & morbum, quidnam boni commune ſit, tempeſtati aut morbo: aut quid mali commune ſit tempeſtati aut morbo*: non ut tantùm communem tempeſtatis conditionem, quæ cuivis nota, verum etiam propriam indolem, an peculiare quid habeat, accuratè cognoſcant, quod hæc vulgo ſit ignota. Pari ratione τὸ θεῖον *Hippocratis* ad morbos qui totius ſubſtantiæ ratione

nos

nos afficiunt, quidam transferunt: illi enim cum tota ſpecie nobis infenſi ſint, ac non manifeſtis compertisque qualitatibus, ſed abditâ, ac quæ ſupra elementum virtute ſit, in calorem innatum ſpiritusq; agant, effectus pariunt non tantum vulgo, ſed ipſis etiam medicis, admirabiles. In quibus feliciter curandis atque probe dignoſcendis annon judicio Divini viri θαυμάσιον καὶ ἀγαθὸν ſe præſtabit medicus, quod horũ effectus potentiſſimi ſint, ſuperentq; vires cæterorum morborum, ac, cum tacito progreſſu, non calore aut frigore odore aut colore in nos agant, vulgo principio ignoti ſint, dum tandem ſubito erumpant, hominemq; abripant? Eam ob rem hos morbos etiam cæcos (*quorum cauſſas ne medici quidem perſpicere poſſunt*, ut *Columella lib.2. de re ruſt.c.5. & Dioſcorides lib.6.in præfat.* tradunt; quemadmodum & boletos occultè in nos operari *Seneca Epiſtola 95. volebat.*) appellandos eſſe cenſeo; quales *ex locis paluſtribus æſtivis caloribus noxium virus eructantibus, & natricum ſerpentumq; copiâ, locis vicinis horum venenatu halitu infectis, in nobis contrahi* idem *Columella* teſtatus.

Sed nec alienum ab interpretatione τοῦ θείου exiſtimaverim, ſi quis *Hippocratem* ſtatuiſſe dixerit, morbos quoſdam à DEO hominibus immitti, cujus providentiam habere medicum velit, quod in illis curandis necquicquam medicina proficiat: imò, *ſi tales ſanare volueris, verendum ne magis divinum numen ad iram provoces*, ut arbitratur *Palladius Sophiſta in 6. epid. ſ.5. comm.17.* Qui ſic languentes *ad delubra & alta loca ſacra, in quibus Deos facilius placare, & eorum pacem impetrare poſſis, deducere jubet.* Nam & authore *Homero 1. Iliad.* diſci poteſt, *morbos ad iram Deorum immortalium relatos, & ab iisdem opem paſci ſolitam*: quod & confirmat *C. Celſus lib.1. de re med. in præfat.* Ob raptam enim nec patri redditam *Chryſeidem*, peſtem ab Apolline Græcorum exercitui immiſſam Poeta fingit. *Galenus 1. epid. ſ.1. comm* 1. ait, homines peſtes ad Deos ſæpe referre, de curatione earum conſulentes. Quemadmodum *Trojana* peſtis à *Neptuno* excitata apud *Diodor. Sicul. lib. 4. bibl. hiſt pag.171.* Et *Attica* eodem authore *lib.12. bibliotb. hiſt. pag. 316.* ob profanatam Delum, Apollini ſacram, quod cadavera defunctorum ibi eſſent ſepulta, ἐπὶ τὸ θεῖον relata. Sed & pro numine peſtis aliquando habita, ut patet ex *Sophocle*, qui in

Oedipo Tyranno peſtem vocat πυρφόρον θεὸν *igniferum Deum.* Ita *Delii*, referente *Æſchine 1. epiſt. ad Philocratem*, ſibi peſtem ob iram Apollinis immiſſam arbitrati, quod is indignatus eſſet præter veterum conſuetudinem in inſula virum quendam inluſtrem ſepultum. Et apud *Ovidium lib.7. metamorph. fab. 26. Æginetis*, narrante *Æaco*,

Dira lues populis irâ Junonis iniquæ
Incidit.

Nec dubium, morbos aliquando reperiri, quorum cauſſa plane metaphyſica ſit, ut quæ nulla intellectus acie penitus inveſtigari, imò nec ad ſacrum occultarum qualitatum aſylum jure ſuo referri, nec auxiliis humanis tolli queant: quod in peſte præcipue, tum etiam in purpuratis febribus verum eſſe medicinam facientes experimur, ingenua confeſſione, verum & proprium alexipharmacum peſtis ſoli Deo eſſe notum. Quo reſpexiſſe videtur Thucydides, dum in peſte Attica κρεῖσσον λόγου τὸ εἶδος τῆς νόσου, τά τ' ἄλλα χαλεπωτέρως ἢ κατὰ τὴν ἀνθρωπείαν φύσιν *genus morbi majus, quàm ratione comprehendi, & in aliis rebus acerbius, quam humanâ natura ſuſtineri poſſet*, fuiſſe memorat, ἄλλο τι ὂν, ἢ τῶν ξυντρόφων τι. *aliud quid exiſtens præter conſueta.* Ut & heic *Manum Dei* cum *Davide 2. Sam. 24. v. 17.* devotâ veneratione agnoſcamus, & peſtem cum *Diodoro Siculo lib. 14. bibl. pag. 434.* δαιμονίου συμφορὰν, θεόπεμπτον τινὰ ἀτυχίαν *lib. 15. & bibl. hiſt. pag. 469. à Deo immiſſam calamitatem*, cum *Palladio Sophiſta comm. lib. adduct. text. 18. ſupremam potentiam, quæ ſæpius artis medicæ documenta fruſtretur*, fateamur. Sic peſtis primogenitis *Ægyptiorum Exod. 12. v. 29.* nullis cauſſis naturalibus obtigit: quod ea nullo tali delectu agat, (quamvis ad hanc aut illam complexionem aut ætatem aliquando obſervata fuerit pronior) nec in diverſiſſimæ conſtitutionis homines atque bruta animalia eodem tempore graſſetur, ſolosque primogenitos jugulet, cæteris intactis. Ipſi præſtigiatores *Ægyptii*, cum pulverem terræ *Ægyptiæ* in pediculos verti miraculô viderent, nec viliſſimi animalium productionem æmulari illis liceret, cauſſam ſublimiorem, atque *Digito Dei* iſtud fieri, ultro confeſſi. *Exod. 8. v. 19.* Exempla plura, aliaq; probandæ hujus ſententiæ argumenta qui volet, adeat *Fernelium d. abd. rer. cauſſ. l. 2. cap. 16. Fabium Paulinum in præfat. comm. in peſt. Attic. Thucydidis. Paulum Zacchiam l. 4. quæſt. med.*

med. legal. tit. 1. quæſt. 9. Quibus authoribus & cottidianæ experientiæ documento licet cognoſcere, morbos ab ipſis Dæmonibus divina voluntate interdum immitti, ac magicis incantationibus acceſſiri: qua ratione peſtilentiam, cujus *Homerus* in ſuis carminibus meminit, magica arte *Chryſe* machinatam, quidam referente *Euſtathio*, fuere arbitrati. De talismodi morbis illud θεῖον Hippocratis pariter intelligendum duco, quod ii naturæ vim ſuperent, ac medici ſolertiam apprime ludant, ut ſatius ſit curationem, quod fruſtra futura ſit, ne quidem periclitari velle, cum facta προγνώσει ſe ab ignorantiæ culpa liberare medicus poſſit. Quo ſpectare videtur *textus Hippocratis principio de natura muliebri: numen in hominibus maximè cauſſam eſſe*: quem locum de veneficiis interpretatur *Proſper Martianus* doctiſſimis in hunc locum commentariis. Gentiles enim ſub numinis denominatione non Deos modò, ſed & Dæmones malos comprehendere conſueverunt. Quod ex *Hippocrate* confirmatur: nam *libro de Inſomniis* Diis ſupplicandum hortatur, in ſecundis quidem rebus cœleſtibus, in adverſis vero Diis, malorum ἀποτροπαίοισι averruncatoribus, & terræ & Heroibus, ut gravia omnia avertant & averruncent. Confer *Plutarchum in convivio ſept. ſap. pag. m. 149.* qui eos τροπαίους loco adducto vocat.

Poſt *Hippocratem* tanto ſeculorum intervallo doctrina de his morbis non tam ſepulta jacuit; quàm quod ſcriptores, qui in eâ excitere, temporum iniquitate plerique intercidere; quorum ſcripta, quando Pacis delubrum totum, & ingentes bibliothecæ palatii, incendio confiragraſſe veriſimile eſt ex *Galeno 1. κατ: γέν: cap. 1.* Cujus incendii etiam meminit *lib. d. propr. cap. 2.* quemadmooum *com. 1. d. nat. hum. t. 1.* incendiis aut terræ motibus diruta templa plurimorum librorum interitum attuliſſe refert.

Inter præcipuos vero iſtorum ſeculorum medicos *Cornelius Celſus* numerandus, qui circa Tiberii Imperatoris tempora vixit, ſcriptor in re medica clariſſimus, quam octo libris graphicè ac nervose pertractavit: quem *non ſolum agricolationis, ſed etiam univerſæ* naturæ prudentem fuiſſe tradit *Columella lib. 11.* cujus etiam quinque libros de re ruſtica citat. *lib. 1. cap. 1. Quintilianus* etſi *C. Celſum* in Rhetoricis perſtringat *l. 2. cap. 16.* quod *oratorem ſimile tantùm veri pe-*

Digitized by Google

tere dixerit: ipſa tamen veritate coactus *lib.9. eruditum virum* appellat, & *lib.10.* ait: *Scripſit non parùm multa Cornelius Celſus Scepticos ſecutus, non ſine cultu ac nitore.* Hic *lib.1. de re med. cap. ultimo* obſervationes neceſſarias tradidit, quibus quis in peſtilentiâ utatur adhuc integer, cum tamen ſecurus eſſe non poſſit. Idem *lib.3. de re med. cap.7.* quomodo peſtilentes febres curari debeant, docuit, quod propriam animadverſionem deſideret in febribus peſtilentiæ caſus: multa tamen, quæ cum morbi cognitionem, tum ejus perfectam curandi rationem ſpectant, deſunt, & ex his quæ ſcripta ſunt, multa, ut aliena, meritò ſuſpecta in uſum medicum adhibere; ac niſi purpuratarum febrium curationem ad febres peſtilentes flectere velis, nihil de iis apud ipſum reperies.

Galenus ſcriptor, ſi quis alius, in re medica ampliſſimus, materiem hanc plurimis locis illuſtravit, quæ non ſolùm ad peſtis, ſed & harum purpuratarum febrium eſſentiam, earumq; θεραπείαν ſpectare videntur: nullibi tamen nec hujus morbi, nec ipſius etiam peſtis indolem ejusque curationem plenè tradidit; ſed pleraq; hinc inde ab eodem ſparſa: in quibus multa adhuc deſiderat animus ſciendi avidus: præterquam, quod ſub iis, quæ de peſtis curatione reliquit, febrium harum malignarum curationem ſimul comprehendiſſe videri poſſit, niſi quis, de his ſcripta, ut alia multa hujus authoris, temporum injuria interverſa, dicere malit. Nam quod *Joh. Thom. Minad. l.1. d. febr. malig. cap. 16.* ſcribit, hanc febrem eſſe quandam putridæ febris differentiam, & in genere à *Galeno* ſub putridarum febrium cognitione & curatione libris methodi medendi comprehenſam, ut contra ipſum *Minadoum* eſſe jam aſſerui; ita curatio ibidem propoſita totâ aberrat viâ à verâ curandi methodo, quæ in purpurata febre adhiberi debet, ut poſteà patebit.

Præter *Galenum Ruffus Epheſius, Oribaſ. ſynopſ. lib.6. cap.24. & 25. P. Ægineta lib.1. cap.35. & 36.* de morbis publicè graſſantibus quædam memoriæ prodidere, quæ ad harum purpuratarum febrium tum generationem tum præſervationem ac curationem reduci ſuo jure poſſunt: exanthematum tamen horum pulicarium nequicquam meminere; quemadmodum & plurima ſcitu maximè neceſſaria, ſed ab iiſdem intermiſſa, lectoris expectationem fruſtrari oppido poſ-

dò poſſint. *Aetius lib.5. de re medica cap.94.* un de publici, paſſim vagantes & peſtilentes morbi generentur, pro ponit, & capite ſequenti, quomodo peſtilentia curari debeat, ex *Ruffo* docet: præcipue vero curationem exanthematum in febribus, ex *Herodoto* tranſcriptam, *cap.130* ejuſdem libri nobis reliquit.

Arabum induſtriâ medicina, quæ præcedentium aliquot ſeculorum incuriâ ſitu & ſqualore obſita jacebat, luci ac nitori reſtituta; Hi enim multa præclara, & ex his quædam incomperta ſuperioribus ſeculis, ad poſteritatem transmiſere: quamvis nec illi ſatis operoſi fuerint in harum febrium malignarum eſſentiâ ac curatione explicandâ: ut, plerosque ſub uno morbo peſtis febriumq; purpuratarum curationem complexos fuiſſe, meritò quis arbitrari poſſit.

Nec in ſubſequentium temporum horridâ barbarie doctrina de his morbis meliùs exculta, raris ſolidæ eruditionis aſſeclis; ſed retro centum annis (quod ſeculum, ſi quod aliud, inventarum rerum excellentiâ ac ſcriptorum plerorumq; admirandâ eruditione verè inluſtre fuit,) tandem hæc orco quaſi evocata, luci reſtituta fuit, tantâ contentione ingeniorum, ut quivis in re quaſi novâ aliis palmam præripere ſtuduerit. Cæterum qui plerorumque horum authorum ſcripta leget, tot involuta controverſiis reperiet, ut non alius ferè morborum ſit, qui numero pares diſputationes habeat; nec ulla præſentis morbi pars ſit, quæ nôn apud eoſdem fuerit controverſa: ut exactum judicium legentis requirant, ſi quis ex hoc quæſtionum labyrintho ſe expedire, veràq; inde diducere methodũ cupiat, quâ voto ægrotantium proſperè mederi poſſit: præterquam quod morbus hic ſæpe novo ſymptomatum ſchemate ſe proferat, ac propterea medentis induſtriam mirè fatigare ſoleat. Nec tamen eorum ſcripta exactiſſimis *Polycleti* regulis comparanda; aut poſteris adeo præreptam bene merendi occaſionem velim, quin & hi multa incomperta hactenus eruere, & inventis quid addere, ſæpe quædam ut aliena rejicere, ac pleraque meliore ordine proponere poſſint; nam & noſtra ætas multa laudum imitamenta poſteris relinquet, nec poſt mille nato ſecula præcludetur occaſio (verba *Senecæ* ſunt *epiſt.64.*) aliquid adjiciendi. Et ut poſt *Vergilium*, *Cicetonem*,

ronem, *Hortenſium* poetas & oratores ſequentium temporum non deterruit, ut ingeniorum ac laborum ſuorum monumenta poſteritati relinquerent; quamvis palmam in eo ſcriptionis genere obtineri non poſſe probè ſcirent, quod *Columella* monebat *in præfat. de re ruſt*: ita nec his deficere, nec venientibus annis defutura ingenia arbitror, quorum ſolerti induſtriâ multa in re medicâ aliisq; ſcientiis lucem accipient, quæ hactenus quaſi denſa caligine obruta jacent, multa etiam curioſè, nec ſine laude tradentur, ab aliis jam tentata authoribus, etſi ſupremum laudis punctum majoribus ſuis deferre non inviti velint.

Horum exemplo, quæ de hoc morbo à me olim meditata, ac multâ obſervatione comperta ſcribere aggredior, operoſâ controverſiarum ambage vitatâ, quæ animos diſcentium magis torquere, quàm erudire poſſint.

CAPUT III.

Morborum endemiorum, epidemiorum & ſporadicorum differentias, & ad quod genus iſtorum purpuratæ febres reducantur, exponit.

Corpus humanum ut perpetuis mutationibus obnoxium, & cauſſis, tam intro natis, quàm foris advenientibus, variè afficitur, ita varios morbos ſuſtinet: qui, cum aut ſparſim palanteſque diverſos diverſi; aut iidem eodem tempore plures invadant, ad duas claſſes relati à priorum temporum medicis: σποράδων ſcilicet & κοινῶν ſeu παγκοίνων teſte *Galeno comm. 1. in 1. epid. in proœmio.* Morbi σποράδες ἢ σποραδικοί, i. e. ſparſi, dicuntur ἀπὸ τοῦ σπείρειν à ſeminando, quod, ceu ſemina hinc inde disjecta ſparguntur, morbi σποράδες σποράδην ſparſi ſparſim homines prehendant, nullo certo ſtatoq; anni tempore, loci conditione, aut morborum cer-

tâ ac

tâ ac determinatâ ſpecie, ſed ſpecie formaque inter ſe differant: quos ſua cuiq; victus ratio peperit, ut illa varia eſt, corpusq; à corpore differt, & ætas ab ætate. Ita ab *Ariſtotele 1. meteor. cap. 8.* ſtellæ σποράδες dicuntur in via lactea, quæ, nullo quaſi ordine, diſperſæ poſitæ, ut nec ſigno alicui, quantum oculis cognoſcere licet, includi poſſint. Sic *Strabo lib. 10. Georg. pag. m. 313.* in mari *Ægeo* circa *Delum Cycladas*, ac ante eas *Sporadas* ſitas eſſe ſcribit: quemadmodum & *Suidas in hiſtor.* σποράδων inſularum duodecim in mari *Ægeo* numerat: quas propterea ſporadas appellatas dixerim, quod hinc inde disjectæ, nullo ordine locatæ, videantur. Ex horum vero palantium morborum numero ſunt phrenitis, apoplexia, ophthalmia, pleuritis, phthiſis, hydrops: quorum aliqui etſi contagio ad alios transferri videantur, ut in ophthalmia & phthiſi id verum eſſe nonnunquam obſervamus; non tamen propterea ex hoc morborom genere removendi, aut ad vulgares morbos traducendi: quod eorum nulla publica aut communis cauſſa ſit, nec certo anni tempore, determinato loco, aut peculiari ejuſdem tempeſtatis conſtitutione plures vagentur; ſed imprudentiori commercio admodum paucis, & ad recipiendum tales affectus maxime promptis, ſaltem inferantur: quod ſi aliquando præter ſolitum increbreſcant, peculiarem accepere ἐπίδοσιν, quâ, communis cauſſæ vitiô, divulgantur.

Κοινοὶ ſeu communes & vulgares appellantur, qui eodem tempore certâ quadam morbi ſpecie plures indifferenter affligunt, univerſalis alicujus cauſſæ noxâ; interdum nullo ætatis, ſexus, temperamenti, aut vitæ, diſcrimine: quorum bipartita rurſus ratio eſt juxta *Palladium Sophiſtam præf. comm. in 6. epidem.* Vel enim ἐνδήμιοι ſunt vel ἐπιδήμιοι. Iſtos vernaculos & patrios vere vocaveris, ac συμφύτους, connatos. quod ex parentum ſemine in ſobolem, quaſi per traducem propagentur, ſimulq; ætatis incremento adoleſcant, & quod gentico quaſi vitio certis provinciis familiares, aeris, aquarum, regionum, & ſuâ cuique genti conſuetâ vivendi ratione, producantur. Ita ſcorbutus, ſeu *ſtomacace & ſcelotyrbe Plinij lib. 25. nat. hiſt. cap. 3.* (qua intra biennium dentes decidebant, compagesq; in genibus ſolvebatur) in his & adjacentibus ad mare Balthicum provinciis frequens: bronchocele alpinis gentibus: carbunculus peculiare *Narbonenſis*

nenſis provinciæ malum teſte *Plinio lib. 26. nat. hiſt: cap. 1.* Et *Lucretio lib. 6. de rer. nat.* tradente.

> *Eſt Elephas morbus, qui propter flumina Nili*
> *Gignitur Ægyptô in media, neque præterea uſquam.*
> *Atthide tentantur greſſus, oculique in Achæis*
> *Finibus, inde aliis alius locus eſt inimicus*
> *Partibus ac membris.*

Hos, ἐπιδημίους ſcilicet, populares jure dixeris; qui, ut communes, ad communem aliquam cauſſam, qua omnes utimur, referuntur, docente *Hippocrate lib. de nat. hum.* & ut illa perennis non eſt; ita effectus certâ temporis periodo circumſcripti, certiſque ſaltem locis in crebreſcunt, ceſſaturi, ſicubi ἔφοδοι cauſſarum evanuerint.

Popularium vero morborum alij infeſtam vitæ humanæ perniciem ſecum gerunt: & inſtar immanis feræ, ut loquitur *Galenus de theriaca ad Piſon. cap. 16.* integras domos, urbes, provincias, depopulantur, λοιμώδεις & peſtilentiales dicti. Peſtis enim ut docet *Galenus comm: 1. de vict. acut: text: 9.* eſt epidemia pernicioſa. Alij epidemiorum periculi exortes ſunt, late tamen vagantur: quales patrum noſtrûm ætas diverſos vulgari obſervavit; e. g. catarrhum & tuſſim, qui anno cIɔ Iɔ LXXX. teſte *Foreſto* univerſam plane Europam pervagati, unde tamen vix milleſimus perierit. Tale quoddam tuſſis populare genus, quod vulgus, *la coculuche*, appellavit, anno cIɔ Iɔ LVII. vigere per univerſam Galliam vidit *Valleriola*, & notavit in *append. loc. comm. c. 2.* Ferinus quoq; catarrhus anno cIɔ Iɔc XLIII. infantes ſubrumos, puerulosque & puellas graviter afflixit: ut catarrhi ruentis impetum his valido conatu, tuſſi ac ſcreatu, elidere conantibus, ſuffocationis periculum imminere videretur, & quibusdam non ſolùm narium, verum & pulmonis, venę rumperentur, nullô valetudinis (quantum hactenus obſervare potui) incommodô, pauciſſimis feritate catarrhi oppreſſis. Quo toto tempore illis tantùm hoc malum familiare fuit, cæteras ætates necquicquam affecit. Ad cenſum horum morborum refero ophthalmias, diarrhœas quaſdam minus noxias, febres tertianas, quæ anno cIɔ Iɔc XL. creberrimæ erant. Alij vero inter utramq; iſtorum epidemiorum ſortem mediam obtinent naturam, quaſi ἐπαμφοτερίζοντες, medij inter peſtem

peſtem aliosq; innoxios populares morbos. Neq; enim ut hi periculo penitus vacant, neque ad peſtis ſævitiam accedunt: Quorſum refero noſtras purpuratas ſeu lenticulares febres, quod multi ab his pereant; multi etiam evadant. Purpuratæ quidem febres aliquando ſolitariæ ſparſimq; homines abripere ſolent, ſuâ cuiq; peculiari, ſed pravâ, victus ratione productæ, nullâ tum temporis epidemiâ conſtitutione notâ ac moleſtâ: quæ tamen ex claſſe ἐπιδημίων haud penitus eximendæ: quod licet actu non increbreſcant; multiplicandi tamen potentiam habeant; quemadmodum & ipſam peſtem, quæ epidemia eſt pernicioſa, intra unius domus parietes aliquando oppreſſam fuiſſe, & in uno eodemque ægroto & cœpiſſe & deſiiſſe, obſervatum.

Præter iſtos morbos novum quoddam genus à *Fernelio* propoſitum *lib. 2. de abd. rer. cauſ. cap. 11.* dum pandemios ſimplices ſtatuit differentes ab epidemiis: quod hi à ſolius aeris vitio, iſti à communis cibi potusque corruptelâ, generentur: ut, dum annonæ caritate homines ſemiputridis frugibus ac leguminibus, potuve aquæ corruptæ, utuntur. Fernelium ſequitur *Philippus Ingraſſias lib. 1. de contag. peſtil. cap. 18.* eadem repetita diviſione, item *Marcellus Capra in libello de morbo Pandemico.* Quam diviſionem, ut *Galeni* diviſioni maximè adverſam, quam *1. in 1. epid. in prooemio* & *1. acut. comm. 9.* propoſuit, ſuis authoribus remittimus; cum actus rei, per quem quid eſt, ſeu forma rei diverſa, eſſentialem ſubſtantiæ differentiam faciat, non cauſſarum diverſitas; &, ab aere itemque cibis corruptis, quamvis differentibus cauſſis, ejuſdem generis morbos ſubnaſci conſtet. Quemadmodum & *Galenus* in peſte coætanea plurimos ex eſu ciborum corruptorum abreptos obſervavit, idemque confirmavit *lib. de cibis boni & mali ſucci. cap. 1. & comm. 1. in 1. epid.* præcipue vero *comm. 3. l. 2. de nat. humani.* ubi non ſolum διεφθαρμένου ἀέρος μιάσματα, ſed & diætam φαύλην καὶ φλαῦραν communium morborum cauſſam ſtatuit, exemplo eorum in *Æno* allegato ex *lib. 6. epidem. ſect. 4. t. 11.* qui ſaturandæ fami leguminibus veſcentes crura imbecilla habuerunt; item eorum, quibus ervo comeſo genua doluerunt. Ervum enim, præterquam quod caput offendat, articulos diſſolvit, eodem *authore 2. comp. med. loc. cap. 1.*

CAPUT IV.

In quo argumenta pro aſſerendâ purpuræ putredine proponuntur & examinantur.

Cum autem ſinguli morbi proprias habeant naturas, (quas probè cognitas medicus habere debet; quod eſſentiâ morbi ignotâ fruſtrà ſit omnis medendi labor: cum *remediorum inveniendorum initium ex morborum naturâ ſumatur*, ut docet *Galenus lib. 3. m. m. cap. 1. & 2. m. m. cap. 7.*) in purpuræ eſſentiam penitius inquirere operæ maximè pretium fuerit. Iſtam dum operoſius ſcrutati pleriq; authores, in varias abiere ſententias: unde tot natæ in curando hoc morbo diſſenſiones, ex quibus nemo ſe explicare poſſit, niſi unicò illô *Ariadnes* filô, ſolidâ ſcilicet eſſentiæ hujus morbi cognitione: cui tanquam inconcuſſo ac τετραγώνῳ fundamento cætera de morbo hoc commodè ſuperſtruuntur. Ut enim *Ariſtoteles lib. 1. acroaſ. cap. 2.* dicebat: *Uno dato abſurdo, cætera accidunt.* Cui conſentit *Galenus lib. de Hipp. & Plat. decret. cap. 6.* Et ut, *Platone in Cratylo* teſte, *Circa mathematicas figuras interdum exiguo quodam primo ignoto, falſoq; exiſtente, reliqua deinceps multa invicem conſonant*: ita niſi exactè morbi præſentis indoles medico cognita fuerit, ad tot errorum avia is deflectet, unde non niſi magnô cum damnô pedem referre poſſit. Eâ tamen in re compendifacere operas ſcriptorum mihi propoſitum, lectoris in arte medicâ, tyronis maximè, uſibus profuturus: hinc quæ illi tantâ ambage, tamque variis opinionum divortiis, pro aſſerendâ ſuâ cuique authori ſententiâ, de morbi præſentis indole, protulere, in pauca contraham: cum ita comparatum ſit, ut plurimi multa ſcire velint, pauca diſcere expetant.

Præcipua vero controverſia hactenus inter medicos agitata, hæc fuit: an Purpuræ eſſentia in putredine conſiſtat? ad quam cæteræ ferè collimare videntur. Ex his, qui affirmativam tenent ſententiam, ex *Gal. 2. m. m. c. 6. & 1. de diff. morb. c. 2.* docti, tria eſſe morborum

borum genera, intemperiem, malam compoſitionem & ſolutam unitatem, purpuram ad intemperiei exceſſum retulere: quod caloris manifeſta in illâ adſint indicia; ſive ille foris ſe prodat, ſive intus circum viſcera hærens deliteſcat. Calorem autem non ſimplicem, ſed qualem res putridæ exhalant, ſtatuere: quod putredinis in purpura manifeſta adſint indicia, qualia in aliis putridis febribus ſe proferre conſueverunt. Ex quorum cenſu ſunt, horror, cum conſectario calore, oris ſiccitate, ſiti, faucibus ambuſtis; nauſea item, vomitus, capitis dolor, delaſſata ac quaſi conquaſſata membra, urinæ craſſæ, turbidæ, dejectiones copioſæ, fœtidæ, & cætera de genere hoc. Sed nec ſimplicem confeſſi adeſſe putredinem; ſed multo fœdiorem, quæ vim venenorum æmuletur: cum & peſtis vim peremptoriam putredini deferre iidem auſi fuerint viri clariſſimi, & de litterariâ Republicâ alias bene meriti. *Fracaſt. lib. 2. de morb. contag. cap. 7. alex. Maſſaria lib. 5. med. pract. de febr. cap. 24. Mercurialis lib. 5. de febr. cap. 17, Joh. Thom. Minad. l. 1. de febre maligna cap. 4. & 11. Jordanus de peſtis phænom: tract: 1. c. 5. Zacutus lib. 1. princ. med. hiſt. 84. q. 50* & alij. Hinc ingenij quadam quaſi luctatione varias comrnenti phraſes, quibus verum characterem exprimerent, quibus etiam febres peſtilentes & malignæ ab aliarum putridarum οἰκείη ὕλη diſtinguerentur. *Fracaſt. l. citato cap. 3.* in febre peſtilente profundam, ſordidam largamque eſſe putredinem autumat. *Mercurialis* loco adducto ſtatuit intemperiem calidam ex gravi & maligna putredine, & illam malignitatem nihil aliud eſſe, quàm ingentem putredinem, cenſet. *Alexander Maſſaria* & *Zacutus* locis allegatis in inſigni & excellenti putredine eſſentiâ febris peſtilentis conſtitutam, arbitrantur: hinc & *Maſſaria cap. ſequenti* teſtatur, petechialis febris curationem à cæterarum peſtilentium febrium curatione in hoc tantùm differre: quod hujuſmodi tranſmiſſio noxiæ & venenatæ materiæ ad cutem videatur propriam quandam indicationem proferre, & propria quædam remedia poſtulare. *Joh. Thom. Minadous cap. 4. lib. 1. de feb. malig.* peſtilentem ac malignam febres eſſe putridas, unde & *cap. 11.* ejuſdem libri putredinem cauſſam earum proximam, eamque πυπαρμῦ expertem, voluit: quod ſumma ſit, nec à calore nativo gubernari poſſit: unde nec in puris æmulam materiem abſcedat, quod in concoctione fieri ſo-

let; ſed in fœtidum, noſtròque calori multopere infenſum, inquinamentum deſinere videatur, ſecus quàm fit in aliis putridis febribus, quarum fervor, nativo adhuc calore perfuſus, materiam coctione non adeo invictam amburit, aut putrefacit.

Hanc de peſtilentium & malignarum febrium putredine ſententiam ex veterum medicorum monumentis depromptam eſſe aſſerunt, ejusque primos authores, *Hippocratem* & *Galenum* allegant; quod ab illis ad putridarum genus relatæ hæ febres, & putredine, ſimilique cauſſa, deſcriptæ fuerint: qui & curationem ſuperandæ putredini convenientem horum judicio propoſuiſſe dicuntur. Nam *Galeno lib. 1. de diff. febr. cap. 6.* Peſtis generatur ex putrefactione accenſa circa cor. Quo loco, item *3. in 1. epid. ægroto 9. in Critone* omnia in febre peſtilente ad unam putredinem idem refert, & *1. in 6. Epid. text. 29.* ſcribit, peſtilentem febrem ratione caloris diſtare ab aliis, quod peſtilentis calor putris ſit. Hinc *lib. 1. de temper. cap. 4.* nullam eſſe affectionem ab *Hippocrate* ea in peſtilentia relatam, quæ putredinis ſobolem non præ ſe ferat, & *3. in 3. epid. comm: 22.* humorum peſtilentium malignitatem, in καταστάσει λοιμικῇ obſervatam, originem ex putredine traxiſſe, ait. Sic *text: 23. comm.* idem *Galenus* humoris putreſcentis malignitatem, atque adeo κακοήθειαν ex ipſa putredinis natura deduci. & *comm. 25.* formidabiliora & pejora ſymptomata conſecuta eſſe putredinem illius conſtitutionis, unamq; magnam putredinem ſymptomata terribilia viſu, pariter & lethalia induxiſſe, cenſet. Curationem quamvis ab *Hippocrate* & *Galeno* nullibi exactè explicatam reperias: hic tamen *libro 1. de diff. febr. cap. 6.* putredini humorum tollendæ omnem operam in præſervatione peſtilentiæ impendere videtur, & *Avicenna lib. 4. fen. 1. tract. 4. cap. 1.* ex putrefacto aere intus recepto febrem peſtilentialem generari, & *cap. 4.* ſummam curationis in exiccatione conſiſtere arbitratus. *Rhaſes* quoque in *febribus, quæ ex peſtilentia accidunt, refrigerantia* proponit. Et hi duo authores, ut & *Paulus* & *Aetius* de peſtilentibus febribus tractatum ad febres retulere.

Qui volet, & poteſt, alia confirmandæ huic ſententiæ argumenta addat, hæc, ut præcipua, examinare præſentis loci erit. Et quidem primum argumentum quod attinet: ſi ſcripta Galeni quis penetraverit, præter tria morborum genera aliud in illis propoſitum repe-

reperiet, quod morbum totius ſubſtantiæ vocamus. Ipſe enim *2. d. alim. fac. cap. 11.* loquens de *Sycaminis*, teſtatur, *ea* aliquando pravè corrumpi, *novô quodam corruptionis genere, quod verbis explicari neſciat.* Quodnam autem novum illud corruptionis genus eſſe poterit, & quod verbis explicari neſciat, ſi ad primas, atq; alias, ex illis natas, qualitates referri poſſit? cum manifeſtæ qualitates propterea dicantur, quod ſenſibus cujusque ſe prodant, nec intus abſconſæ latere diu queant: quarum gradus etſi adeo exactè cognoſci nequeat, indicibiles tamen ea de re dici non merentur, quod exceſſus illarum ſenſibus cujusq; ſit compertus. At occultæ qualitates cum ſint externis ſenſibus ignotæ, ſolaque juxta *Gal. 2. med. gen cap. 16.* experientia ex earum operationibus obſerventur, proximeque à forma ſpecifica fluant, verbis explicari nequeunt. Unde *Avenzoar lib. 1. theiſir. tract. 10. cap. 4. Et jam aliqui veteres conati ſunt loqui ſuper his virtutibus: & ego dicò, quod impoſſibile eſt ſcire certitudinem ipſarum: quoniam intellectui humano adeo ſubtili & glorioſo impoſitus eſt terminus, ultra quem impoſſibile eſt ipſum pertranſire. Et ô quàm bene dixit Galenus, quando dixit, quod iſta ſcire pertinet ad ſolum Deum altiſſimum & omnipotentem!* Hæ vero *loco de alimentis alleg.* novæ dicuntur, quod vulgo fere ſint incognitæ, aut doctrina earum temporibus illis ignota plerisque fuerit: cum pauca admodum de his in authorum monumentis relicta poſteritati videamus. Occultæ igitur qualitates ex vitioſis alimentis in nobis genitæ, ex natura actionis & paſſionis conſimiles effectus, morbos occultarum qualitatum, producent. Quin *Galenus 6 loc. aff cap. 5.* corruptionem adeo inſignem in animantibus generari poſſe fatetur, ut veneni qualitatem, tum vires æquet: quæ autem corruptio venenorum æmula ad elementares qualitates ſuo merito reduci poterit? Illorum enim exemplis, ſi vel generationem vel operationem eorum ſpectemus, nobis certis eſſe licet præter ſupra dictos morbos novum dari morbi genus, occultarum ſcilicet qualitatum. Hinc *Theophraſtus, lib. 6. de cauſ. plant. cap. 20.* de venenoſis plantis differens, cur partes plantarum quædam venenoſæ, quædam non, ſint, cauſſam reddit: quod *ἑκάστου ἰδία κρᾶσις οὖσα καὶ φύσις διαφόρους ποιεῖ καὶ τὰς δυνάμεις cujusq. propriæ temperies exiſtens & natura diverſas virtutes habeat.* Ubi dum *κρᾶσιν* ac *φύσιν* diſtinguit, per illam temperiem ex quatuor qualitatem commixtione natam, per hanc ipſam formam

rerum

rerum, nobiliſſimis ornatam virtutibus, occultis ſcilicet qualitatibus, citra dubium intelligit. Pariter admirandæ operationes produnt, venena diverſas habere ab elementorum qualitatibus proprietates: *quæ omnino lateant animos temperatos, illudant curioſis* teſte *Scalig. Exerc. 218. ſ. 8. Minima enim portio lethalium venenorum, quæ deleteria appellantur, ubi animalis corpus ingreſſa fuerit: totum id momento temporis immutat, ſibiq; ſimili affectione alterat*, juxta *Gal. 1. de ſem. 16.* Qui etiam 5 ſimpl. 19. agnoſcit *eſſe quædam, quæ tota eſſentiâ nobis contraria ſunt: proinde ſi vel minimum eorum aſſumptum fuerit, omnino lædat neceſſe eſt.* Ita ex morſu Aſpidis *Cleopatra* periit; & tamen morſus veſtigia vix acri oculorum acie deprehenſa, ut teſtantur *Ælianus lib. 9. nat. anim: cap. 61. Plutarchus in vita M. Antonij.* Serpentum enim venenum mole minimum, vi maximum exiſtit: ut notat *Steph: Athen: in 1. therabeut Galen. comm: text: 4.* Et de ſcorpij, phalangij ac marini turturis ictu firmat *Galen. 3. loc. aff. 7.* qua de re pluribus agit *6. loc. aff. c. 5. 3. ſimpl. 22.* aliisq; locis infra allegatis. Quis autem tantillæ portioni excedentis alicujus in mixto elementi tantos, tamq; admirandos, effectus tribuet? cum nullum agens ultra ſortem ſuæ activitatis agat, plurimaque reperiantur, quę majorem exceſſum gradus intemperiei habeant, majori tamen quantitate accepta neutiquam lædant. Nec obſtat *cicutam, mandragoram*, frigiditate, *cantharides, ſublimatum* calore, nocere; hæc enim, ut alia ex elementis mixta, principij ſui naturam retinent: illis tamen ſolis non officiunt, ut putavit *Nic. Boccang. de morb. peſt. & malign cap 32.* cum effectus plures producant, quales à ſimplici calore aut frigore provenire nequaquam poſſunt. Et quid dicemus de talibus venenis, quæ nullam intemperiem conjunctam habent, toto genere naturæ noſtræ inimica, quæ nec manifeſtarum qualitatum exceſſum in corpore expreſſum relinquunt? Galenus quidem *4. ſimpl. 15.* per totam ſubſtantiam temperamenti proprietatem intelligere videtur, dum inquit. *Dictum autem demonſtratumque ſæpenumero eſt, nec ſecius alias quoque repetam, quid ſit ſecundum totas ſubſtantias agere, aut pati: immo verò & hactenus ejus nunc meminero, quod in rem præſentem ſatis ſit, hinc ſumpto initio. Ex quatuor elementis particulatim corporibus conſtant generationes impares mixturâ ac diverſæ. Siquidem quædam ignis, quàm aliorum elementorum, in ſe plus continent, quædam aquæ; ſicut alia, ſi*

fors

Boccangelinus

ſors ita tulit, terræ, nonnulla aeris. Ex ejuſmodi itaq; imparitate proprietates corporum particularium ſunt perfectæ. Cæterum etſi illa elementorum permixtio, & temperamenti proprietas imperſcrutabilis ſit, nec ad lancem examinari adeo exactè queat, quæ etiam ſua cuique ſubjecto propria reperitur: quâ ſalvâ, aliis neceſſario requiſitis ſimul eò conſpirantibus, actiones perficiuntur, eaq; læsâ functiones læduntur: illæ tamen qualitates elementorum quocunque modo per mixtionem refractæ, nec tantas vires obtinere, nec ultra ſpeciei ſuæ virtutem operari poſſunt. Hinc etiam *Averr. lib. 5. collig. c. 21. Avic. d. vir. cord. c. 10. Meſues canon. univerſ. cap. 1.* ſtatuere, actiones à tota ſubſtantia oriri ex mixtione elementorum, & primis qualitatibus hoc vel illo modo temperatis: ita ut ob influxum cœleſtem mixta acquirant virtutes admirabiles: quamvis rectius à formâ ſubſtantiali atq; hinc natis occultis aut potius innominatis qualitatibus illæ deducantur, cum omnes qualitates ac proprietates à forma rerũ dependeant.

Galenus certe ut animæ, ita & aliarum formarũ indolem minus cognovit, unde in definienda anima varius eſt; cujus trepidationes, locis diverſis proditas, lector obſervabis. *Libro* enim *quod animi mores ſeq. temp. cap. 3. & 2. d. ſympt. cauſ. cap. 5. & in fragm. de ſubſt. fac. nat. pag. m. 461.* aperte confitetur, ſe neſcire, qualis ſit animæ eſſentia. Qui *loco de ſympt. cauſ. adducto* animæ eſſentiam definire audax facinus putat, & vel ſanguinis ſpirituumq; calore, ut primo inſtrumento animam uti, aut ex ipſis conſtare aſſerit. Sic *6. epid. comm. 5. t. 5.* ſcribit. Sive ſpiritus anima ſit, ſive alia quædam incorporea vis, nullam hac de re firmam habeo rationem. Quin eos, qui de hoc quicquam affirmarunt, audacia magis quam ſapientia alios antecedere exiſtimat. Et quod de tanto Præceptore miremur, *in fragm. de ſubſt. fac. nat.* an ulla quoque animæ eſſentia ſit, haudquaquam ſe noſſe profitetur. *Idem* quoq; *6. epidem. loco allegato* de *Hippocrate* ſtatuit, eum τὸ ἔμφυτον θερμὸν calidum innatum pro anima habuiſſe. Quo etiam ipſe *Galenus* inclinare videtur, ut conjectare licet *ex 2. ſympt. cauſ. cap. 5.* dum nonnullos timore periſſe ſcribit, *ubi debilis ſuapte natura animula ſub valido pathemate oppreſſa, confertim & extincta & ſuffocata.* De Hippocrate illud interponere præſentis loci ratio exigit, cum quidem ab hac ſententiâ non prorſus eſſe alie-

F num

Digitized by Google

num, calorem innatum ipſam animam eſſe; *libro* tamen *de carnibus*, profiteri, illud *θερμὸν ἀθάνατον & aethereæ eſſe naturæ, quod cuncta intelligat, videat, audiat, ſentiatque omnia, cum præſentia tum futura.* Cui conſentit *Galenus lib. animat. eſſe quod utero contin.* & divinam animæ originem agnoſcit.

Sed, ut ad Galenum revertar, cum ille in definitione animæ adeo fluctuet, & *lib. quod anim. mor.* eò inclinare videatur, animæ eſſentiam conſtare ex temperamento quatuor qualitatum, quod iis læſis anima lædi videatur, pluribus eodem libro in hanc rem allatis argumentis; inde factum judico, tam nobiles atque admirandos effectus, formarum proprios, temperamento ab eodem *4. ſimplic. 15.* tributos. Qui tamen qualitates manifeſtas ab occultis aliquoties diſtinxit ut *2. de nat. hum. comm. 4.* ubi evaporationes morbidas totius ſubſtantiæ proprietate magis, quàm manifeſtâ qualitate lædere docuit. Item *lib. 5. ſimpl. cap. 2.* profeſſus, medicamenta eſſe nata alterare aut una qualitate, ſcilicet aut calefaciendo, aut frigefaciendo, aut humectando aut ſiccando, aut dictarum conjugatione quadam, aut tota ſua ſubſtantia, ſicut complura lethalium venenorum, nec pauca alexiteriorum ſeu amuletorum, tum purgantia omnia. Et *6. in 6 epid. comm. 5. in fine*, noxas & juvamenta non ſolum per ſimplices qualitates, ſed etiam per totam ſubſtantiam corporibus noſtris advenire tradidit. Confer alia parallela loca *5. ſimpl. cap. 17. 18. 19.* & *23.* item *3. de temp. cap. 4. 8. med. loc. 8*, &c.

Tandem cum reperiantur ſymptomata, quæ ad nullum notum morborum genus, neque ad cauſſarum externarum ἐφόδους reduci poſſint, illa etiam peculiare ac novum quoddam morbi genus ſibi vendicare credendum. Namq; in peſte purpuratisq; febribus ſymptomata peculiarem indolem, (qualis in aliis ſimplicibus morbis non reperitur,) & malignam διάθεσιν exprimunt, quæ ad terna illa morborum genera referri non poſſit, quæ etiam non medicamentis manifeſtarum qualitatum, ſed iis, quæ conſimili virtute, totâ ſcilicet ſubſtantiâ, operantur, ſuſtolli queat: quà medicamenta bezoartica agere *Averroes lib. 5. colliget. cap. 18. & 23.* docebat: quà & cancros fluviatiles hydrophobiam curare *Galenus 11. ſimpl. c. de cancris fluviat.* aſſerebat. Quo poſteriore loco ſe ſcripturum peculiarem librum de iis,

iis, quæ proprietate totius ſubſtantiæ agunt; idem *Galenus* promiſit. Qui *6. epid. comm. 6. t. 5.* ſe propriis commentariis de juvantibus & lædentibus per totius ſubſtantiæ proprietatem diſputaviſſe memorat: quæ, ut alia multa hujus authoris, temporum injuriâ interverſa arbitror.

Signa quidem putredinis, horrorem, calorem aliaq; ſymptomata recenſa in purpuratis febribus plerumq; conſpici videmus: obſervatione tamen certa conſtat, ea non perpetuùm adeſſe: quemadmodum teſte *Hippocrate 3. epid. ſ. 3. t. 28.* maligna eryſipelata, quæ illi peſti admodum familiaria erant, quibuſdam etiam ante febrem erupere. Si tamen ſigna caloris ac putredinis præſto adſint, arguere quidem putredinem, quam purpuratas febres plerumque comitari, quemadmodum & ex prævia humorum putredine, ulteriore inducta corruptione eaſdem febres aliquando generari, concedo: cæterum alia indicia ſimul ſe oſtendent, quæ malignam ac venenatam qualitatem atteſtari poſſunt. Quæ ſigna putredinis inter effectus veneni purpurati, quod putreſaciendi vim habeat, potius numeranda, quæ etiam aliam plane faciem heic gerere, quàm in cæteris putridis febribus, ac à ſeipſis quaſi differre, videntur: ut hinc præclara documenta petere liceat, majus quid ſubeſſe in ſingulis ſymptomatum, unde tanta pernicies incumbat. Res exempli nobis erit calor in febribus malignis, qui ſæpe nullus, ſæpe adeo parvus, ut vulgo medicisque inexpertis facile imponat, quò nullum adeſſe ex morbo periculum exiſtiment: ſi tamen illam ſitim, oris ſqualorem, fauciumq; iſthmum fuligine oppletum, ſummas anguſtias cordis, & inde natam totius corporis jactationem penſius quis æſtimet, talia à ſimplici & ferè contemnendo ſæpe calore proficiſci, nullus niſi extremi ingenii dicet; ſed latere intro alia ſemina gravioris morbi agnoſcet, unde tantorum malorum ſeges ſuccreſcat, quale & de cæteris hujus morbi ſymptomatis judicium ferre cuique licebit.

Putredinis vocem his aliisq; vere peſtilentibus morbis à Galeno adſcribi video: qua de re plura παραδείγματα loca huc transferri poſſent. Notare tamen lectorem meum volo, putredinis nomen veteribus πολύσημον fuiſſe, aliisq; etiam rebus, quàm putredini ſtrictè

 ita

ita appellatæ, tributum, ut notant *Foeſius in œconomia dictionum Hippocr.* & *Sennertus l. 2. de febr. cap. 1. Hippocrates* σήπειν pro concoquero aliquando accipit. Ut *lib. 3. de diæta* σεσηπὸς διαχώρημα alvi excrementum concoctum: item *lib.* περὶ παθῶν, ἄσηπτα σιτία *cibi crudi & incocti vocantur.* Ita *Empedocles vinum* dixit ὕδωρ ἐν ξύλῳ σαπὲν, *aquam in ligno coctam* teſte *Ariſtotele 4. topic. cap. 3.* & *Plutarcho 2. quaſt. nat.* qui eodem loco concoctionem putrefactionem quandam eſſe voluit. Sic & σηπεδόνος vocabulum generationi tribuitur *lib. de carn. in principio. Theophraſtus lib. 5. hiſtor. plant. cap. 7.* pinum atque abietem σήπεσθαι pro carie affici dixit, quemadmodum & interpretatur *Plinius lib. 16. cap. 42.* cum putreſcere aliud ſit à carie affici, quod putredo ex acceſſione humoris peregrini, caries ex utriusq; defectu oriatur. *Galenus* ipſe σήψεως vocabulum promiſcue uſurpavit; ſæpius pro vera putredine ut *lib. 11. m. m. cap. 8.* Putredo eſt mutatio totius ſubſtantiæ putreſcentis corporis ad corruptelam, à calido externo: quam definitionem *Ariſtoteles 4. meteor. cap. 1.* iisdem prope verbis jam tradiderat: interdum pro corruptione, quæ venenum æmulatur. *Ita lib. d. Theriaca ad Piſonem cap. 16.* Attrahunt in ſeipſis aerem illum infectum, tanquam præſentaneum venenum. Qua ratione *Philo quaſt. de mundi immort.* λοιμὸν ἀέρος θάνατον καὶ φθορὰν peſtem aeris mortem & corruptionem dixit *pag. m. 744.* Et *Didorus Siculus lib. 5 biblioth. hiſt. pag. 739.* διὰ τὴν τοῦ ἀέρος φθορὰν peſtilentiam civitates vaſtaſſe notat. Eundem tamen aerem peſtilentialem putridum *Galenus* appellat *3. d. præſag. pulſ. cap. 3.* Aer quem inſpirando attrahimus, ubi infectus putredine ſit, ac putredo corpus cordis attigerit &c. Idem humores in nobis corruptos veneni naturam æmulari dixit *lib. d. cibis boni & mali ſucci cap. 8.* Et cucumeres & melopepones interdum corrumpi, humoremque ex hac corruptela generari, qui non longe à mortiferis venenis abſit, ut corruptio verbis explicari neſciat, *2. d. alim. fac. cap. 11.* oſtendit Quo tamen in loco iſtam corruptionem ſummam ac inſignem putredinem vocat, & *1. d. diff. febr. c. 4.* initium peſtilentis febris fieri tradit, humoribus corporis ex pravo victu in putrefactionem paratis. Ut propterea à Galeno ſummam putredinem non extenſivè, aut intenſive illis aliisque ſimilibus locis dictam exiſtimem; ſed ta-

lem

quid sit Putredo

Digitized by Google

lem corruptelam, quam verbis explicare aliter non poterat: quæ ſæviſſima poſt ſe trahat ſymptomata, atq; innatum noſtrum calorem ſua antipathia corrumpat corpusq; diſſolvat. Quod pariter ab aliis fieri conſtat. Namq; *Ariſtoteles d mirabil auſcult.pag.m.706.* Celtas venatores toxico jaculum inficere author eſt, quo percuſſus cervus putreſcat, ni vulnerata caro ocyus exſcindatur. *Idem 8. hiſt. anim. cap.29.* ex morſu parvi ſerpentis regii appellati, quem angues prægnagni fugiunt, partem demorſam continuo, ἐν κύκλῳ, circum circa putreſcere, & ex Aſpide angue medicamentum σηπτικὸν parari ibidem docuit. Erotiano σὴψ, σηπεδὼν appellatur, quod ei inſit vis tabifica, quam morſu ſuo infligit. Hinc *Lucanus*:

Oſſaq; diſſolvens cum corpore tabificus Seps.

Ab hac enim ſerpente percuſſis manifeſto ſanguinem excerni, paulo poſt vero ſaniem graveolentem, ac partes putrefactas dealbari author eſt *Aetius lib.13. cap.26.* Qui *eodem libro cap.14.* murem araneum putrefactione occidere ait. Sic *Strabo lib.15.* ex ſerpentum quarundam noctu volantium ſtillis urinæ aut ſudoris corpora computreſcere memorat. Et *Herculem*, σηπτικῷ φαρμάκῳ à *Dejanirâ*, ob amorem Joles Zelotypâ, induſio inuncto colliquatis carnibus contabuiſſe refert *Diod. Siculus lib.4. bibl. pag.169.* Per quam putrefactionem non vulgarem iſtam putredinem intelligere authores ducendum: quod ea manifeſto calore, certoq; temporis decurſu effectus ſuos præſtet; ſed inſignem corruptionem, qualem res venenatæ totius ſubſtantiæ proprietate nobis adverſæ, quæ manifeſtum calorem adjunctum habent, momento prope interdum introducere ſolent. Qua ratione auripigmentum, ſandaracha, chryſocolla, dryopteris, pityocăpe, aconitum, omnia toto genere deleteria, ſeptica medicamenta à *Galeno* nominantur *lib.5. ſimpl. 15.* appellatione minus propria; quod verè ſeptica humectent ſimul ac calefaciant: at iſta ſymptomatis ſimilitudine nullo doloris ſenſu carnem præcipuè tenellam maligno calore colliquare & corrumpere poſſint.

Curationem vero, putredini debitam in peſtilentibus febribus à *Galeno* propoſitam fuiſſe, tantum abeſt, ut ex ſcriptis deduci queat, ut potius contrariæ ſententiæ non leve argumentum inde accedat: quod talia pro curandis ægris ab eo commendentur, quæ non manifeſtis

nifeſtis qualitatibus agunt, & calori ac putredini adverſantur; ſed quæ totius ſubſtantiæ proprietate, ut loquitur *Averroes 5. colliget. 8.* veneni infeſtam vim corrigere valent: qua de re plenius in ſequentibus agetur. Quæ *libro 1. d. diff. febr. cap. 6.* à *Galeno* traduntur, præſervationem magis ſpectant, quàm curationem: quod initium peſtilentis febris fiat, ubi humores corporis ex pravo victu fuerint in putrefactionem parati. Cum enim actus agentium in paſſo apto, idoneo paratoque recipiantur, ut teſtatur *Ariſtoteles*, & *Galenus* hoc loco pluribus probat, ac humores putridi facilius hanc labem recipiant, præcavendæ putredini multo maximè intentus, incipiente peſtilenti conſtitutione corpora humida ſtatim quovis modo exiccare, ſicca in eodem ſtatu conſervare, excrementis plena evacuare, obſtructos meatus reſerare jubet. Cæteroquin idem ipſe author, quò corpus adverſus imminentem peſtilentiam invictum præſtet, theriacam ſummopere commendat: quæ qua ratione manifeſtis ſolis, an etiam occultis ſimul qualitatibus id efficiat, ſuo loco dicetur.

Ab *Aetio, Paulo, Avicenna, Rhaſe* inter febres de peſte tractatum fuiſſe fateor, non illâ ratione, ut febrilem peſtis eſſe calorem docerent, ſed cum febris peſti plerumque conjungatur, & peſtis (idem de purpura judicium eſto,) ut communis morbus, quemadmodum febris, multis morbis adjungatur, febrium tractatui eam annectere voluerunt: ne toties harum febrium peſtilentium repetita, tractatione res excederet melioris doctrinæ methodum, animumq; legentis tædio afficeret.

CAPUT V.

Purpuræ eſſentiam in putredine non conſiſtere, demonſtrat.

6. ratio

ARgumenta vero quæ putredini tantos effectus derogent, plura ſunt ac valida: quorum potiſſimum ex ipſa putredinis eſſentiâ deſumitur. Cum enim agens agat pro conditione ſuæ

ne ſuæ naturæ, & putredinis effectus manifeſti ſint, quod putredo per ſolas manifeſtas qualitates lædat, cum producatur in mixto à calore externo, diſſolvente calidum proprium, & omne putreſcat externo calore, ut ſuo concoquitur juxta *Ariſt. ſ.2. probl.33.* atque hinc fiat quod putrida omnia calefaciant, teſte *Avicenna lib.1. fen. 2. doctr. 2. cap. 15.* item Galeno *d. morb. cauſſ. 2.* ut febris ſæpius inde ſuccedatur, quæ juxta eundem *Galenum* eſt caloris nativi in igneum declinatio. *1. aph. comm. 16.* merito inde deducere licebit, febres putridas tum ratione putredinis tum ratione caloris infenſum naturæ noſtræ calorem communicare, cui reliqui adfectus in eodem morbo adſcribi debeant. At in purpura aliiſque malignis morbis cum putredinis ſæpe nullæ adſint notæ, neque inde genus atque originem trahere dici poterunt. Calor enim qui ob ſummam, profundam, largam ac ſordidam putredinem heic vehementior ac in aliis febribus eſſe debebat, principio remiſſus admodum, ſæpe nullus ferè apparet, qui nec morbo adulto in tantum auctº, ut ei tantorum tamque graviſſimorum ſymptomatum *συνδρομὴν* quis imputare poſſit: cum etiam ejus nulla indicia aliquando ſe proferant in urina, pulſu, aut exteriore corporis habitu. Quod ut quotidianæ experientiæ documento verum eſſe videmus, ita & teſtimoniis *Galeni 9. ſimplic. cap. d. terr. Samia, 3. d. præſag. pulſ. cap.3. Avicennæ lib.4. f.1. tract.4. cap.2. Rhaſis tract. 10. cap. 16.* aliorumque confirmari poterit: qui ea de re calorem hunc ne quidem conferendum ad tantorum affectuum gravitatem meritò arbitrantur. Quid, quod aliquando nullus ſe calor prodat in peſte, cujus indolem purpuram æmulari ſuperius dixi, nullâ omnino febre? ut in malignis eryſipelatibus, quæ in peſte *Aſiatica* quibuſdam ante febrem erumpere *3. epid. ſ.3. text.28.* Quod etiam ex *Galen. 9. ſimpl.* allegato, qui in peſtilentibus morbis, qui febre carent, jubet uti terrâ Lemniâ cum vino albo, colligere licet. Et tamen credibile erat, dum cor extremâ hac putredine mediatè aut immediatè afficitur, calorem auctum iri, quod, authore *Galeno 1. de diff. febr. cap.5.* impoſſibile ſit in corde eſſe putredinem abſque febre. Præterea biblioſa, pinguia, tenuia & aquoſa plerisque per alvum in peſte illa erupere, citra febrem *3. epid. ſ 3. t. 55.* quibus fluxibus alvi colliquativis in febre peſtilenti creberrimis cor-

corpus diſſolvi ac colliquari interdum videmus, citra minimum putoris indicium: cum alias profunda ac ſordida putredo cum fœtore ſit authore *Galeno 5. ſimpl. 15. 1. progn. comm. ult.* & *2. progn. com. 22.*

Quod ſi purpuratarum ac peſtilentium febrium eſſentia in putredine collocanda, annon ephemeræ atque hecticæ peſtilentes putridæ erunt? à quibus tamen humorum putredine diſtinguuntur. Hæc etiam cum indifferenter in vicina agat, ac labem ſuam communicet, putridas humorales aut ſemper præcedere, aut certe comitari hecticas malignas neceſſarium erit, quod humores partibus ſolidis facilius putredinem ſubeant, & inquinentur.

Porro illud doceri velim ab iſtis authoribus, qui profundam ac ſordidam putredinem in peſte ac purpura aſſerunt, unde iſta momento quaſi temporis introduci poſſit, ut ejus nulla præcedant indicia, cum in purpuræ primo acceſſu atque προσβολὴ talis ab iiſdem conſtituatur? Quia enim omnis mutatio in tempore fit, ut docet *Ariſt. lib. 4. acroaſ. cap. 14* in inſtanti ingens putredo produci nequit, illa enim ſenſim incrementa accipere ſolet, ut in aliis putreſcentibus rebus id cottidie accidere videmus; quæ levi quodam ſitu, ac humore madeſcere primum incipiunt, ſenſimque magis diffluere, dum tandem partium vera diſſolutio & extrema putredo ſuccedat. *Abeunte ſiquidem calore proprio,* (qui humidum cum ſicco terminabat,) *naturalis humiditas una cum eo difflatur, atque evaporat, nec amplius id, quod humorem inhibere ſolet, in ratione rerum exiſtit 4. meteor. cap. 1.* Pro mutua igitur quatuor primarum qualitatum actione ac paſſione, dum qualitates paſſivæ excedunt debitam conſtitutionem, & quod definitur potentius fuerit eô, quod definit, ob id, quod ambit continetque calidius, putredo introducitur ocyus, tardius, levior etiam atque intenſior, pro varia qualitatem diſpoſitione.

Quas vero putredinis tantæ cauſſas mihi dicti authores dabunt, an prohibitam tranſpirationem? ex *Gal. 9. m. m. cap. 3.* & *11. m. m. c. 8.* quam etiam in aliis putridis, & interdum graviorem invenient, quæ tamen ea de re nequaquam ad cenſum malignarum febrium tranſcribuntur. Et quis prohibitam tranſpirationem ſemper præſentem adeſſe dicet, nullis ejus cauſſis: dum enim aliquot millia hominum hoc morbo ſuccumbunt, quis obſtructionem iſtâ omnibus

Digitized by Google

bus adfuiſſe dicet? cum & plurimi exactiſſimè ſani, nullo aſpectabili humorum aut corporis vitio conceperint hanc labem: ut obſervaverim pleroſque roſeo colore, & qui præ aliis commendatæ conſtitutionis erant, malo præſenti abreptos fuiſſe: quod confirmat *Fracaſt. l.2. d. morb. contag. cap.9.* idemq; in peſte evenire memorat *Avicenna de removend. nocument. tract. 2. cap. 10.* Et in peſte Attica ſanos nullique corporis vitio obnoxios repente correptos fuiſſe author eſt *Thucydides l.2. bell. Pelop.* idemq; in peſte *obſervarunt Palladius Sophiſta in 6. epid. ſect. 5. comm. text. 18. Hector. Gibaltus comm. 1. Gal. d. diff. febr. cap. 6.*

An contactus rei putridæ hanc ſummam ſordidamq; putredinem cauſſari poterit? Minimè. Contagium enim putredine non conſtare certum eſt, & in loco ulterius deducetur: at quæ in purpura ſolitaria, quæ quotannis σποράδην apparere ſolet, ac ſparſim, nullo cœli aeriſve vitio, nullave contagii ſuſpicione affligit, ſola interna humorum corruptione producta, communicatæ labis excuſatio adferri poterit?

Ipſa denique putredo, quæ ſumma, quæ larga, ſordida ac prava nominatur, aut vulgaris erit, effectusq; pares, quales à vulgari putredine naſcuntur, dabit, & tum ab aliis putridis re vera non differet; quæ etiam propterea omnes malignæ eſſent: quarum tamen ſymptomata à purpuratis immane quantum diſtant! magis hercle quàm erva lupinis: aut magnum occupabit ſpacium latè diffuſa, & tum ad ſynocharum febrium claſſem pertinebit, quæ omnes neceſſario peſtilentes eſſent, cum tamen inter continuas ſint mitiſſimæ & majore putredinis quantitate luxurient juxta *Galen. d. diff. febr. l.2. c. 18.* in fine: qui in ſynochis humores in venis & arteriis omnibus, maximeque qui in maximis & calidiſſimis ſunt, efferveſcentes, eandemque cauſſam, qualem omnium febrium Praxagoras ponebat, humorum in vena cava putredinem ſtatuit, quod de ſynochis repetit *11. m. m. cap. 4.*: aut purpuræ putredo vehementia actionis alias febres excedet, & tum cauſonum febrium naturam ac indolem referet; quæ tamen ad peſtilentium & malignarum febrium genus non pertinent: quamvis fidem penitus excedat, in illo ſummo viſcerum atque totius corporis æſtu, qualem cauſi effundunt, calorem

Digitized by Google

ab ægrotis non adverti, quemadmodum in purpuratis febribus tale contingere ſolet: aut putredo purpuræ ſumma ac ſordida dicetur, ob maximos effectus, ita ut venenorum naturam æmuletur: ſed cum ea terminis putredinis deſcribi amplius non poterit, cum compertis τῆς σήψεως qualitatibus non ſolum agat; ſed jam veneni effectus imitetur, ac tota ſubſtantia nobis infenſa ſit, i. e. quia permutet corpus ex toto, quod faciunt venena teſte *Averroe lib. 5. cap. 22.* qualem venenatam qualitatem putredinis conſectariam, cum ſubſtantia rei corrumpitur, interdum obſervare licet.

Quin & hoc ſolidum argumentum eſt, in putredine nequaquam purpuræ eſſentiam collocandam: quod, cum putredo communis ſit omnium mixtorum paſſio, omniaque teſte *Ariſtotele 4. meteor. cap. 1.* excepto igne putreſcant, ut ad unam certam ſpeciem propterea determinari non poſſit, etiam aere putreſcente vim ejus πανδημὸν omni animalium generi communicari neceſſarium foret: cum agens naturale agat in paſſum neceſſitate, non ἐκ προαιρέσεως ac facta electione; cum tamen febrem malignam popularem & ipſam tandem peſtem ſolis hominibus infeſtas fuiſſe ſæpius ſit obſervatum, citra detrimentum cæterorum animalium: in quibus etiam ſuæ cuique ſpeciei ſolum hoſticas peſtes aliquando graſſatas memoriæ proditum eſt. Ita præcedente purpuratam hanc luem anno βύλαιμον habuimus, quo armenta dicta numeroſa ſtrage periere, hominibus tum (niſi quos belli calamitas raperet,) iſta contagione liberis. Et leporum quoque mortes obſervatæ nuperis annis, numeroſis exanthematibus erumpentibus: qua de re ab eorum eſu prudentiores abſtinebant. Ovium quoque, ſuum, equorum, aliorumq; animalium peculiares peſtes ſunt, quæ ſingulis iſtarum ſpecierum noxiæ, aliis diverſæ ſpeciei animalibus indemnes ſunt, quod & notavit *Virgilius 3. Georg.*

Quam multæ pecudem peſtes, nec ſingula morbi
Corpora corripiunt.

Imitamento quaſi quodam aliorum venenorum, quæ uni animalium generi inimica, alteri, tantum abeſt, ut noceant, ut potius gratum alimentum interdum præbeant juxta *Lucretium lib. 4. de rerũ nat.*

Tantaq;

Tantaq; in his rebus diſtantia differitasq; eſt,
Ut quod aliis cibus eſt, aliis fuat acre venenum.

Quemadmodum *napellum Zaratto*, Latini *Sturnellum* nominant, cibum eſſe aſſerunt *Averr. lib. 5. colliget. cap. 24.* & *Avicenna lib. 4. fen. 6. tract. 1. cap. 2.* & cicutam ſturnis eſſe cibum refert *Gal. 3. d. temper. cap. 4.* quæ inter valentiſſima homini venena alias relata. Idem de helleboro, coturnicibus familiari cibo, nobis noxio, ante *Galenum* & *Averroem* dudum teſtatus *Lucretius* loco citato, dum inquit:

Præterea nobis veratrum eſt acre venenum.
At capris adipes & coturnicibus auget.

Lepus marinus in potu aut cibo datus venenum eſt, eo tamen innoxie veſcitur mullus, ut notat *Plinius lib. 32. hiſtor. nat. cap. 1.* Cujus pariter teſtimonio *Mella Heracleæ* in *Ponto* quibuſdam annis perniciosiſſima exiſtunt ab iiſdem apibus facta, paſtu herbæ ægolethri, cujus flores concipiunt noxium virus aquoſo vere marceſcentes. Et mirum tamen eſt venena portantes fingentesque ipſas non mori nec dementari *lib. 21. hiſt. nat. cap. 18.* Et *Strabo geograph. lib. 11. p. m. 374.* mellis, quod inſaniam excitet, meminit, quo *Septempagani* tres *Pompeii* cohortes conciderunt. Nux vomica quibuſdam animalium temere miſcetur cibis: canibus enim vulpibusq; experimento fido necem infert, homini futura ἀλεξητήριον, ut quæ dudum nomen ſuum inter ἀντιφάρμακα remedia fuerit profeſſa. Quin ut certa venena determinatis partibus bellum indixere, cantharides veſicæ, lepus marinus pulmonibus, fungorum quidam ventriculo; ita malo quaſi eligente peſtilentes ac purpuratas febres certas aliquando partes occupaſſe, in quas vis omnis mali detonaret, litterarum monumentis conſtat. In horrenda peſte Aſiatica eryſipelata maligna præcipue caput occupabant, teſtibus *Hippocr. Thucydide* & *Lucretio. Galenus 3. d. uſu part. cap. 5.* refert, quandam peſtem in ſummos pedes graſſatam, *Euſebius lib. 9. hiſtor. Eccleſ. cap. 6.* peſtis meminit, quæ cum anthrace in oculo affligebat: item alterius peſtis, qua infecti ſternuendo peribant. *Colica Pauli Æginetæ* inteſtina affligebat *lib. 2. cap. 18.* & *lib. 3. c. 43.* In *lue Pannonia* præter reliqua ſymptomata ægroti omnes ſub ſterno ad cartilaginem ξιφοειδῆ renitentiam & duritiem quandam ſenſere, ut, ſi locus iſte ſummis duntaxat digitis paullo durius

Digitized by Google

comprimeretur, ejulatu edito vehementiam doloris teſtarentur, authore *Thoma Jordano de peſtu phænom. tract.1. cap.19.*

Illud quoque fidem facit putredine eſſentiam purpuræ non definiendam, quod in ea manifeſta contagii adſint indicia: quamvis illud minore feritate ac in ipſa peſte ſæviat, cujus natura aliò, quàm ex putredine, eruenda principio. Etſi enim putridum contactu vicina corpora ad putredinem apta putrefaciat, & putrida prompte exhalent, (quod conjunctus fœtor oppido demonſtrat, ut animam contrahamus, ne teter odor nares feriat; qua ratione & commoto ſterquilinio quoquoverſum effundi vapores videmus) ut expirans putridus vapor vicina corpora ſua labe facile inquinare poſſit: putredo tamen calore externo certo temporis decurſu ſolùm introducetur, non in inſtanti, quemadmodum hanc luem momento communicari videmus. Neq; enim ſi quis manum ſuam acervo frumenti putreſcentis aut pomorum putridorum, aut fimeto imponat, ſtatim putreſcet & corrumpetur. At in contagio, nullo caloris exceſſu, ſolâ communicatione labis affectio conſimilis alteri infertur: ad quam rem μιάσματα illa requiruntur, quæ contagii ſpeciem aliò transferre valeant: quæ Hippocrates νοσερὰς ἀποκρίσιας vocavit, quas proprietate ſubſtantiæ magis, quàm manifeſta qualitate offendere *Galenus comm.2. ad lib. d. nat. hum.* dicebat. De qua rerum ἀπορροίᾳ eleganter *Lucretius lib.6. de rer. nat.* pluribus egit, confeſſus eſſe

Multa, homini quæ ſint vitalia: multaque morbos
Incutere, & mortem quæ poſſint accelerare:
Et magis eſſe aliis alias animantibus aptas
Res ad vitai rationem.

Nec obſtat *Zacuti* argumentum, quo uno contagium à putredine dependere ſufficienter demonſtrari poſſe exiſtimat *lib.1. hiſtor. princ. med. 84. quæſt.50.* Quod, cum in omni contagio requiratur vapor ita notabiliter infectus, ut ſufficiat alterius humores vitiare authoritate *Ariſt. 7. problem. 8.* ad id requiratur magna humorum agitatio, quæ non niſi à putreſcente calore fieri poſſit: cum innatus emendet malitiam fomitis, nec ita moveat, aut agitet, nec patiatur ita infectum producere vaporem: exurens vero calor qui extraneus dicitur *Ariſtot. 4. meteor. 2.* cum validus ſit nimiumque intenſus,

potius

potius diſſipet, attenuet & diſſolvat ſeminarium mali; qua ratione ſub fervidæ æſtatis calore plerumque ſedetur peſtis: ut propterea ſolus putredinoſus neceſſarius ſit ad omne genus contagii. Quod in aliis putridis morbis per viciniam, expirationem, tranſpirationem, decubitum, aut quemvis alium adhærendi contactum, aut fomitem ſeminarii relicti in veſte, ſtragulâ, domô aut quavis aliâ materiâ aptâ ad ſuſcipiendum, diuqꝫ ſervandum, productis obſervari credit.

Verum etſi neceſſario aliquod medium requiratur, per quod affectus in aliud corpus traduci queat: illud tamen magna humorum agitatione ſemper fieri plane nego, ſiquidem *ἀντιπαθείας* plurimarum rerum attentius paulo conſideremus, quæ nulla agitatione valida, multo minus putredine vires ſuas vicinis corporibus communicant, quod exemplo Magnetis confirmatur ex *Galeno 6 loc. aff. cap. 5.* Ferrum enim quod tetigerit, ei adhæret: deinde, ſi aliud id, quod primo tactum fuerit tetigerit, ſimiliter, ut primum, illi inhærebit: poſtea tertium ſecundo. Quin nec affrictu aut tactu ſolum magneticam virtutem ferro communicari; ſed & ſolâ magnetis præſentiâ id effici videmus: acus enim in vicino magnetis poſita, eâ tamen diſtantiâ, ut vis magnis ad acum pertingere, ferrumqꝫ trahere, non vero tangere poſſit, viribus magnetis perfuſa hujus effectus dabit: namque librata ad polos ſe vertet, ferrique ramenta magnetis inſtar ad ſe rapiet. Quid quod virtutem talem per medium tabulatum aliudve durum corpus ferro communicari conſtet; ut obſervavit *Nicolaus Cabeus lib. 3. magnet. philoſoph. cap. 21.* & *lib. 2. cap. 6.* Namque ut vere *Lucretius* ex *Epicuri* ſententia *6. d. rer. nat. pag. m. 160.*

Principio omnibus à rebus quaſcunque videmus
Perpetuo fluere ac mitti ſpargiqꝫ neceſſe eſt.
Corpora.

Quod poſtquam variis exemplis frigoris à fluviis, caloris à ſole &c. probarat, porro inquit,

Denique in os ſalſi venit humor ſæpe ſaporis
Cum mare verſamur propter; dilutaqꝫ contra
Cum tuimur miſceri abſinthia, tangit amaror:
Uſque adeo omnibus ab rebus res quæque fluenter

Fertur, & in cunctas dimittitur undiq; parteis.
Nec mora nec requies inter datur ulla fluendi.

In corpore etiam humano, quod in perpetuo fluore eſt, ut docet *Galen. lib. 1. ſan. tuend. cap. 2.* propter inſitum calorem *lib. citato cap 3.* plurima excrementa per poros cutis transfundi videmus, quod hyberno tempore potiſſimum nobis obſervare licet, aeris frigiditate exeuntes ex corpore halitus condenſante. Illis igitur foras prodeuntibus, quid vetat μιάσματα corrupta ſimul effundi, quæ ab alio recepta, eidem noxam communicent? præcipue cum natura conſervandi ſui corporis adeo ſollicita materiam noxiam, non tamen ſemper putreſcentem, alterare, & foras propellere conetur: cui rei dum operatur, vapores elevari neceſſum eſt, qui ad cutem foras propulſi, nec dum à natura victi conceptæ labis contagio in vicino corpora contaminant: neque enim illos, ut productos venenatis humoribus ſuperare naturalis calor ſemper poteſt, feſtinatâ ante coctionis tempus eorum excretione: quod in morbis venenatis ſæpe fieri ſolet; qui etiam quod toto genere à natura noſtra alieni ſint, ſuperari ſemper nequeunt, cum ipſum hominem aliquando perimant. Quin noxium ſerpentum virus ab eorum innato calore aliquando per vicina loca latè diffundi experientia docet: id enim à putrido calore fieri nequit, quo brevi interirent, ſed ſibilo, ſed prava ἰδιότητι ac ſpiritali veneno, quod illis naturale ac vernaculum, homini aliisque animantibus toto genere deleterium exiſtit. De calore exurente nihil dicam, quod iſte ſeminaria contagii diſſipet, extenuet & reſolvat, nec tantus calor in corpore reperiatur: quamvis & æſtate increbreſcere peſtem ſit obſervatum, ut in noſtrâ proximâ Anni cIↄ Iↄc XXXIX. itemq; Patavina anni cIↄ Iↄc XXXI. quarum utraque æſtate graviter ſævit, adveniente frigore penitus intercepta. Putridus vero calor quàm ille ad contagium plane non requiratur jam docui. &, ſi putrida putrefaciant, non putredinis ratione ſed illorum ſeminariorum, quæ adeo fortem & elaboratam mixtionem habent, ut noxam alteri corpori communicare queant, id facient: cum morbi reperiantur à putredine producti, à quibus tamen illa vis contagii penitus abeſt. Nec enim tertianæ, quartanæ, continuæ febres, contagio ad alios transplantantur, quod ſeminaria ita elaborata illis deſint niſi forte epidemiæ ſint: tunc enim pro-

propriam contagii eſſentiam jam conjunctam gerunt. Sed nec morbi contagioſi, quod volebat Zacutus, omnes putridi exiſtunt, quod eorum plurimi reperiantur, in quibus nullas notas putredinis reperire licet, quamvis actu jam morbus affligat. In demorſis à cane rabido nulla indicia putredinis nec in vulnere, nec urina pulſuve advertere licet, etſi in aliquod tempus fuerit dilata curatio: niſi forte aucto jam malo ex furore ac vehementi corporis commotione accenſi humores putredinem patiantur, ut notat *Valleriola append. loc. comm. pag. 58*. Ita concepta ſyphilis omnis putredinis expers eſt, nec calore aliquo moleſta, nec aliqua indicia putredinis in urina ac pulſu exhibet: niſi jam morbo provecto tantæ corruptioni ſuccedens putredo ea tum demum proferat. Et cur contagii fomes non putreſcit, ſi ex putredine illud dependet? quod eo, accedente corporum diſpoſitione, lues hæc communicetur, & putredo, ut jam demonſtratum eſt, ſit communis omnium mixtorum paſſio, putridumque contactu putrefaciat: cum tamen conſtet eum exortem omnis putredinis per plures menſes ac annos integrum permanere.

Tandem cum in purpura ſymptomata obſerventur, quæ putredinis conſectaria non ſunt, ſed peculiarem, ſuæq; eſſentiæ propriã indolem habent, & quæ non morbi magnitudinem ſed ejus morem exprimunt, nec curatio putredini conveniens heic prodeſſe ſoleat, etiã aliunde de ducenda morbi præſentis eſſentia, quàm notis caloris aut putredinis principiis, quæ ultra ſortem ſuæ activitatis non agunt, nec diverſa ac majora pro eſſentiæ ratione ſymptomata cauſſantur, facileque notis adverſus putredinem remediis plerumq; ſuperantur. In purpura enim blanda plerumque facie ac lento gradu vis morbi procedit, ut ægrotos, adſtantes, & tantùm non medicos aliquando decipiat: ſymptomata vero præterquam in ſpeciem apparent, truculentiora ſunt, perniciemque præſentem inferre ſolent. Idem in peſte Aſiatica contigiſſe legimus *3. epid. ſ.3. t.9. & 12.* ubi morbi referuntur qui plerumq; non ſunt κακοήθεις: qui tamen in illa conſtitutione peſtilenti malignitatem adjunctam habuere. Et Carbunculus tum familiaris, eſi alias per ſe ſatis periculoſus ſit, illo tamen tempore gravior ac perniciosior erat, quod ultra nativam malignitatem, etiam quam ſtatus peſtilens afferebat, adjunctam haberet. Hinc

Gale-

Digitized by Google

Galenus 3. *de criſibus cap.* 4. non ſolùm eſſentiam, magnitudinem & motum morbi, ſed & ejus morem medicos attendere monebat, quod reperiantur febres, quæ minimè vehementes ſunt, mortem tamen inferant: contra vero aliæ dentur incendentes, ſtomacho anguſtiam, calorem ac ſitim afferentes, quæ tamen nihil periculi gravioris ægroto portendant. Ea de re medicos Galeno coætaneos opinione ſuâ falſos arbitror, quod in illâ peſtilenti temporum conſtitutione febres ex pulſu, urinâ & calore cognoſcere vellent, ut conſtat ex *3. d. præſag. pulſ. cap.* 4. Neq; enim indicia caloris inde aucupari licebat, quod febris peſtilentis calor levior eſſet, teſte *Galeno loco citato & 9. ſimpl. cap. d. terr. Samia*; & illi morem morbi ſive ejus malignitatem, in qua character febris peſtilentis præcipuè eluceſcit, ignorare aut negligere viderentur. Curatio quoque purpuræ à putredinis curatione diverſa eſt, ſuisque abſolvitur remediis, quæ pravam ac malignam corruptionem, ut principem cauſſam, non vero putredinem tollant. Hinc etiam communia removendæ putredinis auxilia pleraque ſuſpecta, nec niſi magna cum cautione adhibentur. Quod ſi quædam ex illis remediis corrigendæ putredini auxiliari quis dicat, ut dum veſtes, ſtragulas, infecta loca mutare, aëremque perflatu liberiorem parare jubemus: præterea plurima medicamenta adverſus putredinem ac putridas febres adhiberi ſolita, heic uſurpari, objiciat; ſciat, iſta non putredini, ſed pravæ ac deleteriæ corruptioni vitandæ atque emendandæ proponi, quò aër purior nullisque perfuſus inquinamentis hauriatur, idemq; patentibus feneſtris admiſſus recentetur, ac fœda *μιάσματα* in minimas partes redacta diſſipentur, ne contactu alios inquinent: medicamenta vero talia eſſe, quæ, præterquam quod putredinem emendent, etiam corruptionem malignam expugnare valeant; cùm plurima reperiantur, quæ uni eidemque diverſis ſpecie morbis ſalutaria uſus monſtravit: quamvis iſta putredini, ut corruptionis conſectariæ conferant; aut, dum putredo corruptionem iſtam deleteriam prægreſſa, purpuratis febribus dedit originem, uſurpentur: tum enim illa ut cauſſæ morbi feliciter adhibentur; ita tamen eorum uſu reſtricto, ne pernicioſa corruptio per putredinem introducta penitus negligatur.

Ex

Ex quibus omnibus liquidò conſtare arbitror, purpuræ eſſentiam nequaquam in putredine poſitam, nec ea definiendam, ſed aliunde ac diverſis multò principiis, unde tanti vis morbi dependeat, eſſe petendam: ut, qui ſtudio partium contrarium ſentiunt, & devoluti ad nova commenta verborum, quibus ſuum quisque errorem velare ſatagit, manifeſtis qualitatibus hujus morbi naturam deducere volunt, rationes ineptas, ac nullius momenti futuras afferant; aut, cum rerum cum propriis principiis repugnantiam advertant, ea negare cogantur, quæ ſunt manifeſtiſſima, ac evidenti experientia totiens comprobata: quorum illud *Epicuro*, hoc *Aſclepiadi* in de virtute magnetis diſputatione *Galenus* objiciebat *lib. 1. d. fac. nat. cap. 14.*

CAPUT VI.

In quo purpuratæ febris eſſentia proponitur.

ALiis igitur & à putredine multò maximè differentibus principiis purpuræ eſſentia eruenda: quam vetere voto propriã nos docere indolem vellem: quod eam non ſuâ ſpecie; ſed per accidentia & ex effectibus ſolis, ut corpus ex umbrâ, deprehendamus: ſicut enim vulpes eluſa à ciconia, vitreum vas lambimus, medullam non attingimus, ut verè *Scaliger exerc. 307. ſ. 21.* dicebat. Nam ruinâ generis humani tranſenna intellectui noſtro obtenſa, ut rerum naturam ac indolem *ἐκ μέρους, non ex toto*; aut *ſaltem ſimulachra rerum*, ut cum *Apoſtolo* loquar *1. Cor. 13. v. 12.* δι' ἐσόπτρου, ἐν αἰνίγματι cognoſcamus. *Princeps Aboali* in re perplexâ difficultatem faſſus *lib. 4. f. 1. tract. 4. cap. 2.* hæſitare medicos in eſſe ejus teſtatur.

Cum autem in præſenti morbo veneni ἀχώρησις indicia adſint, qualia in aliis putridis febribus nulla reperies; ſed quæ aliorum venenorum, tam quæ foris adveniunt, quàm quæ à virulentis ſuccis intus deliſcentibus in nobis naſcuntur, verum atque eſſentialem characterem exprimunt, etiam ad claſſem venenatorum mor-

H borum

borum purpuram transferendam cenſeo. Ea enim ut & aliæ peſtilentes, ac malignæ propriè dictæ febres eſſentialiter & modo læſionis toto genere diverſo lædunt, tam vehementiâ; quàm pernicie, & ſymptomatum *ἰδιότητι ἀῤῥήτῳ*, quod non faciunt putridæ febres. Quod namque de peſte *Gal. lib. de theriaca ad Piſonem cap.16.* ſcripſit, illud horſum ad purpuram merito flecto, quæ illi analoga eſt, quamvis contagio minus ſæviat. Non paucos aliquot miſerè perdit: verum totas civitates depopulatur: attrahunt enim & heic ſæpe in ſeipſos aërem infectum, tanquam præſentaneum venenum. Quod ſi *τὰς φορὰς* ſeu impetus *τῶν νοσημάτων αἰεὶ ἐπιδημεόντων* monente *Hippocrate 3. progn.38.* accuratius etiam in purpura conſiderare velimus: quis primo acceſſu morbi invadendi modum non admiretur? dum cuncta interdum plena ſymptomatum graviſſimorum, quæ ſævitia motusque celeritate excedunt perniciem, moremq; ac modum aliorum ſimplicium morborum. Quis non obſtupeſcat, nullis evidentibus cauſſis, quibus tantorum malorum congeries imputari queat, vires incipiente morbo aliquando penitus defectas, enormes illos vomitus, cordis anxietates & compreſſiones, jactationem corporis, & quod ſemper nudari cupiant, exteriora frigida, interioribus æſtuantibus, faciem Hippocraticam, mortuoſam, aliaque ſymptomata, quæ inter initia morbi aliquando plura ſuccedunt? quæ præterea ultra ſolitum heic maligna ſunt, veneniq; præſentiam oppidò teſtantur: quorum ſi unum alterumve ſymptoma ad exquiſitam veri judicii lancem revocetur, medicum admonere poterit, altiore cauſsâ, &, quæ trans elementum ſit, virtute iſta dependere. Quibus procedente morbo tot gravium, ſymptomatum numeroſam ſobolem, quæ in ſignis ſigillatim videbimus, morbique *δυσκρισίαν* merito adjungo; quam infelix! quam minus tuta heic ſit criſis! ſecus quàm in aliis morbis evenire conſuevit; dum in purpura pleraque in perniciem ægri concedunt, morbusque qui jam deſinere videbatur, crebris recidivis repetit. Poſt mortem quoque corpus brevi plerumq; intumeſcit, follis pugillatorii inſtar diſtentũ, purpuræ veneno fermentatis ac corruptis humoribus, & quoquoverſum erupturis: hinc & idẽ corpꝰ aut livens aut nigricans variisve maculis, per ſumma ejus diffuſis, infectum conſpicitur, idque paulo

poſt

Digitized by Google

poſt mortem gravi putredine, cui intolerabilis fœtor adjunctus ſit, incipit diſſolvi ac corrumpi. Quibus duobus poſtremis ſignis fidem meam liberavi, quam de malignitate febris, infeliciq; eventu curationis interpoſueram apud Nobiliſſimam *Magdalenam* von Thienen matronam omni laudum ac virtutum, quæ ſexum iſtum decent, encomiô commendatiſſimam, in cujus gynæceo fato ſuo morboque præſenti defuncta ex ſorore neptis; etſi, dum decumberet, nullis ſtigmatis maculatum corpus appareret, nec tam gravi morbo attineri ægra ſibi aliisq; videretur. Sic in peſte graviſſima Attica aliquid aliud præter conſueta in defunctis obſervatum memorat Thucydides: animalia carnivora defuncta morbis corpora non attigiſſe aut iis guſtatis deceſſiſſe.

Argumentum hoc ab effectibus venenorum pro aſſerenda purpuræ deleteria qualitate deſumptum ſolidùm eſt: quo etiam Galenus veneni intus hærentis præſentiam arguit, eoſdemque affectus & à lethalis veneni potione, & à corruptione venenata in corpore humano producta fieri demonſtravit *6. loc. aff. cap. 5.* cui ſuccenturiantur loca ejuſdem *Galeni 3. loc. aff cap. 7. & 2. in 1. prorrhet com. 17.* quo in loco item *3. in 3. epid. comm. 75.* exempla pro hujus rei documentis affert. Eadem ratio quibuſdam perſuaſit, ut in atrociſſima illa peſte Attica, venenum, unde horrenda iſta lues eſſet oborta, in puteos à Peloponnenſibus projectum arbitrarentur, referente *Thucydide lib. 2. bell. Peloponn.* Quale conſimile exemplum meo tempore Patavii contigit, ut, dum quidam ex aula Principis Rhotomagenſis, apud Venetos ſupremi Mareſcalli bellici officium gerentis, bufones & araneos, aliaq; id genus paradæ antidoto ſingulari dilectu conquirerent, plebes ſeminaria peſtilentiæ, quæ tum Venetiis *Anno* CIↃ IↃC XXX. graviſſime ſæviebat, ab iiſdem ſpargi rata, impete facto ad dicti Principis palatium rueret, ac difficulter tandem, nec niſi melius edocto Prætore Patavino, tumultus iſte componeretur. Errorem vero Athenienſium *Aretæus* notavit *lib. 1. de cauſſ. & ſign acut. morb. cap. 7.* cui occaſionem dediſſe ſcribit, *quod homines peſtilentis morbi cum lethalibus medicamentis ſimilitudinem ignorarent.* Nam ut idem author paulo ante monebat: *infinita eorum, quæ in homine ſunt, eandem ſpeciem cum exterioribus cauſſis obtinent. Succi per-*

dentes intra corpus ſunt, & exterius; morbi quoq; medicamentis pernicioſis aſſimiles, & à medicamentis talia vomuntur, qualia ob febres vomere ſolent. Obſervatum tamen peſtem aliquando veneficiis divulgatam. Ita *Livius Decad 1. lib. 8.* matronas quaſdam Romanas venena coxiſſe, peſtemque per urbem diſſeminaſſe refert: re per ancillam prodita & delata ad *Q. Fabium Max.* ædilem curulem, *Cornelia* & *Sergia* patritiæ gentis fœminis cum aliis hauſto veneno mortuis, CLXX. aliis matronis damnatis. *Xiphilinus* quoque in Commodo peſtem ſæviſſimam per acus venenatas traductam narrat, quâ una die ſæpe bis mille homines Romæ interierint. Sic tabo ac ſanie ex ulceribus & cadaveribus peſte defunctorum fluente poſtes, limina domorum, manubria januarum à malitioſis hominibus infecta diverſi authores memorant: quorum ſeriem collegit *Untzerus lib. 1. d. peſte c. 17.*

Quod ſi quis infeſtam horum accidentium vim, morbo præſertim incipiente, perpetuùm adeſſe neget; ſed ſymptomata ut plurimùm adeo leniter afficere dicat, ut ægroto aliiſque ſpem ocyus recuperandæ valetudinis promittant: ementitus tamen hic favor prudenti & circumſpecto medico jure ſuſpectus eſt, qui etiam in minimo ſymptomatum, quæ in hoc morbo quaſi alia à ſe ipſis ſunt, notas reperiet gravioris mali: ſæpeque Amice Lector, ut hanc in rem liceat commodato petere Poetæ verba, alio quidem propoſito ab eodem dicta:

——— exiguus mus
Augurium tibi triſte dabit.

Cujus rei exemplum, quam in malignis morbis ex levi in ſpeciem ſymptomate κακοήθεια morbi, atque opinione gravius periculum cognoſcere medico liceat, ex *Galeno* repeto *2. in 1. prorrhet: comm: 17.* ægroti ſcilicet, ob laſſitudinem, ut videbatur, maxime modicam febricitantis, qui poſt quartum diem urinam ſecrevit ſubſtantiâ quidem tenuem, ſed colore nigram: hic etſi videretur quarto die benè habere, ita ut ſequentibus diebus lavaret; ſeptimo tamen die veſperi, cum febrire cœpiſſet, tabefactus obiit. In quo morbo ſollicitum malignitatis medicum attinere poterat, quod leviſſimâ prægreſſâ laſſitudine, gravis morbus, qualis febris, ægrum corriperet, juſto metu, graviorem intus latere cauſſam, quàm ut laſſitudini admodum m-

modum modicæ is imputari poſſet. Tum vero malignitatem fallaciſſimi morbi ejusq; infidam fore allevationem: magis vereri oportebat, quod ille die quarto remitteret, ita ut ſequentibus diebus æger lavaret, nullis ſublevamenti illius cauſſis; & quod urina tenuis ac nigra fueret. Neque enim fidendum, ſi quid in morbis acutis fiat præter rationem levius, monente *Hippocrate 2. aph.27.* ſi ſcilicet nulla facta fuerit materiæ peccantis evacuatio, quæ tollendo morbo par ſit; aut præceſſerint ſigna coctionis: quam & heic abſuiſſe indicabant urinæ tenues: quarum conjuncta nigredo maximum exceſſum caloris viſcerumq; ac humorum incendium arguebat, ut de nigris urinis docuit *Galenus 2. prog.29.* & *1.d.criſ.capit.1.* Hinc & ab Hippocrate *2. progn. t 33.* damnatæ, (ut & nigra nubecula in urinis *text. 29*) & quibus in febribus ardentibus immineret periculum pro ſigno poſitæ, *1. epid. ſ.2. text.75.* Quod & in hoc caſu eventus morbi luculenter confirmavit: namq; æger ſeptimo die veſperi, cum febricitare cœpiſſet, tabefactus obiit, memorabili exemplo, quod poſteritas admiretur, maligni morbi vi ſyntecticâ hominem unicâ die tabefactum deceſſiſſe.

Alterum argumentum pro aſſerendâ purpuræ deleteriâ qualitate curatio ejuſdem nobis ſubminiſtrat. Ea enim ab aliarum putridarum θεραπείᾳ δὶς διὰ πασῶν differt, &, niſi per mortes, verbô *Plinii lib.29. nat. hiſtor. cap.1.* mihi loqui liceat, experimenta facere quis velit, aliam curandi rationem ac medicamenta poſtulat, quæ totâ ſubſtantiâ venenum excludant, ejusque malignitatem corrigant: qualia in aliis venenatis morbis proficua uſus notavit. Ex quibus theriaca primo loco conſideranda, quam & heic innoxiè pro ſuperandâ morbi malignitate, decenti modo exhibere licet, maximis laudibus nobilitatum in peſte medicamentum à *Galeno lib. d. theriaca ad Piſonem cap.16.* *Quod ſola ſcilicet in peſtilenti conſtitutione languentibus poßit ſuccurrere, imo inſtar ignis purgatorii & ſanos à fœdâ contagione præſervet, & jam infectos curare poßit, cum aeris inſpirati malignitatem corrigendo; tum corporis temperaturam corrumpi non ſinendo.* Eadem etiam ſuas ἐπαγγελίας apud cujusq; ſeculi medicos habet, apud *Paulum lib.2. cap.36.* *Aetium tetra bibl. 4. ſerm.1. cap 96.* *Avicennam lib.1. ſumm. 1. tract. 1.* & alios. Nobile hoc antidotum certe non conveniret in

 morbo

morbo calido & ſicco: qualem purpuram eſſe novi iſti Alexandrei deſcribunt, cujus calor facile augeretur uſu calidioris remedii: ſed nec aeris conſtitutio vel ad calorem vel ad frigus prona hujuſmodi remedio tolleretur, cum & ille ſimul invaleſceret; hoc adeo cito jugulare hominem non poſſit. Quin potius theriaca multo nobilioribus, & quæ proximè à forma fluunt, qualitatibus in peſte peſtilentibusque febribus operatur, quibus etiam venenis venenatisque morbis feliciter medetur, propterea relata à *Galeno 6. in 6. epid. com. 5*, & *1. de antidot. cap.1.* inter alexipharmaca à totâ ſubſtantiâ agentia. Quam ob rem conſimilem etiam totius ſubſtantiæ morbum oppugnare ac ſuperare, talemque purpuratam eſſe febrem, ac veneni participem ex natura ac lege actionis ac paſſionis oppido demonſtrare poterit: quod omnis actio ſit inter contraria, quæ ſub eodem genere continentur, ut notum ex *Ariſtot. lib 1. de generat. & corrupt cap.7. Cum non quodvis agere ac pati natum ſit, ſed quæ aut contraria ſunt, aut habent contrarietatem: tam agens quam patiens genere quidem ſimile ac idem, ſpecie diſſimile atque contrarium eſſe neceſſe eſt. Nam corpus à corpore, & ſapor à ſapore, & calor à calore, & in ſumma, quod ejuſdem eſt generis, ab eo, quod itidem ejuſdem eſt generis, pati aptum eſt.*

Præter theriacam etiam alia remedia in his morbis nobis uſus commendavit: quæ cum alexiteria ſint, purpuratæ febris venenum pari argumentô atteſtari poſſunt: bolum Armenam, terram ſigillatam Lemniam, Sileſiacam, C. C. tormentillam: ſemina acetoſæ, citri, ſcordium, dictamnum Creticum & noſtratem, valerianam, angelicam, & cætera de genere iſto alexipharmaca: quæ heic non manifeſtis quatuor primis qualitatibus, non ſecundis, aut tertiis; ſed à tota ſubſtantia agunt, quemadmodum alia alexipharmaca ſuas operationes efficere ſolent. Non enim bolus Armenia, itemq; terra ſigillata argillariâ agunt qualitate; alias aliæ terræ conſimiles effectus præſtarent: nec adſtrictione, alias, quia poſt venena exhibentur, à tergo inſtarent venenis, fortiusque conceptam malignitatem partibus, imprimerent. Vis certè ſiccandi tantopore in hoc morbo, non requiritur, ut eam ob cauſſam ſuperiora exhiberi aſſerat *Minadous*: ſiquidem tum alia ſiccantia eoſdem effectus haberent: qualia ſunt oſſa humana, ſæpiæ, buccinæ & aliorum conhyliorum cineres, item

item pumex, creta &c. Multa enim deſiccant vehementius, quæ cum inepta, tum inutilia ſunt, veluti pumex. Nempe deſiccationibus peſtis purpuraque haud tolluntur è corpore. Quid? Peſtem purpuramque non niſi ab humiditate fieri quis dixerit? At fieret ſi deſiccatione auferretur. Nec rationem video, cur jam recenſa alexipharmaca in aliis ſimpliciter putridis locum non inveniant, in quibus tamen bolus Armena, terra ſigillata, rad: tormentillæ &c. temerè exhiberentur: quod cauſſam obſtructionis virtute adſtrictoria, quam habent, magis fovere poſſent. Cur pariter alia, quæ, reſerandis obſtructionibus longa experientia approbata, agrimonia, cuſcuta, centaurium minus, cichorium heic & in peſte non exhibentur? Nam de carduo benedicto, aceroſa, ſcorzonera aliiſque talibus diverſa plane eſt ratio: cum ea non modo obſtructiones viſcerum reſerare, verum etiam veneno & malignæ qualitati reſiſtere ſit obſervatum. Imo vel nulla in purpura medicamenta invenies, quæ è diametro morbo oppoſita vim ejuſdem jugulare poſſint, quæ non alexiteria ſint, & nomen ſuum adverſus venena, venenataſq; feras commendarint, nullâ ſolâ ſimplici elementarium qualitatum alteratione; ſed totius ſubſtantiæ proprietate, quæ à certa forma vegetatur, qua lapis Heraclius ferrum trahit, & ut *Claudianus in epigrammi* ſcribit,

> *Ex ferro meruit vitam, ferrique rigore*
> *Veſcitur, has dulces epulas, hæc pabula novit:*
> *Hinc proprias reparat vires; hinc fuſa per artus*
> *Aſpera ſecretum ſervant alimenta vigorem.*

Et tamen ipſa hæc alexipharmaca in venenis venenatiſq; morbis medentium uſu totiens feliciter experta infelici eventu ſæpe heic adhibentur, quemadmodum in peſte idem evenire obſervamus. Namq; in *Atticâ* peſte crudeliſſimâ teſtimoniô *Lucretii*:

> ——————— *muſſabat tacitô medicina dolore.*

Illudque inſolens, quod animos affligeret, tum accidiſſe Thucydides narrat: *quod quicquid fieret proficeret in morbum: perirent alii per inauriam, alii per multam curationem, nec de ullâ medicinâ conſtaret, quam quis diceret, utilem fore, ſi offerretur: quod enim alteri proderat, id officiebat alteri.* Ut propterea difficultas illa curationis merito nos

com-

Digitized by Google

commonefacere debeat, morbum non tam manifeſtis qualitatibus afficere (ſiquidem contrariis præſertim inter initia facile tolleretur,) ſed occultioribus: quarum cognitio ardua inprimis & prope imperveſtigabilis, & ut illæ in agendo potentiſſimæ ſunt; ita medici ſolertiam viresque efficacium remediorum ſæpius eludunt. Hinc ad ſacros cultus quoſdam devolutos oblatis ſacrificiis tanti mali remedium à Deo quæſiviſſe ſuperius demonſtravi.

Tertio purpuræ venenum demonſtrare licet, ex modô, quô illa communicatur: dum enim lues hæc, peſtis æmula, varia loca circuit, & ipſum aliquando tranat mare, diſſitasque provincias pernicie ſua afficit: aut dum reſeratis antris, ſepulchris, rebusve longo ſitu obductis commotis quoſdam prehendit, quis eâ in re veneni æmulam ac peremptoriam vim non agnoſcit, aeris aut venenoſi halitus potentiſſima actione purpurata malignitate in corpus introducta, ut non tantum quæ vitioſis ſuccis abundant corpora, ſed & omnium medicorum calculo laudatæ conſtitutionis judicata, properè abripiat? cum nunquam manifeſtis qualitatibus, quantumvis validis (quas etiam tum abfuiſſe ſenſuum teſtimonio conſtabat) tanta vis agendi aſcribi queat: venenorum namque proprium eſt, ut parva mole magnas vires gerant juxta *Galenum 3. d. loc. aff. cap. 7.* Quem venenoſum halitū pares effectus, ac conſimilem purpuræ eſſentiam producere credendum. Ipſa quoque vis contagii (quo proximè putredini tantos effectus derogavi) huic morbo conjuncta, venenatam ejus indolem promptè indicat: quamvis enim purpuratæ febres, præcipue ſporadicæ, contagii aliquando exortes ſint: epidemiæ tamen illud ſatis validum conjunctum habent: & in exiguo fomite, panno lineo, laneo, goſſypino, aut plumis vis hujus morbi tralatitia facta, latè diffuſa obvios inquinat, nullô interdum diſcrimine ætatis, ſexus, temperaturarum: idque penetrantiſſimâ conceptæ labis *ἐνεργείᾳ* perficit, nullo, quantum ſenſibus cognoſcere datur, manifeſtarum qualitatum exceſſu, (cum nec hæ tam parva molo tantas vires ſpirent, nec adeo ſubito alterius corpus trajicere, illudq; tam pertinaciter alterare, atque inhærentem cauſſam morbi cõmunicare poſſint,) ſed ſingulari corruptione in fomite deliteſcente; quæ in propagationem ſui fœta, conſimilem deleteriam qualitatem

tatem alteri communicat, aliorum contagioſorum venenorum more, quæ deleterium virus exiguo & fere contemnendo principio transferre ſolent.

Ultimò teſtimoniis ex veterum medicorum monumentis depromptis ſententiam de purpuræ deleteriâ qualitate confirmare licebit; Galeni præcipuè, qui *lib. d. theriac. ad Piſon. cap. 16.* ubi de peſte agit, quod ea integras civitates depopuletur, cauſſam refert in aerem, quem homines attrahant *tanquam præſentaneum venenum.* Idem quoque author *lib. 2. nat. hum. comm. 4.* teſtatur communes morbos fieri interdum ob vapores à paludibus, ſtagnis & locis cœnoſis expirantes; interdum vero ob exceſſum tempeſtatis temperiei: evaporationes autem magis lædere totius ſubſtantiæ proprietate, quàm ex ſimplici qualitate eodem loco ait. Ubi per tota ſubſtantia lædentia nihil aliud quàm venena intelligit: cum ab eodem *6. in 6. epid. comm. 5.* quatuor ſaltem referantur, quæ totius ſubſtantiæ ratione agunt: venena ſcilicet, medicamenta, alimenta & alexipharmaca: ad quorum nullum hoc in loco etymon phraſeos, niſi ad venena transferri poſſe certum eſt: quod & confirmat, dum expirationes ejusmodi à totâ ſubſtantiâ potius, quàm manifeſtis qualitatibus agere dicit, illam ab his manifecto diſtinguens. Iſtas vero *νοτερὰς δυσκραςίας* in aere contentas ab *Hippocrate* venenatas judicatas fuiſſe, curatio ibidem propoſita luculenter demonſtrat: dum loco citato ad duos ſcopos omnem medendi rationem refert, ad mutationem aeris, & exiguæ inſpirationis neceſſitatem. Cum enim contraria contrariorum ſint remedia, curationem heic non per alterationem, intemperiei contrariam, ſed per aeris mutationem, & ad loca diſſita migrationem abſolvere ſtudet, quo purior aer inſpiratu recipiatur. Eam ob rem increbreſcentibus peſtilentibus morbis, aere inquinato, mutationem locorum medici commendant, ac peregrinari inſontes jubent. Spiritum etiam paucum attrahere *Hippocrates* mandat, (quod extenuatione corporum obtineri poſſe confidit,) illo maximè fundamento, quod inquinatus aer pauca quantitate admiſſus minus damni afferat, quàm ſi is copioſus valido anhelitu trahatur. Præterea idem teſte *Galeno lib. d. theriacâ ad Piſonem cap. 16.* per totam civitatem luculentum ignem accendit, non tantùm ex ſimplici

 ligno;

ligno; ſed & corollas, flores & unguenta ἰσαδὶμα illi injecit: quo aeris venenatam qualitatem talibus corrigeret. Cum tamen ſi manifeſtis qualitatibus aer vitium fecerit, per contrarias illis qualitates non modo curationem verum etiam præcautionem *Galenus in comm. loci d. nat. hum. citati* fieri jubeat. Et morbos æſtivos hyems ſuccedens ſolvit, hyemales æſtas inſequens transmutat *Hippocratis* teſtimonio *3. epid. ſect. 3.* in fine. Nec veriſimile eſt Hippocratem corrigendæ aeris putredini ignem luculentum fieri voluiſſe, quod hujus calor aerem calidum, qualis putridus eſt, magis incendere potuerit: pro cujus alteratione frigore potius, quàm calore, opus erat: quemadmodum liberioris aeris perflatus in rebus putreſcentibus à *Galeno 11. m. m. c. 8.* commendatur. Quin in morbo calido & humido qualem purpuram eſſe volunt, annon aeris æſtu ſpiritus magis incenduntur? ut potius venenatis μιάσμασι abſumendis atque attrahendis ignem accenſum fuiſſe credam.

Aretæus quoque *lib. 1. de cauſ. & ſign. acut. morb. cap. 7.* in morbis peſtilentibus (ſub quorum catalogo & purpuram complector,) venenatam qualitatem agnovit, inde quorundam errorem natum arbitratus, ut puteos in peſte Attica veneno infectos exiſtimarint: quod peſtilentis morbi cum lethalibus venenis ſimilitudinem ignorarent. *Aetius lib. 5. de re med. cap 94.* peſtilentium morborum originem deducit, ex aere putrido & corrupto ob cadaverum multitudinem, vel ob paludum ſtagnorumve exhalationem, vel cujuſdam cavernæ venenoſam auram effundentis propinquitatem: qui dum in productione peſtilentium morborum manifeſto veneni fecit mentionem, eos etiam venenatos ab eo judicatos, conſimilemque cauſſis effectum eundē ſtatuiſſe veriſimile videtur. Hinc libro adducto *c. 130.* in febribus peſtilentibus, in quibus exanthemata emergunt, theriacam, mithridatium, aut aliam quandam antidotum earum, quæ ad lethalia & venenoſos ictus conficiuntur, propinari vult, quod *humorum ad corruptionem averſio ingens venenoſo medicamento ſimilis exiſtat. Author problematum lib. 7. probl. 8* πνεῦμα φαῦλον, βαρὺ καὶ φθειρόμενον *ſpiritum vitioſum, gravem & corruptum* appellat, quo peſtilentes morbi traducuntur: ut ſignificantiſſimis verbis pravitatem ac malignitatem ſeminarii peſtilentis exprimeret, quod *Galenus* alibi quaſi

Digitized by Google

quaſi præſentaneum venenum appellavit. *Diodorus Siculus lib.12. bibliοth. hiſtor.pag.310.* ἀέρα διαφθαρμένον *aerem corruptum* peſtis Atticæ, & *lib.5. bibl. hiſtor. pag.239.* ἀέρος φθορὰν *aeris corruptionem* καταστάσεως λοιμικῆς illic deſcriptæ cauſſam allegat, Philo ἀέρος θάνατον peſtẽ vocat: quo aeris corruptionẽ exquiſitiſſimis verbis proferrent, *Paulus Ægineta l.2. cap.35.* dum morborum publicè graſſantium cauſſas proponit, regionum quarundam vitio aliquando peſtem generari ſtatuit, dum illæ paluſtres ſunt, aut barathrum aliquod vicinum habent, quod vaporem pravum exitioſumque exhalet: ut heic *Ægineta* exitioſum pravumq; vocet, quod *Aetius* venenatum, *Diodorus Siculus* corruptum dixerant. Ex recentioribus quoque plures repeuntur, qui venenatam hujus febris eſſentiam agnoverunt, quos, qui volet, per otium evolvat.

Qualis autem & quæ venenata illa purpuræ qualitas ſit, arduum eſt ſcire, & principio hujus capitis rei difficultatem ultro ſum profeſſus, ut cum *Scaligero* illud ingenui & candidi animi verbum reponam, NESCIO: cum & eodem teſte *humanæ ſapientiæ pars ſit, quædam æquo animo neſcire velle Exerc.307. ſ.29.* Quemadmodum enim veſpertilionum oculi ad lumen diei ſe habent, ita & intellectus animæ noſtræ ad ea, quæ manifeſtiſſima ſunt, juxta *Philoſophum 2. metaph. c.1. t.1.* Namq; veneni hujus purpurati ſpecifica eſſentia nobis incomperta: quemadmodum notiſſimi lapidis forma ignota eſt. Et ſupra notavi ſubſtantias ſua ſpecie à nobis non cognoſci; ſed per earum accidentia: ut, cum in re perplexa difficultas afferat excuſationem, excuſatio perſuadeat, ut in his humani intellect⁹ tenebris audeã connivere. Illud heic referre, ut præſentis loci arbitror, quod dudum conceſſum & longâ experientiâ comprobatum: venena totius ſubſtantię proprietate nobis adverſari, nec venenũ dici debere, niſi quod tali facultate donatum ſit, deleteria ſcilicet, quodq; nullo unquam tempore ægrotis hominibus aut valentibus opem ferat. (Quæ enim quantitatis exceſſu data lædere, ac necem afferre poſſunt, ut purgantia, ea ad claſſem venenorum traduci non debent, quod præter ea multa alia ſint, bonô publicô generis humani inventa, ut alexipharmata, quæ, ſi in eorum uſu quis modum exceſſerit, perniciem afferre ſoleant.) Hinc etiam à *Galen.6. epid. ſ.6. comm.4.* venena

inter totius ſubſtantiæ proprietate agentia recenſentur: quò etiam purpuratam febrem repono; quod ea dicta qualitate nobis maximè adverſa ſit: cujus veneno quodcunque corrumpitur, propriam obtinet ſpeciem & differentiam διαφθορᾶς ſeu corruptionis, qua non ſolum ab aliis venenis, ſed & à peſtilenti veneno ſua ſpecie differt: namque in ea vis deleteria mitior eſt, quàm peſtis, non gradu intenſionis aut remiſſionis, ſiquidem majus & minus non variant ſpeciem, ſed propriæ eſſentiæ diverſitate, quà venena à ſe invicem, & ab ipſa peſte differunt, in qua ſummus corruptionis gradus reperitur, ultrà quem ne humanus quidem intellectus aliquod novit venenum.

Purpuræ itaq; venenata qualitas intro concepta, ut tota ſpecie nobis adverſa, ita & ad morbos totius ſubſtantiæ merito refertur. Quamvis enim ultro concedam nullum fere morborum aut ſymptomatum genus dari, quod non in purpura ſeſe offerat: iſti tamen morbi conſuetis remediis non cedent: & in ſingulis morbis ac ſymptomatis peculiare atque abditum quid apparebit, quod experto & prudenti medico ſupra ſortem iſtorum, ſed ſimplicium, morborum eſſe, imo à cæteris conſimilibus totius ſubſtantiæ morbis ſe vindicare, totoque genere nobis inimicam illam qualitatem, in qua eſſentialis morbi hujus proprietas poſita eſt, manifeſto declarare videatur. Sic lues veneria nulli non morborum conjungitur, qui tamen non illis conſuetis remediis, ſed alexiteriis junctis curari poſtulant, adeò ut plerumq; fallant non ſolum ægrotantes; ſed ipſos etiam medicos docente *Fabio Paulino lib. 1. comm: in peſtem Atticam Thucydidis pag. m. 37.* Idem in ſcorbuto Arctois locis medicinam facientes experimur, qui cui cui morborum ac ſymptomatum conjungi ſolet, ut nullis in reliquo corpore ſcelotyrbes indiciis morbi qualitas uni membro impreſsâ aliquando hæreat, medicos non raro ludat, curationemque moretur.

Nam cum omne agens pro ſuâ naturâ & eſſentiæ proprietate conſimiles effectus paſſo inducat, & venena deleteria corpus ingreſſa animalis id ſibi ſimili affectione alterent, ut teſtatur *Galenus lib. 1. d. ſem. c. 16.* etiam purpuræ venenum quoquo modo intus receptum congenerem ſuæ eſſentiæ qualitatem, deleteriam ſcilicet, in nobis procreare credendum, unde tot numeroſi affectus dependeant: ut corporis

Digitized by Google

poris diſpoſitio προϋπάρχουσα, quæ cuique ſubjecto peculiaris exſtit, varia fuerit. Quod confirmat *Galenus 3. in 3. epid. comm. 20.* aliis morbis bilioſos, aliis melancholicos, aliis pituitoſos aut frigidos in illa peſtilenti tempeſtate obnoxios fuiſſe ſcribens. Ut enim vinum unum idemq; eodem tempore & pari menſura à diverſis potum, diverſos fere in ſingulis potoribus effectus producit: & ut *Charemon. ſ. 3. proprobl. 16.* ait, vinum ſeſe pro moribus utentium applicat; namque in quibuſdam cuncta in lætitiam diſſoluta, in quibuſdam bilis ſtomachatur, in aliis mœror ac lachrymæ oboriuntur: ita & hoc purpuræ venenum effectu ſimul variat, pro humorum ac partium diverſa conſtitutione, aliaque ſymptomata in bilioſis, alia in pituitoſis, melancholicis, aut ſanguineis producit. Quod & cauſſari poteſt veneni ad hanc vel illam partem decubitus, ut illud temere per os, nares, arterias; aut robore naturæ ac partium recipientium imbecillitate varie illabitur. Quia non eſt extraneum, ut dicebat *Averr. lib. 5. colliget.* quod diverſificantur actiones unius agentis, diverſificatis diſpoſitionibus ſubjecti locorum.

An etiam purpurati veneni eſſentiæ diverſitas variare purpuræ ſymptomata poterit? Ita cenſeo. Namq; ea late admodum patet, & univerſo venenorum ambitu ferè circumſcribitur, variatq;, ut illa varia & prope innumera ſunt. Hinc plerumque continuarum febrium indolem ementita; interdum anginæ malignæ epidemiæ, pleuritidis, colicæ, alteriusve morbi ſpecie, ſingulari quaſi partium dilectu, affligere, atque hujus aut alterius veneni deleteriam vim æmulari videtur, ut morbum hunc novis plerumque ſymptomatis emergere medici obſervarint. Ut enim in peſte varietatem veneni memorant authores, qua eadem interdum antimonii, interdum arſenici, napelli aut alterius venenatæ materiæ virus exprimit, ſymptomatum ſimilitudine, & alexipharmacorum diverſitate: ut quæ uni peſtilentiæ ſaluti fuere, ſuccedentibus annis in altera peſte conſuetos effectus negent: ita & in purpura ac malignis febribus eandem affectuum diverſitatem, nec eadem remedia ſemper prodeſſe advertere licet. Sed nec diverſis ſolum temporibus purpuram diverſos characteres exprimere, ſed & in una eadem epidemia conſti-

I 3 tutione

titione modo hos modo alios referre, credendum, eâdem eſſentiali ſed ſpecialiſſimà veneni diverſitate: qua ut ſpecie ab alterâ variat, ita pro indolis ſuæ conditione diverſa ſymptomata procreat, æmula & heic πολυμόρφῳ peſtis conſtitutione, in qua in eadem tempeſtate diverſos ſpecie morbos, qui ex illa maligna aeris impreſſione perniciosſam vim acceperint, graſſatos fuiſſe notum ex *3. epid. ſ. 3.* In Aſiatica enim peſtilentia, qua vix gravior unquam, ac horrenda magis graſſari viſa fuit, ſacros ignes, febres ardentes, phrenitides, ora aphtis, pudenda tuberculis vitiata, lippitudines, carbunculos, hydropes, tabem, populariter tum ſæviiſſe Hippocrates teſtatus. Ex qualibet enim morborum, quos recenſuit, ſpecie, complures ægrotarunt & mortui fuere ut conſtat ex libri citati *text. 21.* Unde & plurali numero, morborum nomine, peſtilentiam ab authoribus interdum appellari cenſet *Fabius Paulinus comm. in peſtem Thucyd. lib. 1. pag. m. 37.* Ita *Diodorus Siculus lib. 12. Bibliotheca* de hac ipſa peſte diſſerens ait, εἰς νόσους ἔπιπτον in morbos inciderunt. Et *Livius lib. 37. hiſtor.* de peſtilentia teſtatus: ingruere morbi vulgo maxime in remiges cœperunt. Et *Virgil. 3. Georg.*

nec ſingula morbi
Corpora corripiunt.

Neq; enim ut fatetur *Galenus in comm. libri epid. allegati comm. 20. certi eſt morbi nomen vulgare vel peſtilens, cæterum quicunque uno in loco multos ſimul invaſerit, vulgaris hic vocatur, qui ſimul ſi hoc habeat, ut multos perimat, peſtis fit.* Eoſdem vero ibidem relatos morbos tum præcipue ultra ſuam ſortem pernicioſos fuiſſe, ob ſtatus peſtilentis adjunctam malignitatem, patet ex *comm. Gal. in text. 9. 12.* & *16* imo in peſtem mutatos fuiſſe *Thucydides* narrat. *Annus enim ille, ut in confeſſo erat apud omnes, maximè omnium fuit immunis à cæteris morbis: quod ſi quis & ante aliquo tenebatur morbo in hanc omnia convertebantur & deſinebant.* Sic in hac quoque λοιμώδει purpuræ conſtitutione, præter peticulas, & alios morbos crebriores ſolito obſervavi, qui plerique malignitatem præter iſtorum affectuum morem tum referebant Nec video, cum ex ſingulorum venenorum ἰδιοσυγκρασίᾳ ſuæ cuique ſpeciei veneni propria ſymptomata eveniant, ut ex *Dio-*

ſcoride

ſcoride lib. 6. Aetio tetrabibl. 4. ſerm. 1. Æginetа lib. 9. de re med. Sante Ardcyno libris ſeptem poſterioribus de venenis. Cæſalpino lib. 3. art. med. Mercuriali tract. d. venenis Hier. Capivacc. d. venenis aliiſque cognoſcere licet: cur & heic eadem veneni in purpura diverſitas non ſit agnoſcenda, tot tamque diverſis inde natis ſymptomatis: qualia ab una eademque cauſſa proficiſci non proſſunt. Et cum ex venenatis inquinamentis aeri permixtis peſtem purpuramq; generari conſtet, & à rebus prave corruptis, ac venenis, quæ terra numeroſa producit, venenatos halitus in ſublime elevari certum ſit, qui multiplicati ſparſiq; per aerem modo hos modo illos morbos, omnes tota ſpecie nobis adverſos pro cujusque veneni proprietate excitare poſſunt, tot diverſis principiis in perniciem generis humani conſpirantibus, varios inde produci effectus, peſtemq; ac febres malignas inde natas ejuſdem cum cauſſis, naturæ ac conditionis eſſe plurimumque variare ſtatuendum cenſeo.

Dum autem in venenata illa qualitate purpuræ eſſentiam poſitam dico, manifeſtas reliquas qualitates heic plane non abeſſe contedo, cum earum manifeſtiſſima adſint indicia. Ut enim alia venena teſte *Avicen. l. 4. f. 6 tr. 1. c. 2.* præter occultas & ſpecificas qualitates alias manifeſtas obtinent, quarum cojuncta cum occultis virtute conſimilem intemperiem corpori inducunt. Sic Hyoſciamus ut & Cicuta præter vim deleteriam facultatem inſignem refrigerandi habent. Cantharides non ſolum renibus ac veſicæ occulta proprietate nocent; verum etiam manifeſto indicio ſimul inflammant. Arſenicum, ſandaracha, ſublimatum, præterquam quod deleteria qualitate noceant, caloris atque putredinis ſimul exhibent argumenta, propterea σηπτικὰ à medicis dicta, *Galen. 5. ſi. pl. c. 15.* Pariter & purpuratarum febrium venenum omne ſepticæ eſſe qualitatis arbitrandum, quod calor deleteriæ qualitati ſemper conjunctus adſit, valdior aut remiſſior futurus, pro purpurati veneni vi ſeptica majore aut minore, unde & febrem vehementiorem aut mitiorem excitabit. Sic Sophocles in Oedipo Tyranno peſtem vocat *πυρφόρον θεὸν Igniferum Deum.*

——————— ἐν δ' ὁ πυρφόρος θεὸς
Σκήψας ἐλαύνει λοιμὸς ἔχθιστος πόλιν

ubi

——— *ubi Ignifer Deus*
Graſſans ſæviſſima peſtis populatur urbem.

Namq; ut explicat, Scholiaſtes ὁ λοιμὸς ὁ πυρετοφόρος, τὸν γὰρ πυρετὸν πῦρ καλοῦσι καὶ τὸ ἐναντίον. *Peſtis eſt febrifera, febrem enim ignem vocant & contra.* Serpentes quoque igneæ Numer.21 v. 6. dictæ fuere, quod iis demorſi inflammationem circum vulnera, totoq; corpore gravem ardorem paterentur. Is vero purpuræ calor tum magis exſplendeſcit, quotiens acrium bilioſorum putridorumque humorum copia intus luxurians ante acceſſum morbi excitandæ putredini largum fomitem ſubminiſtrarit, aliæq; προφάσεις calori ſuccendendo aptæ præceſſerint. Dum enim corpus acribus ac in bilem fœtis cibis ſaginatum, idemque vinis generoſis oppletum & luctâ, aut graviore exercitio ſub ſole fervido aliiſve de cauſſis incanduerit, aut illud corruptis alimentis fami ſaturandæ diſtentû fuerit, ut putredine cuncta in corpore diffluant, ſi peculiaris ſortis, atq; purpuræ vernaculę, deleteria corruptio accedat; aut aeris vitio, contagiove purpuratalęs talibus communicetur, quis negaverit, non ſolum pravam, & vitæ noſtræ totâ eſſentiâ inimicam qualitatem corpori præſtari; ſed & ob fomitem caloris, molemve putredinis, gravem calorem ſuccendi, unde malignæ febres virulentia ac gravi calorę moleſtæ procreentur? Putredo enim illa via eſt ad corruptionem: unde quædam reperiuntur febres, quæ à principio non ſunt malignæ ac peſtilentes: quæ tamen, ſi medici ignorantia negligentiave, ægrotantium inobœdientia, aut cauſſarum externarum ſævitia malè tractentur, graviore facta putredine in peſtilentes aliquando deſinunt, ut obſervavit *P. Sal. diverſus d. febr. peſt. cap. 6.* Sic ulcera ſordida dum continuo madore circumfluunt, primùm ſimpliciter putrida ſunt, temporis vero ſucceſſu malignam diſpoſitionem ſæpe acquirunt, quæ aliorum ulcerum remedia eludat, ut propriis remediis difficulter admodum conſolidentur: quæ ulcera κακοήθεα à medicis eam ob cauſſam vocantur, qualia fere ex peſte peſtilentibusq; morbis relinqui ſolent. Tandem & hac ratione calorem ac putredinem purpuratis febribus adeſſe arbitror, quod venenata ac pernicioſa qualitas (in quâ iſtarum febrium character conſiſtit) cum totâ ſubſtantiâ nobis inimica ſit, corruptionem corpori inferat, ut humores parteſque noſtri corporis

poris à calore innato gubernari amplius nequeant, ac propterea putreſcant: quemadmodum *Ariſtot. lib. 4. meteor. cap. 1.* corruptionem ad putredinem deducere teſtatur: namque ὧν τὸ πλεῖστον κατὰ φύσιν φθορᾶς σημεῖόν ἐστι. Qua de re corruptione aliquâ perniciosâ in corpore nata, atque hinc conſectariâ putredine, non ſolum venenatæ qualitatis ſed & caloris ac putredinis indicia tum apparebunt. Idem in aliis plurimis rebus cottidie nobis obſervare licet. Vinum ſi vappeſcat, corrumpitur quidem, nulla tamen adhuc manifeſta qualitate lædit, dum tandem putreſcat, fœtoremque & calorem manifeſtum acquirat. Sic immodico frigore aliisve de cauſſis gangrænam ſuboriri videmus, qua partes ſphacelatæ penitus corrumpuntur, calore vitali cauſſarum vehementia ſublato: attamen tum nulla adhuc ſigna putrefactionis ſe produnt; ſed temporis progreſſu corruptionis conſectaria putredo tandem partem affectam maximo cum fœtore diſſolvit: quod idem in cadaveribus jugulatorum accidere conſtat: calore innato ſcilicet ſublato atq; inde corruptis partibus, mox ſubſequi putredinem, atque intolerabili cum fœtore talia corpora diffluere ac diſſolvi. Sanguis etiam dum intra ſua conſueta loca hæret, laudabilis eſt, omnisque vitii expers: quod ſi venâ excidat in ventriculi, cerebri, uteri, alteriusve partis cavitatem: quot ille graviſſima ſymptomata, primo ac ſecundo ſtatim die cauſſatur! corporis pallorem, vomitum, cardialgiam, animi deliquium, ſudores frigidos, pulſus parvos, obſcuros, frequentes, extrema frigida: qualia pleraque à deleteriis venenis proveniunt, & à grumo ſanguinis produci memorant *Galen. 6. loc. aff. cap. 4. Avicenna lib. 4. f. 6. tr. 3. c. 20. Cæſalp. l. 3. art. med. cap. 16* quemadmodum & *Themiſtoclem* epoto taurino ſanguine mortuum eſſe teſtatur *Plutarchus in vita Themiſtoclis*: cujus ſanguinis noxas vide apud *Æginetam lib. 5. de re med. c. 55. Actuarium lib. 5. m. m. cap. ult. Avicenn. libro alleg. cap. 16.* Ex quibus tantis coagulati ſanguinis ſymptomatis merito concludere licet, ſanguinem hunc jam à priſtinâ ſuâ bonitate degenerare, & corruptum referre jam veneni ſpeciem, nullis ad huc præſentis putredinis ſignis; ut quæ tam cito produci nequeat, aut ſi adſit, præſentiæ ſuæ indicia præbeat; qualia in principio heic nulla reperiuntur: cum

 ſucce-

ſuccedente tempore febris ſuis comitata ſymptomatis demum appa-reat, quæ putreſcentibus humoribus accendi ſolet.

Quod ſi quis purpuræ vim σηπτικὴν perpetuum adeſſe neget, quod & aliorum venenorum e.g. frigidorum maleficia purpuram aliquando æmulari, & caloris ac putredinis nulla indicia ex pulſu, urina, aut tactu interdum percipi dixerim, (quo poſteriore argumento adverſus purpuræ putredinem diſſertavi,) ſciat, venena quà venena occultis potiſſimum agere qualitatibus; quas dum purpura induit, manifeſtas frigidas, ut elementares, non admittit, quod natura ſua σηπτικὸν ſit purpuræ venenum, ac maligno calore ſpiritus, humores, partiumque ſolidarum ſubſtantiam corrumpat, diſſolvat atque putrefaciat: quem tamen purpuræ calorem non ſemper eundem eſſe, ſed fortiorem interdum, aliquando & mitiorem advertere licet, non eſſentiæ diverſitate, quàm graduum caloris differentiâ, quemadmodum & in purpuratis febribus, ipſius veneni maxima latitudo eſt, ut nec eadem ſævitiâ ſemper lædant: qui calor etiam in pituitoſis & frigidis corporibus frigidis humoribus obrutus ſe exerere non poteſt, maximè, ſicubi venenum non circa cor, viciniaque nobiliora viſcera, ſed remotiores partes hæreat, ut nec calor continuo expirare ad cor poſſit, ſed corruptis partibus tandem cor afficiatur, quod fieri poſſe ſequenti capite docebitur.

Quin nec manifeſtas primas qualitates tantùm in purpuræ veneno deprehendere licet, ſed & ſecundas, quæ e. g. aperire & laxare vias poſſint; & tertias, quibus lues certo cuidam membro infeſta eſt, quemadmodum lepus marinus pulmonibus, cantharides veſicæ. Nam populares malignos morbos ſpecie diverſos graſſatos fuiſſe authorum plurimorum documentis conſtat, & paulo ante jam notavi: ut ſcilicet peculiari membro veneni hujus vis inimica in certam partem molita impreſſionem.

Ex quibus ratum ſit, purpuratæ febris eſſentiam eſſe venenatam qualitatem, quæ totius ſubſtantiæ proprietate & manifeſtarum qualitatum exceſſu hominibus inimica ſit, ac venenatâ qualitate, atq; calore præternaturali peculiarem ſui generis corruptionem, malignumque calorem producat.

CAPUT

CAPUT VII.

Subjectum purpuratæ febris demonſtrat.

SUbjectum hujus morbi cor eſt, vivifici nectaris & ſpirituū vitalium ſcaturigo, quod vitam largitur cæteris partibus, in quo ceu theatro regio habitat cœleſtis calor: ad cujus tutelam conſpirat, quicquid humorum & ſpirituum corpori adeſt, ut in ſubitario Panico timore videmus: qui contra ad ejus mandatum officioſi ſe pandunt, circumfluunt atque trajiciunt corpus, quocunq; datur via. Hoc ſemper petitur à venenis aliisque morbis venenorum æmulis, quod totâ ſpecie naturæ noſtræ adeoque vitæ principio adverſentur. Hoc medicinæ conſultorum conſenſu verum proprium & adæquatum eſt ſubjectum omnis febris. Nullus enim calor corporis præter naturam niſi cor unà incaleſcat, febris eſt, nullumque genus febris poteſt conſiſtere, niſi cor afficiatur, & calida intemperie laboret teſte *Galeno 1. d. diff. febr. 3. & 10. m. m. cap. 8.* Hinc *Avicenna fen. 1. 4. can.* Febris eſt calor extraneus accenſus in corde. Ita tamen calor febrilis in corde accenditur, ut in totum corpus extendatur, ut docet *Gal. de morb. cauſſ. cap 2.* niſi, ut in principiis febrium intermittentium, item in lipyriis malignisq; febribus, impeditus calor ad exteriora diffundi nequeat. Nec tamen ſimplicem cordis corporiſque calorem præternaturalem febrem appellare licebit; niſi actiones corporis lædat, quod de morbis dicebat *Galen. d. diff. morb. cap. 2. & 3. m. m. c. 1. & 3.* Atque ſic *Dionem* febricitare dicimus cum eodem *Galeno 2. m. m. cap. 7.* ubi tantum in corpore caloris habet, ut multas actiones corrumpat. Et *Actius lib. 5. de re med. cap. 7.* definiebat febrem cordis arteriarumque calorem præter naturam, robur vitale deterens. Cor autem in preſenti morbo ſemper male affici ex illis notis conſtat, quas præternaturalis calor ſuggerit, ac venenati hujus morbi cauſſæ ſymptomataque ſubminiſtrant Cor enim quia refrigerio caloris continuò opus habet, aerem fœdis inquinamentis perfuſum anhelitu, arteriarumque expli-

eatione ſeu διαστολῆ facile recipit. Virtus item vitalis citra manifeſtam hujus rei cauſſam, ipſo morbi principio ſæpe plane proſtrata languet, atque ineffabilis quædam debilitas ægrotos afficit, quam & ipſi advertunt, etſi plerique ſe non ægrotare exiſtiment: adveniunt crebris intervallis reditura animi deliquia: adſunt validæ æſtuationes cordis, anxietates, palpitationes, inquietudines corporis, aliaque caloris ſymptomata, quæ cor affectum oſtendunt: ut his aliisque rationum fundamentis permotus celebris ingenii vir *Montanus* (in quem nova quaſi μετεμψυχώσει Pythagorica animam *Galeni* migraſſe jocô dicebat *Fracaſtorius lib. 2. de morb. contag. cap. 3.*) *tract. d. febr. peſt. cap. 2. & 3.* ſcripſerit: in peſtilentibus febribus, in quarum limine etiam malignæ continentur, putreſcere cordis ſubſtantiam; aut contenta: in aliis vero febribus nec putrefactam eſſe cordis ſubſtantiam nec contenta: transmitti quidem ad cor putridos vapores, eosque accendere cum cor, tum contenta; non autem putrefacere: quod ſi eò veniant, ut putrefaciant, jam febrem peſtilentem eſſe.

Cæterum etſi venenum hoc cordi ſingulari *ἀντιπαθείᾳ* adverſum ſit: illud tamen primum & per *ἰδιοπάθειαν* cordi ſemper inhærere à veritate alienum plane eſt. Quamvis enim peſtis purpurat æque febres ab aeris inquinamentis recta ad cor delatis generentur: ille tamen inquinatus aer non ſemper ad cor defertur; cum & alio modo per cæcos corporis meatus, per contagium, atque rerum infectarum commercium ſeminaria morbi communicari poſſint. Interdum etiam purpurata febris communi alimentorum potusque vitio naſcitur, aliquando ſolitaria eſt, quæ ſparſim invadit, nullo aeris vitio, ſua cuique victus ratione genita, quæ fomitem quidem, ſed alibi, quàm in corde, ſæpius deliteſcentem habet: Huc facit, quod, cum cor ad leves inſultus materiæ alicujus noxiæ palpitet, & teſte *Ariſtotele lib. 3. d. part. anim. cap. 4.* ſolum cor viſcerum atque omnium partium corporis nullum grave vitium (diu ſcilicet) pati poſſit, vita hominis conſtare non poſſet, corde ejusve contentis ſordidà & extremà putredine infectis. Et quæ medicina conferre poſſet corde putrefacto? Cum tamen in peſte, maxime vero in his febribus malignis quoſdam ultra 4. 7. 11. 14. 17. diem vitam protrahere: imo quoſdam ex ipſa peſte, plures vero ex febribus malignis eluctari

conſtet.

Digitized by Google

conſtet. Illud etiam mirum videri poſſet, corde, ejusve contentis ſumma ac ſordida putredine corruptis, nulla ejus rei indicia eſſe, & ægrotum ſæpe non advertere propriam calamitatem. Nec eſt, quod hectica heic conjuncta ægrotos fallat, cum, ut rectè *Fracaſtorius lib. 2. d. morb. contag. cap. 3.* ait, antequam hectica facta ſit, putrefactio ingens jam ſit: imo cauſſa cur hectica fiat, ingens ſit putrefactio circa cor. Quod ſi quotiens ſolidæ cordis partes putredine laborant, peſtilentes & malignæ febres oboriuntur, quid obſtat, cur hecticæ febres, quarum calor ipſam ſubſtantiam & contenta cordis amburit, præſertim ſi putrida, quod ſæpe fit, ſit conjuncta, peſtilentium febrium catalogo adſcribi non debeant? Relata ſuperius ſymptomata cordis malè affecti ſigna quidem exhibent; non tamen ejus primùm ac primario laborantis perpetuum ſigna ſunt; namque & in aliis partibus pravè corrupta materia generari poteſt, quæ continuò ad cor exhalet, eademq; ſymptomata producere valeat: quamvis pleraque ſymptomatum orificio ventriculi affecto; aut partibus cordi vicinis valido incendio conflagrantibus accidere poſſe crebra obſervatione ſit compertum. Tandem nec cauſſam video, cum cor, membrorum omnium validiſſimum, fibroſum, ſolidâq; ſubſtantiâ (qualis non alia viſcerum reperitur,) præditum, ac perenni motu vegetum, noxiam materiam excludere ſoleat, cur illud heic eſſentialiter & primario maligna putredine ſemper afficiatur; reliquæ vero partes hujus mali exortes ſint: quæ ut magis imbelles eandem perniciem facilius ſuſcipere poſſunt, præſertim materiâ noxiâ à principe partium virtute expultricis huc ablegatâ: aut eâdem virulentâ materiâ ſponte ab iiſdem receptâ; aut, venenati humoris analogiâ huic aut illi membro magis nociturâ, ad certas partes humore corrupto decumbente.

Ut igitur cætera venena quamvis tota ſubſtantia nobis & noſtræ vitæ adverſa ſint: quædam tamen eorum inoffenſo pede cor petunt, unde præſentiſſima animantis internecio, ocyor, tardior, pro veneni celeri, aut lenta operatione: quædam etſi nobis adverſa, non tamen illud vitæ principium directò ſtatim occupant; ſed ſæpe partem aliquam primùm, cui naturæ ſuæ inclinatione & antipathiâ connatâ infenſa ſunt, corrumpunt, unde poſtea per conſenſum cor

malè habeat. E. g. cantharides veſicæ, lepus marinus pulmonibus bellum indixere. Fungi quidam comeſi ſtrangulatus ſuſpendio ſimiles efficiunt teſte *Dioſcor. lib. 6. cap. 23.* quod & gypſum, ſanguinem taurinum & lac coagulatum præſtare *cap. 24. 25.* & *26.* idem author memorat. Solanum quod manicum vocant, tanquam malo eligente, ut *Plinii* verba *lib. 26. hiſtor. natur. cap. 1.* commodato huc transferam, certas partes afficit, unde confectaria calamitate tandem vitæ principio noxa ſuccreſcit. Idem confirmant exempla venenatorum morborum in nobis genitorum: quorum plurimi alibi locorum, quam in corde, ſuam mineram habent. Sanguis menſtruus ſemenq; corrupta citra controverſiam venenata ſunt, ut iſtud demonſtrat *Gal. 6. loc. aff. cap. 5.* confirmat *Avicenna l. 3. f. 19. tract. 1. cap. 10.* nec tamen alibi, quàm in utero partibusque genitalibus mephiticæ hujus ἀναθυμιάσεως mineram rectè quæſiveris. Idem de hypochondriacâ melancholicâ, epilepſia ex digito pedis obortâ merito quis dixerit: quæ diverſis & longæ diſtantibus à corde locis ſedem ſuam invenire, unde non niſi per συμπάθειαν & conſecutione quadam cor afficiatur. Pariter & in malignorum morborum ſerie, plurimos variosque reperire licet, catarrhos, lethargos, phrenitides, anginas, colicas non ſemper morbi ſymptomata, ſed primarios affectus, in quibus non cor ſed alias partes primariò laboraſſe, ſigna παθογνωμονικὰ & ipſa curandi ratio horum affectuum luculenter demonſtrarunt. Idem quoque obſervarunt *P. Salius Diverſus d. febr. peſtil. cap. 8. Nicol. Maſſa lib. 1. d. febr. peſt. cap. 2. Cæſalp. l. 3. cap. 50. Zacutus med. princip. hiſtor. 89. quæſt. 42. Felix Platerus d. febre cauſon.* qui locum in quo hæ febres malignæ generantur eundem eſſe ſtatuit, ubi alia putredo generatur: qua de re & omnis generis febres admittit, *Daniel Sennertus lib. 4. de febr. cap. 8. Nicol. Boccang. d. morb. malig. & peſt. cap. 7.* Et ex Hippocrate *lib. 3. epid. ſ. 3.* jam retuli in illa peſtilenti conſtitutione non unum eundemque ſpecie morbum, ſed ex qualibet morborum ſpecie complures ægrotaſſe ac mortuos fuiſſe. Sic in noſtra purpurata conſtitutione præter alios malignos morbos ipſasque purpuratas febres, quæ ſtigmatis cutem inficerent, creberrimæ viſebantur tertianæ febres, periculoſæ ſatis, & quæ manifeſtas malignitatis notas ſecum gererent. Quarum exemplum in fœmina

prima-

primaria *Magdalena Schinckelia*, cui curandæ D.D. Meibomius & ego præfecti, obſervatum apponere placet. Huic levi horrore, aut frigore, prodromo mox affuturæ febris, præcedente, tantus caloris retroceſſus contingebat, ut caro gelida eſſet, facieſque morituræ ſimilima: pulſus parvus & contractus: calor, qui frigoris conſectarius erat, nec in augmento nec in ſtatu validus, imo tepidus potius erat, qualis & toto paroxyſmi tempore perdurabat. Pulſus etſi magis in vigore paroxyſmi ſe explicaret, tamen & ille languidus admodum erat, parvus creber & inæqualis: ſitis quidem non multum moleſta: magna tamen aderat cordis anxietas, quam inquietudo & jactatio corporis comitabantur: nulloque penitus exceſſu caloris ſtragulas leviores impoſitas ſuſtinere non poterat: animi defectiones crebræ cum ſudoribus frigidis: toto paroxyſmi tempore quaſi ſoporoſa & mentis impos jacebat: difficulter excitata ad interrogata aut pauca aut aliena reſpondebat. Manifeſta quamvis brevis ſymptomatum aderat remiſſio, calorque abſconſus tum remeabat ad corporis habitum, pulſus fiebat naturali propior: dum paucis elapſis horis (nam tertiana duplici laborabat) dicta ſymptomata reverterentur. In his tamen febribus aliisq; morbis, qui eo tempore urbem hanc depopulabantur, illud obſervavi, non omnes fuiſſe re vera tales, ſed ita apparuiſſe; cum typos ſuos obſervare non poſſent: quod malignitas putredinem ſæpe excederet, ſimulq; ſui generis ſymptomata excitaret, quod & notarunt *Ludovicus Mercatus lib. 7. d. febr. peſt. & mal. cap. 2. Mercurialis lib. 5. d. febr. cap. 17.*

Ex his itaq; malignis febribus, quædam cor primùm ſeu per *ἰδιοπάθειαν* offendunt, quædam per *συμπάθειαν*, dum alterius partis conſenſu noxa membro nobiliſſimo communicatur: quod & tum re vera male habet, proprioque, non tamen primariò, affectu laborat, cum aliunde mali ſeges ſuccreſcat. Affectus tamen, dum adhuc ſolùm in ſuis principiis delitet, purpuratæ febris appellationem non meretur, niſi ubi pars princeps jam actu ipſo ægrotat. Quemadmodum & melancholia, etſi diverſis in locis, utero, liene generetur, tum demum nomen melancholicæ inſaniæ accipit, poſtquã cerebro illata hujus functiones principes lædit. Et ut in febrium generatione, minera febrilis materiæ non ſemper in corde; ſed alibi locorum ſæpius

ſæpius hæret: unde expirans calor ad cor exhalat, ejusq; functiones lædit: tum vero à febre hominem detentum dicimus, quotiens ipſum cor actu jam afficitur. Si enim adeo vehemens caloris intemperies ventriculum occupet, ut uſque ad ipſum cor perveniat, neceſſe eſt hominem febricitate, ut docuit *Galenus 7. m. m. cap. 9.* Sic & in purpura aliisq; malignis febribus morbi focus ſæpe alibi, quàm in corde hæret, unde ſi *ἀναθυμιάσει* cordi malignus calor deferatur, cor propriò quidem, ſed non primariò affectu laborat. Iſtâ enim purpuræ minera ſæpe diu ceu ignota latet, dum tandem perenni actione aucta, aut concepta putredine, aut levi de cauſſa commota principi membro deleteria ejus qualitas communicetur, ubi tum vis veneni maximis comitata ſymptomatis ſubito exſplendeſcit: quod & in venenis in nobis jam hærentibus, ſed quorum concepta virulentia nos latet, accidere obſervavit *Galenus 3. loc. aff. c. 7.* item *6. loc. aff. c. 5.*

Purpuræ vero malignam qualitatem non quodvis ſubjectum promiſcuè recipiet, ſed quod prædiſpoſitum, fomitemq; præſentis luis ſuſcipiendæ jam habet. Cum actus agentium ſit in patiente diſpoſito, ut ſcribitur *2. d. anima.* Neq; enim omnes, qui commorantur in Sole, à febribus corripiuntur, ſed illi tantum, qui parati ſunt ad illam Solis caliditatem. Qualem diſpoſitionem ſubjecti in peſte agnovit *Galenus lib. 1. d. diff. febr. cap. 6.* Non omnes ſcilicet, ſed qui corpora læſioni parata habent, peſte corripi teſtatus. Et *Avicenna lib. 4. can. f. 1. tract. 4. cap. 1.* dicebat, ſubjecta quibus communicantur hæ febres, debere habere *proprietatem præparationis. Agens enim ſolum cum pervenit, & patienti non eſt præparatio, non accidit actio & paſſio.* Qualis autem ſubjecti diſpoſitio prompta ſit ad recipiendum peſtilentes ſeu malignas febres à *Galeno* & *Avicenna* locis jam citatis refertur: ſi ſcilicet corpora plena fuerint pravis excrementis, venarum ductus impedierit obſtructio, aut plethora: præceſſerit vita otioſa, inter crapulas continuas tranſacta: venus item crebrius quàm conveniebat, exercita: ex quibus omnibus cauſſis plurima excrementorum colluvies colligi ſolet, quæ in putredinem ac corruptionem facilè abit, unde ceu in diſpoſito fomite ſcintillæ maligni hujus caloris promptè recipiuntur. Ego quamvis non negaverim

dicto

dicto modo diſpoſita corpora obnoxia eſſe malignis morbis, quod excrementis referta, corruptioni ac putredini ſubjecta ſint: in quibus ceu largo fomite ſeminaria luis concepta, & prompte conſervantur, & late ſe diffundunt; præterquam quod ſaburrata vitioſis humoribus corpora neceſſario debilia ſint, minusque virulentæ impreſſioni reſiſtere valeant: non tamen his ſolis cauſſis ſubjecti diſpoſitionem produci dixerim, quod multi reperiantur, qui cum neglecta victus ratione degant, crapulis ac heluationibus toti immerſi, ac corpora ad oſtentationem impura habeant; purpuratis tamen febribus atque ipſa peſtilentia non capiantur, quamvis corrupti aeris impreſſioni, variisque commotionibus animi, & exercitiis corporis intempeſtive initis, ſubjecti ſint, quibus conceptum intro virus agitari, ac late ſe diffundere poſſit: contra ſobrie vitam agentes & conſtitutionis laudatæ, roſeiq; caloris non raro abripiantur, ſingulari quaſi dilectu morbi ad iſtam temperaturam: ut propterea alia quærenda ſit hujus morbi cauſſa, ἰδιοσυγκρασία ſcilicet, ſua cuique corpori propria: qua ut *author de flatibus* dicebat, corpus à corpore natura à natura differt. Iſta enim cujusq; ſubjecti proprietas impervestigabilis eſt, & admirandos aliquando effectus cauſſatur, ut etiam adverſus venenorum (quæ tota ſubſtantia cæteris ejuſdem ſpeciei individuis inimica ſunt,) virulentiam quoſdam invictos reddat, ut de *Marſis* & *Pſyllis Plinius lib. 21 nat. hiſt. cap. 13. & lib. 28. cap. 3.* refert.

Sic Coloniæ puella viſa fuit, quæ quotidie à matre ſe ſubducens, angulos omnes domus ſollicitè ſcrutabatur, ac in quotquot araneas incideret, avidè devorabat, quibus veluti optimo cibo nutriebatur, ut narrat *Joh. Juvenis in epiſtola ad Brakelemium de peſte.* Eadem individuali proprietate, certis quibuſdam individuis ejuſdem ſpeciei innata, ſecundum Divinæ Majeſtatis beneplacitum accidere arbitror, quoſdam, etiamſi natura debiliores ſint, non ſentire peſtilentiam, nec purpura facile affici; contra verò giganteæ molis corpora interire, ut obſervavit *Palladius Soph. in 6. epid. ſ. 5. comm. 18.*

Cum igitur in febre purpurata cor perpetuum affici conſtet, & hujus triplex ſubſtantia ſit, ſpiritus, humores ſolidaq; ſubſtantia, ut iſta varie afficitur, ita varia febrium genera oboriri medici tradunt: ſpiritibus ſolis accenſis, ephemeram, quæ, cum eorum ſubſtan-

tia cum ſit facileque diſſipabilis, quo invadit die, plerumque remittat aut juguler: putridam, ubi humores pravè corrupti accenſi & putrefacti conflagrant: hecticam vero, ubi humoribus ſpiritibusque innoxiis ſolida cordis ſubſtantia proprio àç habituali maligno calore marceſſit. Ephemeram admitti video à *Nicol. Maſſa tr.1.d. febr peſt. c.1.* qui *tract.3. cap.1.* exemplum refert. *Caſparis Butavogi*, qui paſſus fuerit febrem petechialem ephemeram. *Fracaſtorio lib. 2. d. morb. contag. cap. 5. Joanne Thoma Minadoo lib.1. de febr. Mal. 12. Mercuriali l.3. d. febr. c.17. Zacuto hiſtor. med. princ. lib.1. hiſt. 84. q. 52. Fernelio d. abd. rer. cauſ. lib.2. cap. 12.* qui hydropyretum Anglicum cum *Fracaſtorio* aliisque in ephemerarum claſſe poſitum arbitratur: quem ab anno cIɔ Iɔ XXV. ad annum cIɔ Iɔ XXX. uſque per *Britanniam, Galliam Belgicam*, itemq; in his ad *Balthicum* mare locis patrum noſtrum memoria graſſatum fuiſſe conſtat. Cum enim conſenſu omnium veneni vis ad ſpiritus ānalogiā haberet, non carbunculis, non bubonibus exanthematibusve febris moleſta fuit; ſed copioſo profluente ſudore aliarum ephemerarum more, primò aut ſecundò die terminata.

Contra ephemeram peſtilentem dari negant *Conciliator diff. 94. Valleſius lib 5. controverſ. med. cap.21. Euſtachius Rudius d. febr. cap.30. Petrus Salius Diverſus de febr. peſt. c.9. Alexander Maſſaria lib.5. de febr. c.24.* Quod ſpiritus ſint lucidi tenues & ætherei nec quieſcāt, ſed ventilentur; unde nec putreſcant, nec corrumpantur; aut ſi quis in illis accendatur calor, febris oboriatur diaria, mitiſſima, nullis gravibus comitata ſymptomatis teſte *Galen. 2. d. criſ. 13. & lib. 1. ad Glauc. 2.* quæ faciliſime ſolvatur. Præter quæ in ephemerâ non ſolùm tempus duraturi morbi, ſed & eventum ejuſdem cònſiderari debere monent, qui in ſimplici ephemerâ omni vacet periculô: at heic, in ephemera maligna, plurimis funeſtus ſit, quemadmodum & febris *Anglica* plures occidit, imitatiòne aliorum peſtilentium morborum, quorum proprius ac verus character eſt, docente Galeno, eſſe perniciosos. Nec in ſpiritibus ſolis noxam illam febris *Anglicæ* poſitam, ſed & humores ipſamq; ſubſtantiam cordis ſimul affectam fuiſſe inde demonſtrari poſſe arbitrantur: quod ſpirituum evanida vis facile ab exacto morbo reſtaurari potuiſſet: cum tamen contracta virium

rium debilitas longo tempore ſæpe reſtibilis remanſerit. Sed nec ſudor ille inſolens, quo corpus durante morbo perpetuùm diffluebat, (neque enim ſudori modus fuit ante morbi ſolutionem) tanta copia à ſpiritibus horum judicio prodire potuiſſet, præſertim cum proſperis ægrorum rebus plerumq; profflueret, contra quàm fit in ſudore diaphoretico, qui ex reſolutione ſpirituum ortus mortem in propinquo nunciare ſolet. Pariter nec ille morbi decurſus dum primo aut ſecundo die ſuam abſolvere hiſtoriam viſus, horum authorum opinione argumentum dedit, ſpiritus ſolos affectos: cum id potius veneni ſummam celerrimamque agendi rationem arguerit, quod proprietate ſua unam quidem acceſſionem excitaret cito tranſituram, qua tamen ſpirit⁹, humores, ipſaq; ſolida cordis ſubſtantia graviter læderentur. Quin ut venena quædā cita morte hominem conficiunt, inſita ſibi proprietate: ita ὑδροπυρέτῳ hujus venenum ocyus ſua percurriſſe tempora autumant, eàdem eſſentiæ proprietate, qua venenum Colchicum ephemerum, una die interficere *Theophraſtus lib. 9. hiſt. plantar. cap. 16.* retulit.

De hectica quoque maligna apud authores controverſia eſt, quam in his morbis obſervari quidam aſſerunt. Ut enim ſimplex hectica à putrida differt, quod heic cordis ſubſtantia ab humorum conflagrantium retorrido æſtu alteretur, non dum tamen actu alterata ſit, quod poſtremum in hectica accidere ſolet: ita pariter in putrida maligna ac peſtilenti humores cordis maligno calore alterari quidem ac corrumpi, ipſi morbi minera in humoribus abſconſâ; ſolidam vero cordis ſubſtantiam nequaquam alteratam; at in hectica maligna cordis ſolidam ſubſtantiam deleteria qualitate & exceſſu caloris jam actu alteratam eſſe, habitumque, non vero σχέσιν, maligni caloris jam habere docent. Eam etiam ob rem heic aliarum hecticarum more nullum eſſe manifeſtum caloris exceſſum, atque ea detentos non ſentire morbum, nec paroxyſmi alicujus fieri notabilem acceſſum aut declinationem, pulſum, niſi quod paulo celerior fiat, ſanorum prope ſimilem eſſe tradunt; propterea quod cor in ſubſtantiâ ſuâ ſit calefactum; contenta vero ſint frigidiora, ut illius calorem temperare poſſint. Hecticæ aſſerendæ præcipuus author fuit *Galenus*, qui ipſam ſolidam cordis ſubſtantiam (ut in aliis

Digitized by Google

hecticis) heic aliquando putreſcere & corrumpi exiſtmat: qua ratione ſimulatam illam morbi lenitatem, quæ ægros ipſosq; medicos ſæpius fallat, oboriri cenſebat: quales hecticas peſtilentes ſuo tempore graſſatas teſtatus *l. 10. m. m. cap. ult.* easq; deſcripſit *3. d. præſag. ex pulſ. cap. 4.* & *3.* ac tum evenire voluit, ubi aer, quem ſpirando ducimus, infectus putredine ſit, ac putredo cordis corpus attigerit. *Nam quam excognites* (inquit) *medicinam ad putredinem, quæ cor occupavit? Galenum* ſequuntur *Montanus d. febr. peſt. cap 6. Joan. Thom. Minad. l. 1. d. febr. malign. cap. 19. Valleſius controverſi med. lib. 5. cap 21. Nicolaus Maſſa tract. 1. d. febr. peſt. cap. 1.* aliiq; qui hecticam malignam ac peſtilentem admittunt, putrefactione in ſubſtantia cordis obortâ; quæ ſit verus characteriſmus peſtilentis febris, qua à ſimplici hectica differat, in qua ſolida non putreſcunt: atque hinc contingere arbitrantur, quæ in hecticis peſtilentibus *Galenus* obſervavit, ut etſi ad mortem infirmi feſtinent, neſciant tamen ſe emori, imo neſciant ſe ægrotare.

Contra nullam dari hecticam peſtilentem validis rationibus urgent *Fernelius l. 2. d. abd. rer cauſ. c. 12. P. Salius Diverſus d. febr. peſt. cap. 9.* Quod impoſſibile ſit, cum putredo ſit mixti paſſio, ut eadem putredinis labes humoribus, qui ad putreſcendum magis apti, non prius communicetur: cum ſolida cordis ſubſtantia denſa, compacta & fibroſa, fortiſſimo impete, quantum licet, noxia expellat, ac putredini minus obnoxia ſit, aut ſi cor ab aere putrido affici contingat, humores ejus ſimul corrumpantur. Pulſus etiam ob allegatam rationem ex *3. d. præſag pulſ.* ſanorum ſimiles nequeunt: quod quælibet cordis intemperies adeo confirmata cordis actiones debilitet, ut vires effœtæ langueant, pulſusque parvi & languidi fiant. Sed nec frigidi humores in corde contenti hujus æſtum ita contemperabunt, ut propterea pulſus moderatus producatur, cum & iidem parvos edant, hectica vero cordis parvos ſimul & languidos faciat: Nec enim pulſus magnus ſolius caloris ſoboles eſt, ſed virtutem validam authorem habet, bono arteriæ ſtatu uſuq; concomitante. Ni enim vires adfuerint, quamvis dilatandæ arteriæ magna adſit neceſſitas, pulſus tamen nunquam ad magnitudinem promovebitur. Illud denique probari poſtulant, cur humores cordis ſint frigidi,

cum

cum ipſum cor intemperie calida laboret: quod ab omni ratione alienum ſit, vitæ atque omnis caloris principium calida intemperie affici, contenta vero eſſe frigida, ut ea ſucceſſu temporis non immutentur, qua ratione & ipſius pulſus notabilem futuram alterationem exiſtimant. Quod ſi tanta frigidorum humorum adſit colluvies, ut ſuperari nequeat, ea actione perenni cor ſenſim horum ſententiâ alterabit; atque ita ſi gravior intemperies affecerit, vires concident; ſi vero non adeo vehemens fuerit, pulſus parvus, tardus ac rarus fiet: præterquam quod ipſa frigidorum humorum copia (cum frigida calidis minus apta ſint ad putredinem,) cor ab hectico calore conſervare poſſit.

Utriusq; ſententiæ authores ſua momenta rationum habent, quæ penitius conſideranti nec ephemeras & hecticas malignas ſimpliciter admittere, nec temere eaſdem rejicere perſuadent. Illud certum eſt, has febres malignas ſimplicium ephemerarum aut hecticarum cenſu comprehendi nequaquam poſſe, cum non ſimplici calore ſpiritus ac partes ſolidas afficiant; ſed venenata ac deleteria qualitate, (quam *Galenus 3. d. præſag. pulſ. 3.* per putredinem expreſſit) lædant: qua de re capite dicto pulſus non ſimpliciter hecticorum ſed in ſpeciem hecticorum appellat. Sed nec ephemerarum peſtilentium exitus periculo vacat, quemadmodum aliarum ephemerarum ſperabilis brevi ſanitas eſt, niſi in aliam transmutentur febrem: & hectica maligna ocyus ægrum interficit, quum ſimplici hectica in longum protrahi morbus ſoleat. Ipſa etiam συνδρομὴ diverſorum ſymptomatum febres malignas ephemeras & hecticas à ſimpliciter talibus toto cœlo diſtare demonſtrat. Quia tamen venenorum maxima eſt diverſitas, quam in purpura, peſte aliisque epidemiis malignis multivariam cognoſcere licet: ita analogia purpurati veneni ad ſpiritus, humores, aut ſolidam cordis ſubſtantiam magis minusve prona eſt. Hinc quorundam ſymptomatum ſimilitudine & ſubjecti diverſitate modo ephemeræ, modo humoralis, modo hecticæ nomen commodato accipit, (cum aliis nominibus deſtituamur,) non tamen ſimplicis, ſed malignæ ac peſtilentis. Atque ita venenum ſpiritibus adverſum ephemeram excitare poterit, lethalem, ſi vehementia veneni atque imbecillitate ſubjecti natura ſuc-

Digitized by Google

cumbat; aut minus noxiam, ſi veneno tanta non adſit pernicies, ac natura valida, remediis adjuta, illud ocyus expellat, quàm humoribus ſolidæque ſubſtantiæ communicetur. Ita verè teſtari poſſum, quoſdam hac lue correptos, dum unius alteriusve alexipharmaci uſu morbum, in ipsâ, quod ajunt, herbâ opprimerent, excito ſudore à purpuræ malignitate protinus fuiſſe liberatos: quod ea ſpirituum inhærens ſubſtantiæ fluxæ ac tenui per διαφορήσει facile excluderetur, nondum humoribus aut ſolidæ ſubſtantiæ labe impreſſa. Quin & ephemeram peſtilentem dari illud potiſſimum arguit, quod in λοιμώδει constitutione homines præcipiti caſu & ſubitaria morte aliquando abripiantur, veneni quidem vehementiâ, ſed ſpiritibus potiſſimum infenſa, cùm putrefactionis humorum nullæ adſint notæ.

Non diffiteor ſpiritus lucidos æthereos ac mobiles eſſe, eaque ratione ad putreſcendum ineptos: eos tamen aliquando impuros atque ſic ad putrefactionem paratos generari ex ſanguine vitioſo atque aere nebuloſo craſſo ac fœtido nemo facile negaverit; præterea cum omnia excepto igne putreſcant, teſte *Ariſtotele 4. meteor. cap. 1.* etiam ſanguis arterialis aliquando obnoxius erit putredini, quod pluribus probat *Zacutus lib. 1. med. princ. hiſtor. dub. 53.* quamvis rarius ejuſmodi putredo accidere ſoleat. Ut cauſſam non videam, cum ſimplex ephemera aere calido inſpirato oboriatur, cur eodem putrido, corrupto ac venenato ephemera maligna produci nequeat: cum alias aere fœdis inquinamentis corrupto, qualem ſpecubus, cavernisque recluſis aliquando effundi conſtat, momento fere temporis homines aliquando intereant: quod & exemplo eorum, qui almæ matris viſcera ſcrutantur, & effodiendis metallis operati ſubito decedunt, confirmari poteſt: in quorum pleriſq; ſic interemptis nulla ſigna corruptorum humorū reperire licet, ut probabile ſit ſpiritibus deleteria iſtorū vaporum ſubſtantia corruptis ac cōſumptis ſubitaria morte tales fuiſſe peremptos. Quod ſi afflatu venenati vaporis, ſpiritibus evanidis ſyncope, in qua mortis expreſſum characterem videmus, ſæpe prehendit; cur purpuræ maligna qualitas ſpiritibus adverſa non ſolum morbum, ſed & mortem ipſam non inferat, ſolis ſpiritibus affectis, nullo ſolidarum partium aut humorum aſpectabili vitio? Humores tamen in tali ephemera ſimul alterari non ne-

go;

go; ſed non primò ac principaliter; cum noxa primario inhæreat ſpiritibus: unde niſi virulentia morbi illico jugulata fuerit, ad humores & ſolidas partes deferri noxa ſolet: quod & in ſimplicibus ephemeris crebro eventu accidere experientiæ teſtimonio comprobatum.

Conſimili modo hecticas malignas appellare licet per ſimilitudinem: quotiens noxia materia, veneni proprietate jam allegatâ, partes ſolidas proximè petit, easque ipſo actu lædit ac corrumpit, non tam putredine ſolidæ partis, quàm deleteria qualitate, qua ſolidis partibus potiſſimùm adverſatur: qua rabidi canis venenum ſolida afficit, atque ob id vis ejus immedicabilior exiſtit, quod partium ſolidarum ſubſtantia in aliam transferit conditionem, ut voluit *Galen. 2. in 1. prorrhet.* Hæc vero alteratio cum in habitu, & jam facta ſit, non in fieri, adeoque aliarum hecticarum more in ſolidam partium ſubſtantiam primum & per ſe penitus immerſa, & conſuetudine caloris quaſi familiaris reddita, eas ſenſim corrumpit ac conſumit, citra ſpirituum ac humorum propriam ac primariam affectionem: qua ratione cum materia accenſa hæreat in ſolido corpore, flammam adeo luculentam ac calorem de ſe non ſpargit, quod calor in corpore raro latius ſe pandat: quemadmodum calci, ferroq; ignito ſuus cuique calor & ſatis gravis ineſt; qui tamen ad vicina ſe vix diffundit, contra quàm in ſtipularum, ſarmentorum, lignorumque ſiccorum ſtrue accenſa vicina late incaleſcere advertimus. Tales in ſpeciem hecticas deſcribit, & ſe vidiſſe memorat *Galenus* loco *de præſagiis ex pulſibus* citato: *ut ſi qui eſſent inter ægrotos, qui negarent ſe ægrotare, his febris occupato ipſo cordis corpore, plane eſſet confirmata, & ut ita dicam, in habitu.* Siquidem febrium hecticarum duo hæc ſunt propria ſigna: ſi perpetuo illæ ſibi ſimiles ſint, nec invaſionem ullam acceſſionis, nec incrementum, nec vigorem, nec remiſſionem habeant: nec febritare ſe ægrotus percipiat. Et narrat *Joh. Thom. Minadous lib. 1. d. febr. maligna cap. 19.* ſe in *Syria*, & *Conſtantinopoli* & *Utini* ægros aliquos tali febre correptos vidiſſe, qui vices ſuas miſerè lamentarentur, quod ſine morbo interirent.

Hanc purpuratæ febris ad ſolida analogiam ut libenter admitto, ita aliam præter hanc ejus rei cauſſam dari cenſeo, lentum ſua

natura

natura purpuræ venenum, quod aliorum taliſmodi deleteriorum æmulatione, longa die ægrum conficit, tardiusq; ad interitum ejusdem properat. Dantur enim venena, quibus ſenſim ægri cōtabeſcunt ac diuturno languore pereunt, quemadmodum de *Aconito Theophraſtus lib.9. hiſtor.plant.cap.16.* prodidit, illud ita à quibuſdam præparari, ut certis occidere temporibus poſſit, videlicet bimeſtri, trimeſtri, ſemeſtri, anno completo, nonnullum etiam biennio. Sic *Druſus à Sejano* per *Lygdum Spadonem veneno paulatim irrepente, ut fortuitus morbus adſimilaretur,* ſublatus teſte *C.Tacito lib.4. annal.pag.m 141.* Et *Agrippina Claudii Imperatoris* conjunx *ſceleris olim certa, & oblatæ occaſionis propera, de genere veneni conſultavit: an lentum & tabidum diligeret, aut rapidum aliquod, exquiſitum Claudio dari voluit, quod turbaret mentem & mortem differret,* ut idem *Corn.Tacitus lib.12. annalium p.270.* memoriæ prodidit. Ita *Attilium Regulum* ſibi venenum *à Carthaginenſibus* datum, quod mortem in diem proferret, ut viveret quidem tam diu, quoad fieret permutatio, poſt autem graſſante ſenſim veneno cor tabeſceret, apud *Senatum Romanum* retuliſſe ſcripſit *A. Gellius l.6. noct. Att. c.4.* Tali veneno *Gemes Bajazetis Turcarum Imperatoris frater* & poſtea aliquot Senatores ab *Alexandro Sexto* P.M. ſublati dicuntur, ſi fides Jovii æſtimanda *lib.2. hiſtor.p.m.47.* Pari igitur modo purpuræ venenum aliquando natura ſua tardum eſt, ſenſimq; longo temporis decurſu exitiali in corpore mora ægrotos conficit; in quibus talibus nulla corporis inſignior noxa, nulla ſæpe indicia in pulſu ac urina apparent, ut ægri vix tale opinantes hecticorum inſtar longa die contabeſcant: quod tum præcipue verum obſervare licent, quotiens tale venenum in partibus ignobilibus atque à corde remotis abſconſum latet, ſenſimq; incrementa accipit, dum tandem principi membrorum virus ſubito communicetur. Pulſum vero ſanorum ſimilem in lentis illis malignis febribus adverti, non quod cordis ſubſtantia calefacta eſſet; contenta vero frigidiora, quæ illius calorem extinguerent: illud enim negativæ ſententiæ ſolidiſſimis rationibus adductus nego; ſed quod vis veneni non tam manifeſtis qualitatibus quàm totius ſubſtantiæ contrarietate ſenſim corrumperet, unde nulla caloris indicia ex pulſu aucupari licebat; morbo præſertim inter initia conſtituto, nec dum corde graviter

læſo

Digitized by Google

læſo, atque alibi hærente morbi minera: nam in morti proximis pulſus à naturali modo deflectere, cumprimis vero parvos ac languidos fieri, quis eſt qui dubitet? Nec à veneno ſua natura calido ac putrefactorio (quale purpuræ venenũ eſſe ſtatuo,) feſtinari ſemper mortem quis exiſtimet, cum & alia σηπτικὰ in longum tempus interitum differre poſſint, ut de aconito conſtat, quod natura ſua σηπτικὸν eſt, ut docuit Galenus *5. ſimpl. 15.* & ex eo putrefactoria medicamenta à medicis parari *Theophraſtus* ſcripſit.

Putrida autem febris frequentior huic morbo adeſt, quod humores ad reſiſtendum ſolidâ cordis ſubſtantia ſint magis imbelles, ſpiritusq; puri & ætherei non facile inquinentur putredine, nec corruptionem & putredinem facile ſubeant: de qua humoroſa peſtilenti non ſemel locutus Galenus, de hectica peſtilenti parum admodum, de ephemera prorſus nihil: cum & hæc potius dignoſci ſoleat, ubi præterierit, quam ubi actù affligit, & in hectica exigua ſalutis ſpes ægris ſuperſit: cum tamen ex humoroſa plurimos evaſiſſe ſit obſervatum. Putrida hæc plerumque continua eſt, quod ad ſanguinem hæc veneni ſpecies potiſſimùm analogiam habeat, & per arterias & venas materia corrupta ad cor exhalare continuo poſſit: nulli tamen continuarum generi certo adſtricta, teſtibus *Ludov. Mercato lib. 7. de febr. peſt. & mal. cap 2. Gerardo Columba lib. 1. de febr. peſt. cogn. cur. cap 31. Sennerto lib. 4. d. febr. cap. 8. Zacuto l. 1. med. princ. hiſtor. 84. dub. 54. & prax. hiſt. lib. ult.* in fine, ſed juxta naturam morboſi apparatus differentiam ſortitur, & nunc uni nunc alteri febrium continuarum ſpeciei adjungitur, ut ſanguis bilioſus, pituitoſus, aut melancholicus in corpore luxuriaverit. Quin & intermittentium ſpecie malignas febres graſſari vidi, ut propterea *Ludovici Mercati* ſententiam probare nequeam, qui loco jam dicto ſcribit, malignam febrem eſſe ſolùm de genere continuarum, quod putredinis ſedem intra vaſa obtineat, intra quæ putredo invaleſcat; non vero eſſe de genere intermittentium. Conſtat enim plurium authorum fida obſervatione præſertim *P. Salij Diverſi tr. d. febr. peſt. c 19. Nicol. Maſſ. d. febr. peſtil. cap. 1. tract. 1. Zacuti* locis allegatis, *Herculis Saxon. lib. 8. de febr. cap. 37.* omnis generis febres malignas dari, ut diverſi humores tam alimentarii, quàm excrementitii diverſis in

M locis

locis corrupti computruerint. Cum enim cor & nobiliora membra hoc morbo ſæpius afficiantur, cauſſam non video, cur in ignobilioribus membris eadem labes, quæ tamen per intervall a affligat, produci nequeat.

Ex quibus omnibus tandem liquido conſtare arbitror, purpuratæ febris proprium ſubjectum eſſe cor, ſeu illud primario & per ſe; ſeu conſenſu aliarum afficiatur, purpuratamque febrem definiri malignum cordis calorem, qui deleteria ſuæq; ſpecei propria perniciosa qualitate & calore cordi ſit infenſus.

CAPUT VIII.

Cauſſas internas hujus morbi tradit.

CAuſſas internas purpuratæ febris proponere ordinis ratio exigit, quarum operatione malignus hic affectus producitur. Qui enim morbi cauſſam cognoverit, is utique ex his, quæ in corpore inſunt, adepta per contraria morborum cognitione, facile poterit, quæ conferunt, offerre. Agnoſco equidem & heic præcipuam in nobis cauſſam, communem generis humani calamitatem, quam hæreditariò jure à parentibus nobis relictam poſſidemus: dum peccatorum ſtipendia, mortem, hujusque prodromos, innumerabiles morbos, meremur, non ſolùm Aborigenum noſtrûm culpâ in nos tralatitiâ, ſed propriô noſtrô meritô, dum cottidie ruimus in vetitum nefas. Hinc Divinæ Majeſtatis totiens in ſacris repetitæ horrendæ execrationes, quibus delictorum numeroſa ὀψώνια, proponuntur; quæ *Deuteronom. cap. 28.* aliisque parallelis locis videre licet: quæ adeat, qui volet; mihi enim hunc affectum ex cauſſis principiisque medicis diducere ſolùm propoſitum.

Purpuratæ autem febris cauſſam internam ſtatuo humorem adeo corruptum, ut veneni indolem penitus referat: qui ſive ἀπὸ τῶν ἔξωθεν, ſive ἀπὸ τῶν ἐνόντων principia ſua ducat, pari facultate in nobis operatur, qua alii venenati humores in corpore noſtro geniti, aut foris illati, totius ſcilicet ſubſtantiæ proprietate, quâ vitæ noſtræ

Digitized by Google

noſtræ adverſantur. Ut enim quædam cauſſarum manifeſtis tantùm qualitatibus in nos agunt, quædam totius ſubſtantiæ contrarietate: ita & in corpore noſtro humores aliquando alterantur, ut eorum temperamentum corrumpatur aut intendatur: interdum adeo prave corrumpuntur, ut ipſorum tota ſubſtantia pervertatur, ſuſcipiendo aliam naturam, ita ut venenoſi, & toto genere noſtræ naturæ inimici fiant. Quod & in iſtis corruptis humoribus, qui febrem purpuratam cauſſantur, accidere ſolet: illi namque adeo pravè corrumpuntur & putreſcunt peculiari quodam corruptionis modo atque illi ſpeciei proprio, ut toto genere naturæ noſtræ adverſentur, atque venenati exiſtant. Gui rei probandæ eadem argumenta ſuffecerint, quibus purpuratæ febris venenatā eſſentiam proximè aſſerui, quæ commodùm huc transferri poſſunt, ne eorundem moleſta repetitione lectoris mei tempora morari velle videar.

Quemadmodum vero in hydrophobia, ab exiguo initio, ſputi videlicet qualitate, aucta quædam in corpore diſpoſitio, quando ad magnitudinem notatu dignam pervenerit, diſcerni poteſt. Sic eodem modo vitioſo humore in animalis corpore genito, paulatim tractu temporis principalium partium aliqua conſentit, à qua deinde univerſum corpus celeriter alteratur, ut docet Galenus *6. loc. aff. cap. 5. & 3. in 3. epid. comm. 75.* Neque enim ut morbi generatio ſubita eſt, ita & generationis cauſſa. Accidentia ſcilicet diu latere poſſunt in ſuis cauſſis, dum tandem impete facto erumpant: ſicut ruina ædium momento temporis accidit, cujus à multis annis prævia facta eſt diſpoſitio. Quo refero *Divini Senis* oraculum *de diæta a.* ἐκ μικρῶν συλλεγόμενα ἀθρόως ἐκφαίνονται, *paulatim collecta confertim exſpiendeſcunt.* Sic cauſſa purpuræ principio ſæpe adeo abſcondita latet, ut ejus vix aliqua ſe proferant ſigna, & ægroti ſe ægrotare non credant, ac illam præcipitem benè medendi occaſionem maximô ſuô malô negligant: imo ipſi medici fallaciſſimis hujus morbi blanditiis aliquando traducti eundem prope negligant, aliumve leviorem incuſent morbum, longe à noſtrâ purpurâ differentem, quod morbus nondum vitæ principium occupet, manifeſtisq; qualitatibus moleſtet, adhuc intra ſua principia hærens. At poſt venenum hoc invaleſcit, ac continua; ſed lenta actione aucta morbi ma-

teria ſubito tandem erumpit, magnorumque ſymptomatum ſeriem poſt ſe trahit, ſæva adeo ferocia, ut ægrotos necquicquam tale opinantes ſubito jugulet; aut dilata in paucos dies morte, eos accidentium vehementia paulo poſt conficiat. Non adeo fallaciſſimus Pœnus, aut ſi quæ gens alia fidei ſubleſtæ apud authores fuit, adeo ludere adverſariorum credulitatem potuit, ut noſter affectus pleroſq; decipit ſpecioſis leniorum ſymptomatum blandimentis: qui etſi ſæviſſimus ſit & aperta ac hoſtica vi (namque & hoc accidere aliquando memini; ut principio morbi ſymptomatum plena eſſent omnia valida febri, ex corporis apparatu producta; & quod veneni vis ad peſtilentis perniciem jam inclinaret) nocere poſſit: ex inſidiis tamen plerumque, quaſi ex conſtituto, adoritur, ut de eo vere dubites ſitne in eo major virtus anne dolus?

Venenum purpuræ in nobis genitum non unius generis eſt, ſed variat pro diverſitate materiæ corruptæ, loci varietate, atque ipſius corruptionis more modoque. Si namq; bilioſus humor corruptionem patiatur, ſymptomata corruptæ bilioſæ materiæ indolem referent: ſi pituita quæ in morbis pituitoſis eveniunt ſymptomata, ſe proferent: & melancholia ſibi conſueta & vernacula accidentia dabit: quod ſi ſanguis labem concipiat (ad quem analogiam hunc morbum potiſſimum habere dixi) propriæ hujus corruptionis aderunt notæ, & in quacunq; dictorum humorũ ſpecie, certo tempore exacerbari, aut remittere, aut continuo perſtare ſymptomata apparebunt. Namq; ſua cuiq; humori proprietas eſt, certo & determinato tempore moveri, alias quietem agere: dum tandem collectâ novâ materiâ conſueto paroxyſmi tempore morbus repetat. Ita quotidianæ febris circuitus ſingulis diebus repetit, tertianæ alternis, quartanæ duobus diebus intercalaribus, quarto revertitur. Quin ipſi venenati humores certo tempore aliquando virus ſuum effundunt, certoque temporis intervallo rurſus deliteſcunt, ut in epilepſia ex digito pedis oborta obſervavit *Trallianus lib. 1. cap. 15.* quam ex feminis ſanguinis menſtrui corruptione ſtatis periodis revertiſſe author eſt *Galenus 6. loc. affect. 5.* Humor enim corruptus in certa quadam parte aliquamdiu abſconditus hærere poteſt, quod paucus ſit & quieſcat: qui ſi copia auctus, aut acrimonia virulentave qualitate

mole-

moleſtus factus fuerit, aut proprietate innata certo tempore moveatur ad nobilem partem effuſus graviſſima, ut jam dixi, ſymptomata cauſſatur. Tanta vero purpurati veneni vis eſt, ut indifferenter omnes humores, eorumque ichores pravè corrumpat, modo hunc modo illum; modo plures aut omnes ſimul, qui exuperantes, aliamve labem paſſi, ut à natura imbecilli regi amplius nequeant, facile corrumpuntur, materiemque huic morbo ſufficiunt: qua de re tot diverſi effectus, ſæpe in eodem morbo contrarii, prodeunt, argumentò evidenti, materiam noxiam non uni humori inhærere. Ex horum ſymptomatum ſylva cædua ſunt vigiliæ, ſopor: κῶμα ἄγρυπνον delirium, ſtupiditas: ſitis intenſa, aliquando nulla: ſæpeque hi morbi ſynochas febres, ſæpe tertianas aut alterius generis febres acceſſione & ſymptomatum ſimilitudine æmulantur, ſæpe nullis certis periodis adſtrictam, vagam & errantem febrem introducunt, ut obſervarunt *P. Salius Diverſus d. febr. peſt. cap. 10. Nicol. Maſſa d. febr. peſt. tract. 1. cap. Joann. Thom. Minadous lib. 1. d. febr. malign. cap. 16.*

Loci quoque conditio ac diverſitas, in quo ſeu matrice ſeges hęc venenorum ſuccreſcit, veneno purpuræ ſuam proprietatem communicat: hinc quædam malignæ febres continuò affligunt, quædam per intervalla, unde febres intermittentes malignæ naſcuntur, ſi excrementitius humor extra venas pravè corrumpatur & putreſcat; ex quo pariter fonte derivantur colicæ peſtilentes, phrenitides, pleuritides, anginæ, omnes non ſolum ob corruptorum humorum diverſam indolem, ſed & locorum varietatem naturâ ſua & medendi methodo differentes. Partes enim debiliores faciliùs impreſſionem recipiunt; ſed & venenatus humor purpuræ quocunq; repit, ibi vim ſuam deleteriam imprimit: exemplo luis veneriæ, quæ ſeu combinatione illa corporum, actu nempe venerio, ſeu oſculatione, dum transfundunt, ut *Petronius* ajebat in in ſatyr.

———— hinc & hinc labellis
Errantes animas,

aliove commercio cum infecto infertur, quemvis humorem, quamvis partem, quam primùm attigerit, inficit. Sic in graviſſima peſte Aſiatica plurimi ſpecie differentes morbi graſſati fuere, deſcripti à ſummo Præceptore *3. epid. ſ. 3.* cujus rei cauſſam *Galenus* libri ejuſ-

dem *comm. 12.* expreſſit: ab eodem ſtatu genitum putrem humorem non eaſdem occupaſſe partes, quod nec per naturam omnium in eadem conditione corpus eſſet eo ſtatu, ſed eſſet alia aliis pars infirmior.

Præter hæc, ſi rem conſideratius examinemus, multa in purpuratis febribus occurrent, quorum ratio ex ſimplicibus humoribus, aut loci varietate reddi non poſſit; quum humores ultra conditionem ſuæ activitatis non agant, nec partium natura talia ſymptomata cauſſari queat; præterquam quod incredibile ſit, ſemper adeſſe morboſum apparatum, aut eaſdem partes in tot millibus ſubjectis eſſe debiles, ut populares ac malignas pleuritides, colicas, dyſenterias uno tempore concipiant, cum antequam morbo afficerentur, illis partibus ægroti optimè valerent. Alia & potior ratio præter illas eruenda ex purpurati veneni peculiari proprietate, qua hæc aut illa ſymptomata producit, partibusque certis inſita quâdam *ἀντιπαθείᾳ* adverſatur, commodùm huc traductâ harmonicâ aliorum venenorum analogiâ, quâ plurimâ quæ in magno mundo eveniunt, etiam in ejuſdem amphitheatro & microcoſmo, corpore humano accidere comperiemus. Nam ſublimati & arſenici alia natura eſt quam ceruſſæ: napellus à cicuta tota ſpecie differt; ſcorpius à vipera: & horum quædam intus aſſumpta, quædam foris admota corpori, omnia quidē vitæ principio bellum allatura; diſſimili tamen ratione, & ſymptomatis longe diverſis. Sublimato & arſenico hauſto, anxietates, vomitus oboriuntur, alvus & inteſtina vehementi eroſione excruciantur, fauces amburuntur, ſitis intenſa aliaque ſymptomata febrem concomitantur. At ab aſſumpta cicuta, mandragora, opio diverſos effectus imo contrarios proficiſci, longa experientia multorum ſeculorum compertum eſt: ſopore pleriq; attinentur, quamvis & ille turbulentus ſit, variiſque viſis mens percellatur; anxietates non adeo graves, mors ſubitaria: omneſq; illi effectus hauſto veneno principaliter adſcribendi, non humorum partiumve diverſitati. Quorum conſimilia accidentia cum in his morbis conſpiciantur, atque eorum quædam ad hanc aut illam veneni ſpeciem analogiam habeant, ac crebra obſervatione conſtet, pleroſque optimè ſanos in quibus nulla excuſatio precedentis cacochymiæ afferri

afferri queat, citra temperamenti, ætatis ſexus aut vitæ actæ rationem, nullo diſcrimine concedere in victimam ſævientis mali, jure etiam in nobis talem generari ſubſtantiam ſtatuendum, quæ proportione aliis venenis reſpondeat. Quamobrem recentiorum quidam tralatitiâ ad hunc morbum aliorum venenorum analogiâ, eorum naturam hunc ſæpe æmulari teſtantur. Ac mandato Salvatoris noſtri quomodo terreſtria creſcant lilia heic advertere nos jubet *Conradinus*, ut ex aliorum venenorum productione, quomodo hic noſter affectus generetur, cognoſcamus. Hinc peſtem aliam baſiliſco eſſe ſimilem, idem aſſerit, quod, ut hic ferali intuitu cita morte jugulat, ac vicina loca ſpiritali veneno ficit, ita & peſtis levi afflatu ſæpe communicetur, & virulentia ſua aerem contaminet; aliam vero æmulari vires arſenici, ſublimati, quotiens venenum volatili ſua ſubſtantia ſublimatum cerebrum petit, fauces ambuſtas, vigilias, ſitimq; efficit: aliam opium imitari, contrariorum affectuum introducta ſerie; aliam colocynthidos & hellebori eſſe ſimilem, quotiens alvo ſoluta, dejectionibus vomitionibus & conſectariis convulſionibus vis veneni moleſtat. Hinc tot accidentium in peſte & præſente morbo ſeries ſuperioribus ſeculis prodita, novaque venturis annis ſubnaſcentur ſymptomata, hactenus nobis ignota, morbique *σπανιώτεροι*, atque authorum ſcriptis nondum memorati induſtriam medicorũ fatigabunt, præſertim principio emergentis luis, nondum ejus in dole probè comperta. Hac etiam veneni proprietate accidere arbitror febres purpuratas non ſemper eſſe primarios affectus, ſed ſymptomatum rationem aliquando ſubire, aliosq; malignos morbos, e. g. pleuritidem comitari: Ita *Sertorius Straſoldus* phrenitide maligna obiit, teſte *Job. Thoma Minadoo*, cujus, ut aliorum viſcerum inflammationis febris perpetuum ſymptoma eſſe ſolet. Quin ut ſingula venena ſuas habent antidotos, peſtisque tum eſſentiæ, tum curationis ratione *ἰδιοσυγκρασίας* obſervarunt authores: ita & harum malignarum febrium plurimas ſpecies ac remedia in his diverſa reperire licet, quorum quædam hoc tempore plerisque profutura; alio tempore, ſi alia ſit à prioribus malignarum febrium indoles, quæ olim præcipuè ſaluti fuere, tum minus juvabunt: unde nec eadem omnibus dabimus alexipharmaca, ne uno, quod ajebat *Galenus*

Digitized by Google

Galenus 9. m.m. cap.16. calapodio omnes calceare calceos velle videamur, ut poſtea curatius docebo.

Corruptus autem purpuræ humor, cum venenatus ſit, totius etiam ſubſtantiæ proprietate nobis inimicus eſt, (nam tota ſua ſubſtantia mortificans venenum eſt, ut docet *Avicenna l. 1. f. 2. doct. 2. cap. 15.*) eaq; ſecretiore qualitate vitalem calorem deſtruit & corrumpit: is vero calorem præterea ſemper conjunctum habet, qui veneni qualitatem pravam quoquoverſum diffundit, cordique promptius communicat: quemadmodum cætera venena non occultis tantum, ſed & manifeſtis qualitatibus lædere dixi.

Calorem hunc in corruptis humoribus præſentem ſigna manifeſtò demonſtrant, qualia in febribus aliisque calidis morbis ſe proferre ſolent: quamvis hic calor purpuratæ febri non ſemper idem adſit, (quemadmodum nec corruptio humorum perpetuo una eademq; eſt) ſed interdum luculentior obſervatur, quotiens vis φλόγιςικὴ veneno adeſt inſignior, qua præter deleteriam qualitatem partes conflagrant. Vis enim purpurati veneni ſeptica eſt, unde corruptis ac putrefactis humoribus, iisq; perpetua actione fermentatis atque auctis febris maligna ſuccenditur, quæ maligno calore noſtrum innatum calorem, humores ac partes ſolidas accendit atq; corrumpit, ſibiq; ſimili affectione alterat, quod de agentibus tota ſubſtantia *lib. de ſemine text. 16. Galenus* dicebat. Putrefacientia enim ſi qualitate minima ſumantur, omnino tamen corrumpunt vicinas partes; præſertim vero ſanguinem, qui calidus & humidus nec putreſcere ceſſat, ſimulq; viciſſim putreſacere: Iſte vero calor tum magis exſplendeſcit, cum acrium biliosorumque humorum copia intus collecta maligno calori fomitem atque amplam materiam ſubminiſtrat, qua de re & in ipſo principio morbi tum vehementior apparet. Ita & longiore mora venenatus purpuræ humor calorem acquirit, accedente putredine, calore humoris proprio à deleteria qualitate ſublato, atque tum, ut putredo magis invaleſcit, calor purpuratæ febris manifeſtius ſe prodit; quandoquidem quivis humor alienus à corporis, quo continetur, natura, ipſum alere nequeat, ac in poſterum neceſſariam habeat in putredinem mutationem: quod ſi locus in quo cumulatur, calidus exiſtat

Digitized by Google

exiſtat, tum demum maximè & celerrimè putreſcit, ut docet *Galenus 2. comm. aph. 12.* unde pravè corruptis humoribus putreſcentibus, venenata morbi qualitas, quæ ſæpe abſconſa latet, magis ſe exerit, & una cum putridis vaporibus longe lateque exhalat, ac ad principem partem delata, febrem excitat, quæ non ſolùm deleteria pernicie, ſed & immodico calore moleſta ſit. Putrida enim facile exhalare ex generatione putredinis notum arbitror; quod ea calor internus evocetur, humidumque diffletur: abeunte ſiquidem calore proprio, naturalis humiditas una cum illo difflatur, atque evaporat. Quod & fimi exemplo conſtare nobis poterit: cujus exhalantes vapores cottidie videmus; etſi fœtidus odor ſterquilinii, putrida plurimum exhalare, fidem dubitanti facilè facere queat: quemadmodum & alias res putreſcentes, quæ, antequam putreſcerent, omni fœtore carebant, putore nares ferire advertimus. Sæpe etiam corruptionem putredo antevertere ſolet, cum humores putredine eam ſubeunt mutationem, ut penitus corrumpantur, & naturæ noſtræ tota eſſentia adverſentur: quod inſigni putredine contingere poſſe, extra controverſiam eſt; unde aliquando febres, quæ principio malignæ non fuere, in malignas degenerare medici viderunt. Quo in caſu calor malignitatem ſemper præcedit, à putredine humorum productus.

Interdum verò calor purpuratæ febris remiſſior eſt, purpurati veneni *ἰδιοσυγκρασία*, ſua cuique ſubjecto propria, aut pituitoſorum ac frigidorum humorum nimiâ copiâ in corporibus luxuriante: quibus, quod de porcis apud ***Ciceronem libr. 2. d. natur. Deor. Chryſippus, Varro*** item ***lib 2. c.4.*** & ***Plinius lib.8.c.51.***: dicebant, animam pro ſale datam eſſe, ne putreſcerent, jocari quis poſſet: in illis enim calor putris, obrutus quaſi, flammam exerere non poteſt. Sæpe etiam calor gravis non advertitur, dum minera corrupti humoris in parte ignobili, quæ cum principe partium nullum commercium vaſorum communione habeat, ſubſiſtit: illis enim locis etſi venenata materia putreſcat; non tamen vapores putridi ſtatim cor petent, caloremq; cordi communicabunt, quod veneni multo potentior actio ſit, quàm putredinis, & obſervatæ ſint putredines membra penitus corrumpentes, quarum vapores ad cor in tantum non penetrarunt,

N ut

Digitized by Google

ut febrem accederent: quod in truculentiſſima illa peſte Afrati-ca eveniſſe memorat *Hippocrates 3. epid. ſ. 3. text. 25.* Cujus rei cauſ-ſam *Galenus* citato loco propoſuit. Nec enim vel ſimplex calor in parte quadam, e. g. ventriculo, contentus, febrem ſtatim excitabit: ſed, ubi adeo vehemens caloris intemperies ventriculum occupet, ut usque ad cor ipſum perveniat, febricitare hominem neceſſe eſt, teſte eodem *Galeno lib. 7. m. m. 9.* Quemadmodum non quivis calor pro febre habendus, ut idem author monuit *8. m. m. cap. 1.* ſed qui immodice auctus hominem offendit & actionem lædet *2. m. m. cap. ult.*

An autem venenatus humor in corpore generari poſſit dubi-tant *Euſtathius Rudius d. morb. occult. & veneneſ. l. 2. cap. 1. Cæſalp. l. 3. art. med. cap. 47. Mercurialis lib. 1. de venenis cap. 14.* qui, verum venenum in humano corpore produci nõ poſſe, ſed quid venenis ſimile, quod æquet eorum qualitatem, illudque impropriè venenum dici debere, aſſerunt: quod venena à natura condita ſint, hoc autem ex acciden-ti; imo à corruptione quadam proficiſcatur, quod, cum omnium, quæ in vivente fiunt, author ſit calor naturalis aut præternaturalis, horum neuter tantæ perniciei cauſſa eſſe poſſit. Iſte enim vitæ o-mniumque functionum in humano corpore verus δημιουργὸς eſt ac promus condus: quo aucto, cuncta læto vigore potius recentantur, quàm ut inde tantæ malignitatis ipſiusque mortis occaſio derivetur. Hic etſi bellum nativo calori indixerit; tamen tanta ejus vis non eſt, ut producere venenum valeat: quod actiones caloris manifeſtæ ſint; at veneni effectus tranſcendant fortem notarum qualitatum, ac totius ſubſtantiæ proprietate nobis adverſentur. Qua de re corru-ptiones ſeminis ſanguinisque menſtrui ad venenorum claſſem ne-quaquam referendas cenſent: quod inde animal neceſſario interi-ret, aliaque veneni ſymptomata adeſſent, nec virtute caloris nativi venenum iſtud ſuperari poſſet: cum tamen experientia teſtetur, vi-ros, fœminasq;, ac adultas virgines nulli adſuetas veneri, incolumes vivere, aut ſi quæ noxa ex corrupto ſemine ſuccreſcat, epilepſiam, palpitationem cordis & hyſtericas affectiones inde oboriri, quarum proſapia non ad venenatorum, ſed aliorum affectuũ claſſem ſit trans-ferenda. Hinc *Mercurialis lib. 5. d. febr. cap. 17.* malignitatem in febri-bus

bus peſtiferis eſſe illam ingentem putredinem, & illum gradum extremum putredinis eſſe veluti venenum aſſerebat.

Contra *Santes Ardoynus lib. 1. d. venen. cap. 4. Hercules Saxon. de Phœnigmis cap. 8. & 9. Gerardus Columba lib. 1. d. febr. peſtil. cap. 39. P. Salius Diverſ. d. febr. peſtil. cap. 4. Zacchias quæſt. medico legal. lib. 2. tit. 2. quæſt. 5. Sennertus lib. 2. inſtit. part. 2. cap. 12. Zacutus lib. 1. med. princ. hiſtor. 52. Dub. 28.* venena in nobis generari poſſe concedunt. Cum enim humores pravè corrupti eam acquirant malignitatem, ut pares cum venenis effectus habeant, horumque modo ac ſævitiâ pari eadem graviſſima inferant ſymptomata, mortemq; adeo celerem cauſſentur, & mox ab exceſſu veneni characteres in cadavere expreſſi appareant, atq; ipſa curatio venenis aſſumptis aut foris illatis debita illis oppido reſpondeat, etiam ad venenorum claſſem reducendi erunt. Venenum canis rabidi exitioſum maximè eſt, & tamen illud in canibus generatur; imo & in corpore humano aliquando naſci poſſe citra morſus alteriusve contagii ſuſpicionem, obſervarunt *Cælius Aurel. lib. 3. acut. cap. 9. Pareus lib. 20. cap. 15. P. Salius Diverſus d. affect. partic. c. 19.* Docuit idem *Galenus comm. in 1. prorrh. text. 17.* Nec à veritate adeo alienum quis exiſtimet, venena in corporibus generari poſſe, cum & venenata animalia in hominibus aliquando procreentur. Ita teſte *Hollerio lib. 1. d. morb. intern. c. 1.* Italo cuidam ex frequenti odoratu baſilicæ herbæ natus ſcorpio in cerebro, qui vehementes dolores & longos, mortem denique attulit. Quin & totum hominem venenoſum reddi poſſe, ut alios ſuâ virulentiâ interficiat, vel *Cambajæ* provinciæ *Regis* filii exemplo doceri poteſt, quem veneno educatum referunt rerum Indicarum ſcriptores, eumque adultum adeo factum venenoſum, ut muſcæ, quæ ſolo ſuctu cutim modo perſtringerent, turgidæ interirent, ut notavit *Scaliger. exercit. 175.*

Nec obſtat venena à natura eſſe inſtituta, quaſi ea noſtri miſerta eſſet, quorum facilimo hauſtu, in tædio vitæ, illibato corpore, & cum toto ſanguine extingueremur; quâ cauſſam generationis venenorum aſſeruit *Plinius lib. 2. c. 63.* humores autem venenatos ex corruptione intrinſeca, & quaſi per accidens produci. Cauſſarum enim diverſi-

tas non ſtatim efficit eſſentiæ diverſitatem: quod unius rei plures poſſint eſſe cauſſæ. Calor nativus ſi validus ſit, cuncta quidem in corpore gubernat & à corruptione vindicat: at ſi ille langueſcat, ac qualitates paſſivas cum activis conjungere amplius nequeat, mixtum ut corrumpatur & putreſcat neceſſe eſt, vario corruptionis modo, pro cujusq; principii conditione. Calor etiam omnium actionum in corpore noſtro ſolus author eſſe aut dici non poterit, quod multo nobiliores effectus à forma fluant, quæ etiam occultis qualitatibus in nos agit, manifeſto effectu, quamvis eſſentia ejus nobis ſit nomine ignota, qualis illa ſit, quæ ad veneni generationem requiritur. Et in principiis ſuis ſæpe abſconſa latet venenatæ materiæ origo, ut prona ſit ad tantam corruptionem, ac revera tandem venenata fiat: quotiens imbellis calor ſubjectam materiam amplius gubernare non poteſt. Nam quorundam ciborum ea nota labes, ut facile in venenum mutentur, quod de cucumere & melopepone dicebat *Galenus lib. d. cib. bon. & mali ſucc. cap. 8.* Et *Aetius* author eſt *lib. 5. de re med. litt. c.* ex copioſo eſu cucumerum pravos ac craſſos in venis generari humores: qui, ſi putreſcant, febres malignas invehant. Sic boletos, voluptarium venenum, quid occulti operis in corpore relinquere cenſet Seneca, etiamſi præſentanei non fuerant. Et ſycamina poſt alios cibos ſumpta, aut ſi malum ſuccum invenerint in ventriculo, celerrime corrumpi, abſurda quadam corruptione, & quæ verbis explicari non poſſit, *Oribaſ.* retulit *lib. 1. collect. cap. 43.* Pro ſubjecti enim varietate varios effectus producet calor, & ex cadavere leonis apes, ex equino veſpas reſtibilis calor proferet: ſic idem ſolis calor lutum indurat, ceram liquefacit. Pariter & humores corporis, ut diverſis cauſſis naſcuntur, atque impreſſionem recipiunt; ita variam indolem acquirunt, proniique fiunt ad hanc aut illam labem ſuæ corruptioni, quæ in principiis hærebat, congenerem accipiendam: quæ tandem longo poſt tempore ſponte ſua, vel cauſſarum externarum vi excita in actum prorumpit, atque conſimilem cauſſæ ſuæ affectum generat. Quæ etiam ratio eſt, cur affectus quidam morboſi, queis abavus, atavusque, & majores olim obnoxii fuere, & qui in filiis ac nepotibus penitus delituere, ut nec veſtigia eorum advertere liceret, in poſteris aliquando quaſi redivivi rurſus emer-

emergant: quod quæ in principiis ſuis occulta hærebat labis diſpoſitio, per generationem traducta quidem in liberos; ſed benignitate alterius parentis ſeminis hactenus emendata, continuâ ſed lentâ & occultâ actione longâ die potentior facta, tandemq; amicâ attemperatione alterius ſeminis deſtituta, tandem in nepotibus erumpat, eoſdemque morbos, queis majores ipſorum affectos fuiſſe conſtat, in poſteris poſtliminio reducat.

Cur vero viri, pariterq; fœminæ ac virgines μύλανδραι, ut eas appellabat Athenæus in Dipnoſoph. ſcil. quæ ſunt annis plenæ maturitatis, & ad patiendum geſtientibus, ut facetè Petronius in ſatyr. jocabatur, incolumem ætatem aliquando degant, quamvis longo tempore intermiſſa venus fuerit; illud ea ratione accidere credo, quod ſemini temporis diuturnitate nulla adhuc allata ſit noxia qualitas; ſed illud in loco proprio, in quo res quæque optimè conſervatur, hæreat; aut mole exuperans naturam ad excretionem ſtimulet. Quamvis autem ſi pernicies producta non adeo vehemens fuerit, caloris nativi ἔκλαμψις alluxerit, ac remedia alexiteria talibus affectibus profutura commodè & decenti tempore exhibeantur, ſæva minus apparere ſymptomata, eaque ocyus remittere ſoleant: ſæpe tamen affectus periculoſiſſimi ſanguinis menſtrui ſeminiſque retentionem ſequuntur, qui venenorum aliorum vires penitus exprimunt, mortemque aliquandò accerſunt, ſi corruptio gravior ac penitus deleteria facta fuerit, quod *lib 6. d. locis affectis cap. 5.* ſignificare *Galenus* volebat. Quod ſi ex laudatiſſimis humoribus, ſemine, ſanguineque, alimentis item prave corruptis venenata qualitas aliquando inducitur; multò maximè à vulgaribus excrementis fœdè corruptis talis deleteria qualitas ſubnaſcetur.

Authoritates veterum medicorum, qui hanc venenorum γένεσιν in nobis admittunt, plures huc tranſcribere liceret, quas conſultò omitto; cum ſumma rerum ſaltem delibare mihi ſit propoſitum: qui velit, adeat hac de re *Galenum 2. in 6. epid. text. 38.* ubi inquit. Non ſimpliciter tenuem & ichoroidem ſanguinem ab ipſo ichoroidem vocari ſuſpicandum eſt, ſed eum, qui venenoſa aliqua & maligna facultate præditus eſt. Et *lib. d. theriaca ad Piſonem cap. 15.* elephantiaſi ex magna humorum corruptela venenata qualitas adſciſci-

ſciſcitur. Confer eundem *Galenum 6. in 6. epid. comm. 5. Avicennam lib. 3. fen. 1. tract. 2. cap. 6. Averroem 3. colliget 29.* qui venenoſos humores in nobis aliquando generari confirmant.

An vero inſignis putredo ſemper requiratur ad veneni in corpore productionem ambigit merito *Herc. Saxon. ſect. 2. d. phœnigm. cap 10.* rationibus validis, quas ne heic lectorem longius morer, ibi videre licet: qui pariter venena in corpore absque putredine generari & augeri poſſe *tract. d. febr. cap. 37* aſſerit. Conſentiunt *Zacchias q. med. legal. lib. 2. tit. 2. quæſt 5. Daniel Sennertus lib. 2. inſtit. part. 2. cap. 12. de cauſ morb. tot. ſubſt.* Contra vero alii venenum non niſi ex ſumma humorum putredine in corpore humano naſci poſſe arbitrantur. Quibus reſpondetur, in veneni generatione maximum quidem exceſſum fieri à debita humorum conſtitutione, quod venena vitæ noſtræ inimiciſſima ſint, & parva mole maximum robur ſpirent, adeoque maxime à ſeipſis & priſtina ſua natura diſtent. Iſtam vero μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος putrefactione, eaq; ſummâ, ac ſemper fieri iiſdem argumentis non dum probatur: cum multæ fiant in humano corpore, imo in toto mundo mutationes in res diverſiſſimas; quæ tamen omni putredine careant. Corrumpitur enim homo veneno, enſe, frigore, calore immodico, apoplexia, aliiſq; internis quibuſdam morbis, quibus tamen non putreſcit: corruptio namque à putrefactione diverſa eſt, & ut genus ſpeciem, ita corruptio putredinem ſub ſe complectitur, quod multo major illius ſit ambitus, & hæc alterius cancellis coerceatur. Ita *Galenus* notavit *5. ſimpl. cap. 18.* non omnia quæ corrumpuntur, σήπεσθαι i. e. putreſcere, ſed quibus id cum fœtore accidit. Quod ſi ſumma putredo ad venenorum productionem ſemper neceſſaria foret, ejus indicia calore ac fœtore ſe proderent: quæ tamen in generatione peſtilentis ac purpurati veneni aut nulla aut levia admodum percipiuntur. Sic in epilepſia per conſenſum ex pede oborta, in uteri præfocatione, affectibus citra dubium venenoſis, corruptio humorum, ſed nulla putrefactio percipitur, quod hujus ſigna abſint: quin in hyſtericis potius totum corpus frigore perfundi, taleſq; morituris ſimilimas interdum apparere videmus, ut pro mortuis aliquando elatæ fuerint. *Gerardus Columba de peſtil. febr. cogn. & curat. lib. 1. c. 41.*

dum

dum plurimis probat, venenum non niſi ex ſumma, vehementi & inſigni humorum corruptione, quæ indicibilis ſit, produci, *folio 116.* ſcribit, putrefactionem non quamlibet, ſed indicibilem & ſummam poſſe humores in venenum transmutare. Cui ſuperior reſponſio ſatisfaciet; quamvis putredine ſubſtantiam rerum penitus corrumpi poſſe non negaverim; non tamen ut ea neceſſario, ac ſumma ſemper generando veneno adſit. Ipſe etiam *Columba* quid per excellentem putredinem intelligat, paulo poſt ſe explicat, ut verbis, non re ipſa à dictis authoribus diſcrepare videatur. *Folio* enim *117.* ait. *Summa & excellens putredo non intelligenda eſt ſumma extensivè: ſic enim omnes febres ſynochæ peſtilentes eſſent. Nec ſumma intensivè, cui non poſſit fieri additio: ſic enim omnis terra, fimus, & cinis, ad quæ omnis putredo terminatur, venenum eſſent. Sed excellentem ac ſummam intelligimus indicibilem pravitatem & modum corruptionis pernicioſum, ſive actione agentis venefici immutantis humores alteratione ſibi conſimili, ſive ex pernicioſa natura ejus, quod putreſcit, contingat.*

Aliæ præterea referuntur deleteriæ hujus corruptionis internæ cauſſæ, remotæ potius, quam quod in iis proximè collocari hic morbus poſſit: plethora ſcilicet, cacochymia & obſtructio; huc relatæ à *Galeno lib.* 1 *d.diff.febr.cap 6.* quod ſubjecta diſponant ad recipiendam hanc labem: namque una aut altera harum præſente collecti humores pravè corrumpi, & ita à priſtina natura deficere poſſunt, ut venenoſitatem aliquam acquirant, huic lui propriam & ſpecificam: unde venenati halitus expirantes ſymptomata periculoſa ipſamque mortem inducant, potiſſimum ſi nova adveniente putredine exagitentur: unde febris oritur, quæ ob conjunctum venenum maligna eſt. De qua corruptione humorum dicebat *Aetius lib.5. d re med. cap. 130.* eam, ſi ingens exiſtat, venenoſo medicamento ſimilem eſſe. Humores enim in venis detentos non ſimpliciter, ſed pravè corruptos, ac venenatos, totaq; ſubſtantia nobis adverſos putreſcentes cauſſam internam febri malignæ præſtare cenſeo. Sicut enim rationale additum animali, hominem; ita venenata qualitas his febribus peculiaris, cuivis febrium addita conſtituet febrem malignam; ejusq; ſpecialiſſimam ſpeciem: namque eſt veluti forma & integrum naturæ hujus mali complementum.

Et

Et phethora quidem ſive ad vaſa, ſive ad vires, omnis noxia eſt, ut conſtat ex, *Galen. lib. de cur. per ſang. miſſ. cap. 4. & lib de plethora*; & εὐεξία athletica, quam exempli loco ſummus Præceptor proponit *lib. 1. aph. 3.* damnatur: quod corporis habitus ad ſummum plenitudinis gradum perductus, lubricus ſit, neq; in eodem permanere, aut conſiſtere poſſit: quum vero non conſiſtat, nec jam poſſit in melius proficere, ſupereſt, ut recidat in deterius: continuo enim novi alimenti acceſſu vaſa diſtenduntur, ut ea diſrumpi metus ſit: & calor nativus multitudine aliquando ſubito obruitur & ſtrangulatur; aut paulatim contabeſcit & moritur, quod plenitudo obſtruat, & ventilari calor non poſſit: unde humores ac ſolidæ partes nativo calore deficiente, aut eo invalido corrumpuntur, ut docuit *Gal. comm. 3. nat. hum. text. 1.* variamque corruptionis ſpeciem ſubeunt. Hinc *Corn. Celſus* verè monebat: *ſi quis ſeipſo ſpecior factus ſuſpecta ſua bona habere debet.*

Sic & obſtructio à craſſis, lentis, viſcidis humoribus facta tranſpirationem impedit *Galen. 8. m. m. cap. 4. & 9. m. m. c. 5.* unde calor naturalis læditur *8. m. m. c. 2. & 11. m. m. cap. 8.* ut, cum quoquoverſum radios ſuos diffundere nequeat, & fuligines intus conceptæ retineantur, corporis ſucci corrumpantur & putreſcant.

Pariter & cacochymia ad ſuſcipiendum hunc morbum corpora diſponit: quod talia cum per ſe debilia ſint, cauſſarum hujus morbi impreſſioni minus reſiſtant: &, cum à naturali calore nequeant gubernari, prompta fiant ad corruptionem, fomitem malo præſtent, levibusque de cauſſis inquinentur.

CAPUT IX.

Cauſſas purpuræ externas recenſet.

INter cauſſas externas primus occurrit aer, potentiſſimus in hoc morbo excitando, quod eum ſpirando continuò trahamus, illoque carere vita humana non poſſit juxta *autorem*

rem lib 5. de flatibus. Hujus enim alteratione aſſiduè afficimur, cum reliquis cauſſis non omnes ſimul æque obnoxii ſimus, ut monent *Aetius lib. 5. de re med. cap. 95. Oribaſius ſynopſ. l. 6. cap. 24. P. Ægineta l. 2. cap. 35.* adeo ut ex aeris conſtitutione varia variè afficiamur, nubiloq; & pluvio Jove triſtiores, at ludo ſerenoq; cœlo lætiores reddamur. Sed & moribus diverſis ex aeris potiſſimum temperie homines animos ſuos induere docuit *Hippocrates lib. de aëre, aquis & locis.* Et authore *Caſſiodoro lib. 12. variar. ep. 15. antiqui Athenas ſedem ſapientiæ eſſe dixerunt, quæ aeris puritate perunctа lucidiſſimos ſenſus ad contemplativam partem felici largitate præparavit.* Contra *Bœotia* ob aeris craſſitiem, ac homines ſtupidos atque inertis ingenii male audivit. Hinc *Horatius lib. 2. epiſt.*

Bœotûm in craſſo jurares aere natum

Cum itaque morbi communis cauſſa quærenda ſit, mandato *Hippocratis lib. de natura humana,* aer eodem authore præcipuè accuſandus erit: quod confirmatur *lib. de flatibus. Communis ſcilicet febris propterea omnibus accidit, quod eundem ſpiritum omnes attrahunt, ſitq; ut ſimili corpore ſimiles ſpiritus ſimiliter permixti ſimiles gignant febres. Homerus* quoque peſtem Græcorum, quam decimo de cognovit *Achilles,* à Junone, i. e. aere excitatam ſtatuiſſe videri poteſt, ut ſentit *Euſtathius.* Ἀχιλλεὺς γὰρ Χείρωνος ὢν μαθητής, καὶ τὴν ἰατρικὴν τέχνην σοφῶς ἐπιστάμενος, ἐκ τῆς τοῦ ἀέρος καταστάσεως ἐπέγνω γινόμενον κακόν, i. e. *Achilles Chironis diſcipulus & medicum artem probè doctus ex aeris ſtatu cognovit profectum malum.* Poetis enim ſolenne admodum ſpecioſis fabularum cõmentis rerum myſteria involvere. Eandem porro communis morbi cauſſam in aere agnoſcunt *Galenus 1. in 1. epid. Aetius lib. 5. de re med. cap. 94. Ambiens enim aer qualem naturam habuerit, ita etiam nos afficit,* ut docuit *Galen. 2. d. criſ. cap 3.* Quare ſi is debita naturæ lege fluat, & ſuam cuique anni tempori conſuetam temperiem gerat, innoxius eſt, & morbi qui facile ſolvuntur & conſiſtunt, gignuntur, ut obſervavit *Hippocr. 2. epid. ſ. 1. & lib. 3. aph. 8.* Quod & *in epiſtola ad Dionyſium* confirmat. *Et meliora tempora ſunt, quæ ſervant naturam ſuam* teſte *Avicenn. lib. 4. f. 1. tr. 4. c. 1. & lib. 1. fen. 2. doct. 2. cap 5.* ut cum hominibus bene annus cedit, & piſcibus feliciter degere fere contingat ex ſententiâ *Ariſtotelis lib 4. hiſtor. anim. cap. 19.* Sic

Galenus comm. 1. in 1. epidem. comm. 1. fatetur: *ubi naturaliter anni tempora procedunt & in ſe mutuo convertuntur, non exiſtere neq; peſtem ullam, neq; quenquam alium morbum vulgarem, ſed ſolos diſperſos morbos qui victus comites ſunt,* quos & boni judicii eſſe eodem textu ſcribit. Ubi lectorem meum monere volo, *Galenum* per vulgares morbos heic tales intelligere, qui certo anni tempore in regione quadam graſſantur. Qui enim per ſucceſſiones & viciſſitudines temporum anni oboriuntur, communes quidem ſuo merito dici poſſunt, quod nonnulli morbi in quibuſdam magis tum fiant tum exacerbentur, ut docet *Hippocr. 3. aph. 19.* qui *aph. 20.* veris, *21.* æſtatis *22.* autumni *23.* hyemis morbos recenſet; ad aliorum tamen epidemiorum ſeriem non reſtringendi: quod quaſi ordinarii illorum temporum morbi ſint, & conſuetis temporum periodis & invadant ac remittant, ut patet ex *Hippocrate 3. epid. ſ 3.* in fine.

Quod ſi aer magnam alterationem temperamenti aut ſubſtantiæ patiatur, quod per inſignes temporum mutationes, ſeu, ut explicat *Galenus in comm. lib. 3. aph. cap. 1.* eorum naturæ & temperamenti alterationes evenire videmus, diſponit ad ſui ideam corpora noſtra, varioſque epidemios morbos, pro varia ejuſdem conſtitutione, in obnoxiis introducit. Si igitur unius temporis fuerit alteratio, eaque non adeo vehemens, morbos quidem efficit, ſed periculi expertes: quemadmodum in conſtitutione illa epidemica apud *Hippocr. lib. 1. epid. ſect. 1. text. 16.* Thaſii ὀκόσοι καθ' ἰητρεῖον ἀνόσως διῆγον, ſeu, ut explicat *Galenus in comment.* Thaſii abſtinuerunt medicamentis, aut auxiliis medicis, quod leviter eſſent homines affecti, quod morbos quæ parerent cauſſæ, κακοήθες, i. e. malignum haud quicquam haberent, quod diuturnitate temporis conſecutæ ſunt. Quales populares innoxios morbos plures deſcripſerunt authores: tuſſim, quam per univerſalem Galliam anno cIↃ IↃ LVII. viguiſſe, & conſimilem epidemiam tuſſim, quam anno cIↃ IↃ X. ibidem increbruiſſe memorat *Valleriola in app. loc. comm.* Quod morbi genus vulgo la coculuche vocatum, quod, qui eo morbo tenerentur, cucullione caput velarent. Et *Foreſtus lib. 6. obſerv. 3.* refert anno cIↃ IↃ LXXX. tuſſim & catarrhum quendam epidemium univerſam plane Europam pervaſiſſe, ut, quamvis integræ familiæ hoc morbo corri-

corriperentur, vix tamen millesimus inde moreretur. Quod de eodem morbo obſervarunt *P. Salius Diverſus d. febr. peſt. cap. 11. VVierus d. morb. incogn. Herc. Saxon. lib. 10. de plica p. 28.* Taceo ophthalmias, diarrhœas febres tertianas, quartanas populares, ſed benignas graſſatas. Ita noviſſimâ obſervatione anni cIↄ Iↄc XL. ineunte vere tertianæ creberrimæ viſæ, & ejuſdem anni autumno menſe octobri & novembri, catarrhus epidemius adeo ſubito obruebat homines, ut una nocte tres quatuorve in eadem domo, ſed citra vitæ periculum afficerentur. Anno cIↄ Iↄc XLIII. æſtate catarrhus epidemius infantes graviter torquebat, cæteris ætatibus intactis, ut plurimi ſanguinem ex valida tuſſi rejicerent, nullo ſubſequente graviore malo; pauciſſimi catarrhi irruentis impetu ſuffocarentur.

At ſi magna contigerit temporum mutatio exceſſu primarum qualitatum, atq; is diutius duret, eoq; hæc labes procedat, ut natura ſua ac temperamento hoſticus hominibus aer factus ſit, peſtilentium & malignorum morborum cauſſa erit: quæ ſi vehementior fuerit peſtem, ſi mitiore feritate ſæviat, febres lenticulares aliosque malignos morbos procreabit. Aerem autem heic non appello ſimplex homogeneum corpus, elementare, (qualem ratione potius, quam re ipſa tale ſtatuere licet; qui & putredinis omnis expers foret ob ſimplicitatem, docente *Avicenna lib. 4. fen. 1. tract. 4. cap. 1.* cum putredo ſit mixti affectio,) ſed qui cæterorum elementorum materiam ſibi permixtam habet: quia elementa non adeo pura ſunt, ut non ex aliis elementis ſimul quid participent. Hinc & *Ariſtoteles 4. meteor. cap. 1.* terram, aquam, aerem, ſolo igne excepto, putreſcere teſtatur. Ignis vero non putreſcit, quod quæ putreſcunt, ambiente & alieno calore corrumpantur, qui proprium deſtruit; at igni nullus calor contrarius, ſiquidem ſupremum gradum caloris poſſidet: qua de re nec qualitates contrarias ſuſcipit; ſed mixta injecta ceu pabulum ac nutrimentum caloris depopulatur & conſumit. Omnes autem aeris conſtitutiones aptæ ſunt ad generationem peſtis purpuratarumq; febrium, modo aerem ita alterare & corrumpere poſſint, ut naturæ humanæ toto genere adverſus fiat: namque & ſicciſſima aeris temperie peſtes graſſatas fuiſſe ex *Vergilio 3. Æneidos, Seneca tragœdo in Oedipode Actu 1. Livio lib. 1. Decade 4. Nicephoro lib. 7. hiſt. eccleſ.*

 notum.

notum. Et immodicis caloribus itemque maximo frigore corrumpi aliquando aerem, ut & ſubſtantiæ & qualitatum mutationem patiatur, totoque genere naturæ humanæ adverſetur, concedet, qui potentiſſimarum in agendo qualitatum effectus, & quod peſtis purpuraque quibuſdam locis media æſtate, itemque hyeme acerbiſſima graviſſime ſævierint; aliis temporibus aut deliteſcentes aut certe minus frequentes minusque malignæ, conſideratius perpendet. Quin & nulla aeris intemperie peſtis purpuraq; graſſari viſæ: ita *Corn. Tacito lib. 15. annal.* referente in Romā omne mortalium genus vis peſtilentiæ depopulata, nulla cœli intemperie, quæ occurreret oculis. Idem in peſte illa quæ anno ciɔ Iɔc XXX. & ſequenti *Mediolanum*, *Veronam*, *Venetias*, *Patavium*, aliasque in vicino urbes graviter affligebat, evenire memini; nullum tum fuiſſe aeris vitium, quantum ſenſibus deprehendere licebat. Quod tamen rariſſime contingere authores meminere: aliiſque tum cauſſis nata peſtilentia, quas *C. Tacitus* eo loco ſiluit: quemadmodum contagio traducta à *Germanis* ad *Mantuam* bellum gerentibus peſtilentia illis temporibus credebatur. Laudata etiam aeris conſtitutione, nulla alia nota cauſſa externa præſente, peſtem aeris vitio aliquando increbreſcere quid vetat, ſi ille principia corruptionis dudum conceperit? cum ſubjectarum rerum cæcis νοτεραῖς ἀναθυμιάσεσι perpetuò perfundatur, quæ ſenſim, longo tempore multiplicata ſubito erumpunt, aeremque latè contaminant?

Inter omnes vero aeris conſtitutiones præſenti morbo excitando potentiſſima eſt humida conſtitutio, quod mater putredinis & hujus conſectariæ corruptionis ſit: quemadmodum omni ævo memorabile ejus rei exemplū eſt apud *Hippocratem lib. 3. epid. ſect. 3.* peſtilentia, quæ major fuit, ut de ea *Thucydides* loquitur, quàm ut exprimi, & acerbior, quàm ut humana natura tolerari poſſet: cujus ſimilem nunquam poſt tempora Hippocratis graſſatam fuiſſe credidit *Avenzoar.* In illa fuit annus auſtrinus, pluvius, à ventis in totum ſilens: unde graviſſimi peſtilentes morbi, qui tum accidere, ad putredinem & nimiam humiditatem ab Hippocrate & Galeno relati, cum humiditas, ut jam dixi maxime prona ſit in putredinem. Tribus autem modis pluviæ multæ fiunt docente *Galeno 1. in 1. epid. comm. 1.*

vel

Digitized by Google

vel ob imbrem conſertim decidentem, ut in *Thaſo tempeſtate ſecunda libri 1. epid.* vel quod diuturnitate temporis ſenſim pluat, ut in *Thaſo 1. epid. tempeſt. 1.* ubi pluviæ multæ, continentes, lenes, quales ſpirante *Auſtro* funduntur, vel quod 3. notatæ, cõfertim & aſſidue decidant pluviæ, ut *2. epid. in principio*: pluebat per æſtatem largo imbri aſſidue. Auſtrina quoq; tempeſtas ſi diuturna ſit, putredines inducit, maxime ſi humida fuerit. Namq; Auſter & Africus humidi venti ſunt, teſte *Plinio lib. 2. hiſtor. nat. cap. 47.* nubesque in ſe plerumque contrahunt. Aliquando tamen eodem authore ut & *Galeno 3. in 3. epid. comm. 3.* Auſter ſiccus eſt, & venti aliquando permutant naturam cum ſitu locorum: ita Auſter Africæ ſerenus, Aquilo nubilus. Auſter etiam male audit apud authores: quem plumbeum vocat *Horatius l. 2, ſat. 6. v. 18.* an quod plumbeos homines efficiat, gravans caput & membra? unde *Hippocrates 3. aph. 5. & lib. de humor.* Auſtri auditus gravitatem afferunt, oculis caliginem offundunt, capitis gravitatem inducunt, membrorum torporem ac languorem faciunt.

Eandem porro aeris humiditatem accuſant cæteri authores: *Diodor. Sicul. lib. 5. bibl. hiſtor. pag. 239.* pluviarum inundatione corruptis frugibus, annonæ caritate, & corrupti aeris vitio peſtilentiam obortam narrat, idemq; de peſte Attica confirmat *lib. 12. bibl. hiſt. pag. 316. Aetius lib. 5. d. re med. cap. 94. Avicenna lib. 4. fen. 1. tract. 4. cap. 1. Averroes lib. 4. colliget. cap. 14.* Et *Rhaſes lib. 1. aph. de progn. rerum futurarum* dicebat: Quando in hyeme fuerint pluviæ multæ, & in vere duraverint hæc, præparantur gentes morti, & omnes illi qui ſunt debiles ex natura, & qui ſunt complexionis humidæ. *Hieron. Fracaſt. lib. 2. de morb. contag. cap. 2.* purpuratas febres primum anno cIↄ Iↄ XXVIII. apparuiſſe tradit, earumque ortum in aeris conſtitutionem humidam refert; Idem facit *Montanus de febr peſtil. cap. 12.* Et *Thomas Jordanus d. peſt. phæn. tract. 1. cap 19.* antequam lues Pannonica inciperet graſſari, exundationes maximas Danubii, Savi & Dravi fluviorum contigiſſe ſcribit. Taceo recentiores omnes, qui humiditatem aeris nimiam fœtam in peſtilentium morborum generationem eſſe tradunt. Humiditas vero aeris tum multo maximè nocitura ſi calorem adjunctum habeat, quod ex ſententia Galeni pu-

1528.

 tredo

Digitized by Google

credo omnis videatur ex materia quidem gigni humida; ex cauſſa vero efficiente, extraneo & præter naturam calore. *3. epid.3. comm.1.* Qui calor interdum humiditatem antecedit, interdum eā ſequitur. An eo reſpexit *Homerus*, dum in Græcos ſagittas Apollinem miſiſſe fingit? per Apolliné Solem intelligés, qui ſpicula, i.e. radios ſuos emittat, corruptos vapores attrahat, ac ſeminaria peſtilentiæ diſpergat. *Lucret*, certe *Lib.6.de rer.nat.* peſtilentes morbos oboriri voluit, ubi terra

——— putrorem humida nacta ’ſt

Intempeſtivis pluviiſq; & ſolibus icta.

Illa vero humiditas aeris perniciosior erit; ſi aer ventis non recētetur: quod memorabile in peſte Aſiatica obtigiſſe Hippocrates obſervavit, ἀπνοίαν ſcilicet διὰ παντὸς, non quod nulli plane venti toto anno ſpiraverint: eos enim paulo poſt deſcribit; ſed quod parvi diſperſimque flaverint, ut explicat *Galenus lib.2. d. diff. reſpir. cap. 6.* totiusque anni tranquillitas lenibus ventis non fuerit obſcurata. Ut enim aquæ, ni moveantur, facile vitium capiunt; ita & aer ſi longo tempore quietus maneat, nec ventis (quos *fluctus aeris* ſcitè nominabat *Plinius lib.2. hiſtor. nat. cap. 43. Vitruvius lib.1. architect. aeris fluentes undas cum incerta motus redundantia;*) impellatur, putreſcit & corrumpitur. Quod enim noſtris corporibus præſtant arteriæ, idem ventus aeri, qui cum calidus & humidus ſit, immobilitate putreſcit facile: hinc & veſtes repoſitas à corruptione & putredine illæſas ſervari videmus, ſi crebrius excutiantur, ventisque exponantur. Aer enim concluſus, cum non moveatur, calidior fit, putreſcit atque corrumpitur. Hinc & *Thucydides lib.2. belli Peloponn. & Diodor. Siculus lib.12. pag. 310. Plutarch. in Pericle* non levem peſtilentiæ *Atticæ* cauſſam acceſſiſſe teſtantur, quod in cavernis tempore æſtivo animam ſtrangulantibus domorum penuria degere plerique cogerentur, qui ex agris in urbem migraverant. Cujus rei conſimilem exemplum refert *Livius lib 3 hiſtor. Rom.* Et *Avicenna de remov nocum. in regim. ſanit. tract. 2. cap 11.* author eſt; ex aere non commoto ſequi diſpoſitionem ſimilem peſtilentiæ, aut alterationem naturæ ejus declinare ad aerem locorum paluſtrium. Confirmat *Rhaſes lib.3. ad Manſor cap. 25. & 4. ad Manſ. c. 25.*

Mihi

Mihi conſideranti iſtorum temporum (quibus lues hæc apud nos graſſari viſa) conditionem, tota prope pluvioſa & auſtrina viſa fuit: præcipuè vero totius anni cIↄ Iↄc XXXIX. revolutione continentes ferè pluviæ defluxere, rarâ & vix paucorum dierum ſerenâ tempeſtate: menſe Januario, Februario, aliisq; temporibus ingentes denſæ ac fœditiſſimæ nebulæ, quas eructabant almæ matris viſcera, apparuere, quarum mephitico & viroſo odore multi hac lue corripiebantur. In ſtatu enim aeris nubilo ac nebuloſo conſimilem in nobis ſpiritum generari author eſt *Galenus* 1. *in* 1. *epid.* 8. Auſter, itemque Africus creberrime ſpirabant, rarioribus qui ab oriente & ſeptentrione fluunt ventis: quæ omnia mihi augurium dedere inſtantis peſtilentiæ, quæ etiam illâ æſtate ſubſecuta fuit. Accedebat, quod, dum ob belli calamitatem incolæ adjacentium regionum numeroſi ſe huc reciperent, ex his ruſtici, aliique ſortis inferioris homines, qui in cellis ſubterraneis aut locis anguſtis plures cum tota familia vitam miſere trahebant, mali labem primum ſentirent, atque ſemina luis, jam ante apud illos graſſatæ, ad cives noſtros transferrent.

Ac quiam tempeſtatum crebra mutatio peſtilentibus his morbis originem dare poterit: qualis conſtitutio autumno frequens eſt: unde & peſtilentia illo tempore plerumque increbreſcit, docentibus *Avicenna lib* 1. *fen*. 2. *doct*. 2. *cap*. 9. & *Rhaſe lib. de peſt. cap*. 3. Unde *Vergilius* 3. *Georg*.

Hic quondam morbo cæli miſeranda coorta eſt
Tempeſtas, totoq; autumni incanduit æſtu.

Sed & morbifer autumnus authoribus dicitur, *Hippocrati* φθινόπωρον θηριῶδες *l.* 2. *epid. ſ.* 1. & *Aretæo lib.* 2. *de cauſ. & ſign. acut. morb.* quod exitiales & valde maligni morbi eo tempore graſſentur: confirmat *Hippocrates* 3. *aph.* 9.

Præter recenſas tempeſtatum aeris alterationes etiam ἀπὸ τῶν ἔξωθεν aer corrumpitur, atq; horum morborum ſeminaria recipit ſi ſi mali vapores illi permiſceantur, unde toti accidat qualitas mala, ut loquitur *Avicenna lib.* 4. *fen.* 1. *tract.* 4. *cap.* 1. ſic ſtagnantes aquæ & paludoſæ, aut fluviorum καταχλυσμοὶ adſpirant adjacentibus locis νοσερὴν ἀπόκρισιν: Ita *Diodor. Siculus lib.* 14. *bibl. hiſtor. pag.* 434. cauſ-

ſam

ſam peſtis quæ Athenienſes, poſt Charthaginenſes afflixit, caſtra paluſtribus cavisque locis poſita adducit. Et *Galenus 1. in 1. epidem*, locorum ſitum obſervari voluit, an & ille aeris cauſſa ad morborum epidemiorum generationem quid conferre poſſit, adductis pro exemplis *Cranone* & *Thaſo*: quarum *Cranon* in loco concavo ſita & meridionali: unde maxime morbis putridis, ut carbunculis infeſtata, atque præter cætera incommodi averſa etiam eſt à ventis aquiloniis, ventorum ſubjecta tranquillitati, quas *νηνεμίας* appellant Græci. Contra *Thaſus* expoſita ventis aquilonariis & frigidis, *Thraciæ* ex adverſo. Quâ de cauſsâ *Columella lib. 2. de re ruſt. cap 5.* aquam paluſtrem peſtilentem vocat: & propterea nec paludem vicinam vult eſſe villæ, quoniam illa caloribus noxium virus eructet: & quod natricum ſerpentiumque peſtes hybernâ deſtitutas uligine, cœno, & fermentata colluvie venenatas emittat, ex quibus ſæpe contrahantur cæci morbi, quorum cauſſas ne medici quidem perſpicere poſſunt. Hinc *Varro l. 1. de re ruſt. cap. 4.* de inſalubritate talium locorum diſſerens, eos fugiendos monebat: quod, ubi ratio cum orco habetur, ibi non modò fructus eſt incertus, ſed etiam colentium vita. Quare ubi ſalubritas non eſt, cultura non aliud eſt, atque alea domini vitæ ac rei familiaris. Sic Selinuntios ex adjacentis fluvii fœtore peſtis invaſit, ut & ipſi, & uxores eorum partu periclitarentur teſte *Diogene Laertio*. Aquarum ſane ad nocendum ſua ſcelera ſunt, ut ait *Plinius lib. 25. hiſtor. nat. cap. 4.* dum enim hæ longa quiete putredinem concipiunt, aliave ex cauſſa alterantur, noxiam qualitatem aeri communicant: quamvis aquæ præter allegatam putredinem corruptionem aliquando patiantur, qua pecus æquoreum, aut ſquamoſum (ut dicebat Plautus) confertim moritur, ob elementi deleteriam qualitatem, qua à debita ſua integritate jam abiit. Hæc aqua pota, quamvis exterius nulla ſigna interdum putredinis referat, venenata tamen ſua qualitate homini infeſta eſſe poteſt, ut non mirum ſit ex hoc elemento peſtem aliasq; febres malignas aliquando ſubnaſci. Aer quoq; *μιάσματα λοιμώδεα* concipit ex cadaverum inhumatorum ſtrage, ut teſtantur *Avenzoar lib. 3. tract. 3. cap. 1. Galenus l. diff. febr. lib. 1. cap. 6. Aetius lib. 5. de re med. cap. 94.* Ego quoq; purpuratis his febribus non levem acceſſiſſe cauſſam, aeremq; inde inqui-

Digitized by Google

quinatum reor, quod βέλοιμ⊙ præcedenti anno in his & adjacentibus locis graviſſimè ſæviret, &, cum armentorum mortuorum plura millia eſſent, incolæ, (quod ob atrociam militum illis domi tuto eſſe non liceret) ab eorum humatione arcerentur; aut quod in quibuſdam locis ob numeroſam cladem armenta defodi non poſſent: ne dicam de negligentia quorundam ſubditorum in ejuſmodi ſepeliendis cadaveribus, aut inſigni flagitio; dum armenta mortua in aquas præcipitant. Præterea ſeminaria λοιμώδεα ex antris ſpecubus aliisve locis diu concluſis expirare tradunt authores. De regionibus Charoniis *Galenus comm.2.d. natur hum.text 2.* Et *Strabo lib.14. Geogr.* ut ſpelunca Charonium nomine peſtilentibus exhalationibus etiam aves necet. *Aretæus* quoq; *lib.1.de cauſ.& ſign.acut.morb. cap.7.* tradit, in Charoniis ſpecubus ſtrangulatus citra ullum corporis affectum acutiſſimos contingere, imò vel unica inſpiratione, priusquam corpus aliquod maleficium contrahat, homines mori. Amſanctæ valles peſtilentem emittunt odorem, ut ad illas prope accedentes enecentur. Aer enim in ejuſmodi locis venenatus eſt, ob venenorum illic abditorum exhalantem mineram, aut ob putredinem ac corruptionem, quam, dum motu caret, concipere ſolet.

Terræ quoque motum materiem his aeris inquinamentis aliquando dediſſe litteris proditum, dum incluſo ſpiritu luctante, & ad libertatem exire nitente validâ conquaſſatione corrupti vapores terræ erumpunt cavernis, aeremq; contaminant, ut tanquam cauſſa & ſignum haberi poſſit: unde *Vergilius*

Ipſa etiam tellus ceu non ignara futuri
Quum tremit, atq; intus gravidâ ſuſpirat ab alvo,
Signa dabit: tremuere urbes: & vertice toto
Formidavit Athos, timuitq; ſub æquore Nereus.

Sic peſtis, quæ *Scopium* graviter afflixit, ex terræ motu potiſſimum nata, teſte *Amato Luſitano cent.2. curat. med.27.* Corruptos enim vapores ex viſceribus terræ tum exhalare credibile eſt: cum & *Plinius lib.2.nat.hiſt. c.81.* ſigna motus terræ futuri referat, ſi in puteis turbidior ſit aqua, nec ſine odoris tædio. Et eodem authore *libro citato c.79. Pherecydes Pythagoræ* doctor perhibetur hauſtu aquæ è puteo, præſenſiſſe ac prędixiſſe terræ motum. Ego à vehementi tonitru pleroſq;

 fontium

fontium *Hornhuſinorum*, præſertim *D. Mariæ* ac *D. Johannis* adeo mutaſſe ſaporem odoremque comperi, ut toti ſulphurei ac bituminoſi fuerint facti, nec ſaporis tædio bibi potuerint: qualem in iiſdem fontibus alterationem, majoribus tonitruum fragoribus, obſervavit *Dn. D. Hermannus Conringius* Profeſſor in Academia Julia celeberrimus; commotis cœlo tonante terræ viſceribus atque exhalantibus ſpirituum ſaliumque mineralium maximam vim, quæ conſimilem qualitatem præterlabentibus aquis communicavit.

Aſtra

Præter quæ aſtrorum in aere alterando, corporibusque humanis afficiendis maxima vis eſt, ut illa vario aſpectu, modo prona & vultu amico, ſæpe averſa aut obliquo aſpectu nos intuentur. Neque enim tot inluſtria ſydera quis fatua dicet, illisq; omnem vim demere velit: quæ præcipuè ornamento cœli & documento almæ Divinæ Majeſtatis ſapientiæ ac potentiæ ibi collocata, ut nulli, niſi extremi ingenii ac deſperatiſſimæ frugis contrarium ſentire audeant, quos cum ſacro *Poetâ* ex *Pſalmo 19.* ita compellare placet.

Inſanientis gens ſapientia *Addicta mentem terroribus impiis,*
Tot luce flammarum coruſcum *Cerne oculis animoq; cælum.*
Hinc diſce, prudēs quā ſuit artifex, Qui templa olympi fornice flammeo
Suſpendit, & terræ capacem *Et pelagi ſinuavit arcum.*
Dies tenebras & tenebræ diem *Semper prementes perpetua vice*
Non fortuito res caducas *Ire monent per inane lapſu.*
Sed tota concors fabrica perſonat *Dei tuentis cuncta potentiam.*

Aſtra etiam propterea condita ſunt, ut lucem vitamque dent ſublunaribus; quæ etiam potenti ſua in inferiora operatione morbos mortesq; nonnunquam cauſſantur: pari ratione, qua alia naturalibus principiis orta, damnoſa aliquando fiunt mortalibus: venti, fulgura, grandines, ſcorpii, ſerpentes &c. *quotiens ſuprema voluerit poteſtas Ecclef. 40.* Hinc ſummus medicinæ præceptor *lib. de aere aq. & loc. cap. 1.* aſtronomiæ operam dare medicos jubet, ut qui morbi, quo tempore ſint futuri, ex ſyderum aſpectu & ortu cognoſcant. Et *eodem libro cap. 6. Canis, Arcturi & Pleiadum* occaſum prænoſci, ait, oportere, qui purgatoria propinaturi ſunt medicamenta: ſæpiusque in libris epidemiorum horum ſyderum facit mentionem: non, quod divinus vir arbitratus fuerit aſtris peculiarem ineſſe vim, quam aſtrologi

logi influentiam vocant, qua ſubjectarum rerum incolumitas & interitus arbitrio aſtrorum diſpenſetur; aut cœlo demiſſa virtus, Parcarum ſtaminis æmula, ut illa propitio aut infelici ſydere alluxerit, vitam mortemque hominibus, variamque fortunam; modo proſperam, modo adverſam concedat: qua ſuperſtitione inviſcati plurimi ſuperiorum ac præſentium temporum aſtrologi ac medici multa vana, ac mimico riſu excipienda prodidere. Et ſedere cœpit ſententia hæc pariterq; & eruditum vulgus & rude in eum curſu vadit, ut *Plinii* verbis ex *lib. 2. hiſt. nat. cap. 7.* hac in re utar. Cum enim cœlum ſit ingenerabile ac incorruptibile, idque vacet omni difficultate mortali teſte *Ariſt. l. 2. d. cœlo cap. 1.* morborum mortiumq; cauſſas inde deducere non licebit, præcipue cum à cœlo ipſum eſſe, vivereq; dependeat, aliis exactius, aliis offuſcatius *lib. 1. d. cœlo cap. 9.* Sunt enim ſuperiora quaſi formæ conſervatrices inferiorum: Deus enim cauſſa ipſarum cauſſarum tuetur ea quæ fecit, per ea quæ fecit, ut loquitur *Scaliger. Ex. 6. ſ. 5.* Sic nec ex cui cui mortalium omnium fortunas caſus, eventa cuncta, mortem ipſam tanquam à ſuggeſtu militari polliceri licet: quod quod caſu eſt atque fortuna, eſt præter id, quod ſemper ac plerumque aut eſt, aut fit, ut loquitur *Philoſophus lib. 1. d. cœlo cap ult. & lib. 2. acroaſ. cap. 5.* cum tamen aſtrorum rata ſtataq; ratio ſit: qua æterna quaſi quadam lege (verba ſunt authoris *lib. de mundo cap. 2.*) ſuos perficiunt motus, nulliq; mutationi obnoxia ſunt. Sed nec res naturales agere poſſunt in illa, quæ ſunt electionis aut conſilii noſtri: ex hujus enim felici aut inproſpero eventu (primam cauſſam *Deum Opt. Max.* meritò excipio) mortalium res ſecundæ aut adverſæ eveniunt. Ut ſi quis eo confidentiæ venerit, ut ſupra aera ſcandere, & ex cœlo varioque aſtrorum poſitu deducere velit rerum humanarum eventum, Icarium ſit facturus caſum, &, ut Poeta ait *lib. 4. carm. ode 2.*

——— vitreo daturus
Nomina Ponto.

Quid fortunarum illi vaticinatores hariolabuntur, qui ne tempeſtatum quidem conditionem in ſingulos dies aut ſeptimanas certo prædicere poſſunt? adeo in rebus naturalibus, quæ tamen ex aſtrorum motu dependent, conjecturalis plane eorum ſcientia eſt. Nimis mi-

hi placent ſequentes verſus Enniani à *Cicerone lib. 1. de divinatione in fine* recitati.

> *Non habeo deniq. nauci Marſum augurem,*
> *Non vicanos haruſpices, non de circo aſtrologos,*
> *Non Iſiacos conjectores, non interpretes ſomniûm:*
> *Non enim ſunt ii aut ſcientiâ aut arte divini,*
> *Sed ſuperſtitioſi vates, impudenteſq. harioli.*
> *Aut inertes, aut inſani, aut quibus paupertas imperat:*
> *Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam:*
> *Quibus divitias pollicentur, ab iis drachmam ipſi petunt:*
> *De his divitiis ſibi deducant drachmam, reddant cætera.*

Sortes noſtræ in manu Domini poſitæ, in quo vivimus & movemur: quo authore cuncta humana proſpere aut infeliciter eveniunt, non ſorte naſcendi aut annorum numero: qui capillos capitis noſtri in numerato tenet, ut ſine ejus divina voluntate ne unus quidem pereat: qui vitæ noſtræ curriculum non annorum tantùm, ſed & menſium *Job. cap. 14.* ac dierum *Pſalm 119.* periodo circumſcripſit: qui longam vitam, cæteraque cæleſtis benedictionis ſuis promittit, ac cuncta mala ſolus & unicus ἀποτρόπαιος avertit: in cujus operibus cæleſtis ſapientia, veritas, juſtitia, miſericordia exſplendeſcunt, ſive almæ ſuæ Majeſtatis decreto naturæ potentiam excedant, ſive curſum naturæ (quæ ordinaria Dei vis eſt,) ſequantur: cujus admirandas operationes omnium ſeculorum ſapientes, ut videre, obſtuperunt. Venerandus noſter *Hippocrates* utramque *Dei* potentiam ultro profeſſus *in principio libri de nat. mul:* Μάλιστα μὲν τὸ θεῖον ἐν τοῖσι ἀνθρωπίνοισι αἴτιον ἐστιν, ἔπειτα αἱ φύσιες τῶν γυναικῶν *Potiſſimum quidem in rebus humanis divinum numen cauſſa eſt, deinde mulierum naturæ.* Ubi per τὸ θεῖον, opera Dei, quæ naturæ vires ſuperant, ac metaphyſica ſunt, intelligit, per φύσιν vero opera naturalibus orta principiis. Hæc principium motus & quietis, ac μέχρι θανάτου φύεται ad mortem usque diffunditur, *6. epid. ſect. 5. text. 5.* dum ſcilicet calor innatus proximum animæ inſtrumentum humidum primigenium perpetuo depaſcit, unde μοῖρα πεπρωμένη fatalis moriendi neceſſitas naturalis ſubſequitur, tardior, ocior, pro balſami radicalis copia aut inopia, bonitate aut vitio. Etſi vero calori cœleſti ex

aere

aere cibisque cottidie fomenta ſufficiamus; qui tamen ſuffunditur humor ad balſami naturalis perfectionem non accedit, unde ſubtracto convenienti pabulo calor tandem deficit: qua de re adi diſſertationes *Galeni lib. de marcore* adverſus *Philippum* medicum *ἀθανασίαν* promittentem. Quod ſi diætæ aerisve vitio humores corrupti generentur, unde ſpiritus contaminari, humidum primigenium corrumpi atque abſumi contingat, properari tum vitæ terminum quis dubitat? Illa vero non fato natalium, ſed caſu nobis adveniunt, quemadmodum multa alia fortuitum interitum divino decreto cauſſari poſſunt, cum vitæ necisque arbiter noctu, i. e. nobis non opinantibus ſe venturum promiſerit.

Quod ſi aſtra inclinare ſaltem & aliquo modo ad dicta concurrere atque effatis aſtrologicis rerum eventum ſæpe reſpondere quis opponat, illud aliquid nihil eſſe, ac totiens, totiens inquã, vulgi credulitatem deludi, nulliſq; fundamentis ſubniti aſtralem hanc divinationem comperiet; cum & multa talia caſu contingere poſſint. Verendum profecto, ne hoſtis generis humani tacito pacto cum primo authore inito incautos decipiat, qui ad vana ac vetita alicujus ſcientiæ opinione temere prolapſos, juſto DEI judicio transverſos agit, ſalutis æternæ, ni reſipiſcant, detrimentô: quemadmodum goetia, necromantia, aruſpicina, curationibus characteriſticis aliiſq; magicis artibus, pari ſingularis ſcientiæ perſuaſione, animos infidelium miſere traductos, vetere verbô adverſus calliditſimum veteratorem utor, olim imbulbitavit. Hinc totiens à Romanis iterata Senatusconſulta de aſtrologis ex Urbe atque Italia pellendis: namq; anno IↃC XIV. *M. Popillio Lænate, Cn. Calphurnio Coſſ.* à *C. Cornelio Hiſpallo* propoſitum edictum, quo intra decimũ diem abire juſſi. Sic anno IↃCCXXI. à *M. Agrippa Ædili* in exilium acti tradente *Dione lib. 49.* & anno IↃCCLXI. ab *Auguſto* interdictum ſevere his ſcientiis eodem *authore lib. 59.* Repetitum adverſus magos mathematicosque decretum *Tauro & Libone Coſ.* ut ſcribit *C. Tacitus lib 2. annal.*

Aſtra igitur cum communi aliqua ratione ſaltem in nos agant, dum lumen caloremq; ſublunaribus communicant, (quem calorem ex motu cœli produci vult Philoſophus *lib. 2. d. cœlo cap. 7.*) fit, ut ex calore, quem aſtra de ſe fundunt, plurimi vapores ſurſum ex terra exha-

exhalent, qui, ut diverſis locis prodeunt, mineraque eorum variat, ita varios morbos in hominibus procreant. *Conveniunt enim ſapientes medicorum* docente *Rhaſe l.2. aph. quod res omnis temporum, & aeris, & aquarum, & complexionum, & ægritudinum mutantur ex motu Planetarum.* Quas exhalationes etſi quævis aſtra excitare poſſint; Solis tamen motu ſubjecta præcipue incaleſcere videmus. Quin & *Mileſii* teſte *Strabone lib.14. Geograph. pag.m.422.* Soli & Lunæ peſtilentias imputabant. Et *Apollinem* εἰς ἀπόλλυντα τὰ ζῶα dictum *Macrobius* autumat *lib.1. Saturn. cap.17.* quod exanimet & perimat animantes, cum peſtem intemperie caloris immittit. Confer *Archilochi* & *Euripidis* parallela loca ibidem allegata. *Homerus* quoq; dum *1. Iliad. Apollinem* νυκτὶ ἐοικὼς nocti ſimilem ſpiculis immiſſis Græcos peſte affeciſſe ſcripſit, Solis in producenda peſte effectus expreſſit, quod, ut explicat *Euſtathius* ſole obſcuro ac caliginoſo ob pluviam ſcilicet aeris conſtitutionem, peſtis immittatur. Idem quoq; ſanitatis author creditur, quam calore ſuo cœleſti animantibus præſtat, unde *Apollo quaſi apellens mala*, ἀλεξίκακος *Athenienſibus*, *Lindiis* λοίμιος dictus, hoc cognomine finita peſtilentia à poſtremis nuncupatus. Idem *Apollo* inventor medicinæ habetur, unde *Ovidius metamorph. lib. 1.*

> *Inventum medicina meum eſt, opiferq; per orbem*
> *Dicor, & herbarum ſubjecta potentia nobis.*

Quare & οὔλιος ſalutifer dictus, ut pluribus probat *Macrobius* eodem loco, Et *Strabone* referente *Apollo* οὔλιος ab οὐλεῖν ſanare & Luna Ἄρτεμις ab ἀρτεμεῖν, i. convaleſcere dicebantur, quia ſimiles ſunt Solis & Lunæ effectus in juvando. Aptiſſimæ præterea ſunt ad magna & nova producenda illæ ſyderum conſtitutiones, in quibus plurium planetarum fiunt conjunctiones, præſertim ſub inſignioribus ſtellis fixis. Plerumque enim fit, ut, quum ejuſmodi conventus fiunt, varii generis prodigia, morbique diverſiſſimi oboriantur. Hinc *Guido de Cauliaco tract.2. cap.5.* ſæviſſimæ peſtis, quæ integrum quinquennium graſſari viſa, cauſſam in trium ſuperiorum Planetarum ♄ni ♃vis & ♂tis conjunctionē retulit; quæ anno cIↄcccxLV. die XXIV. menſis Martii obſervata.

Communis autem illa aſtrorum calefaciendi vis, ut non ſemper eadem eſt, ſed pro vario ſyderū ſitu, acceſſu & receſſu variat; ita & cœlo

cœlo demiſſæ influentiæ non ſemper eoſdem habent effectus: quos pariter variabunt ſubjectorum corporum varietas & diverſiſſima conſtitutio: quemadmodum idem Solis calor ceram liquefacit, lutum indurat. *Siquidem ab una cœli univerſi converſione, quæ die nocteq, finitur aliæ atq, aliæ permeationes fiunt: unumquodq, enim motum agit convenienter conſtitutioni ſuæ, quamvis nec eadem via ſit omnibus, ſed diverſa, nonnullis etiam contraria; tametſi primus illis velut ad concentum atq, æquabilitatem auſpicatus, natura ſit comparatus ad unum motum. Ut ſi quis ex eodem vaſe ſimul jaciat globum, teſſeram turbinem, cylindrum, unumquodq, eorum accommodate ſuæ formæ movebitur*, qua de re plura vide apud *authorem lib. de mundo cap. 6.*

An vero aeris conſtitutio generandis peſtilentibus & malignis morbis apta, manifeſta qualitate ac putredine ſola noceat, an vero ſecretiore quadam vi, totius ſubſtantię qualitate in nos agat, à quibusdam dubitatur. Ego utroque modo aliquando nobis infeſtam dixerim: interdum gravi exceſſu primarum qualitatum, interdum vero totius ſubſtantiæ proprietatę potius, quàm manifeſtis qualitatibus. Si enim ſeminaria morborum principiis veneniatis naſcantur, e.g. ex corruptis cadaveribus, antris venenatis; quid vetat conſimilem principiis ſuis naturam iſta referre? cum & *Galenus comm. 2. d. nat. hum. text. 4.* manifeſto confeſſus fuerit, evaporationes tales tota ſubſtantia nobis adverſas eſſe, idemq; *l. 3. aph. comm. 1.* aerem in qualitatibus & natura ſua alterari dixerit; ubi dum naturam à temperamentis aeris diſtinguit, quid aliud vult, quàm tota ſubſtantia aerem aliquando alterari? Qua proprietate aerem aliquando nos afficere notavit *Avicenna lib. 1. fen. 2. doct. 2. cap. 9.* Idem clariſſimè demonſtrant aeris toto genere adverſi in nobis operationes, quæ notarum qualitatum virtutem longe ſuperent: ut enim cordi nihil magis *εὐκαρδιον* eſt, aere puro: ita eodem pravè corrupto & alienæ qualitati permixto nihil eſt cordi *ἀπεχθέστερον*. Aer enim pravè corruptus ſeu reſpiratione admiſſus; ſeu inſenſili tranſpiratione per latentes ductus in arterias ſe trajiciens, cordi communicetur, brevi tempore corpus immutat, nullo qualitatum inſigni exceſſu; ſed altiore quadam vi perniciem maximam, &, ni ſubito occurras, mortem inferre ſolet, teſte *Philotheo in lib. 5. aph. Hippocr. comm. 11.* cætero-

Digitized by Google

cæterorum de genere iſto agentium more; quorum hæc indoles eſt, ut momento temporis univerſum corpus alterent juxta *Galenum lib. d. ſem. cap. 16.* Idem in ſubſtantia corruptus aer à prægnantibus hauſtus, etſi ipſarum corpori non dum noxam inferat, quod nec vis veneni adeo valida ſit, corpuſq; impreſſioni potenter reſiſtat; geniture tamen noviter conceptæ ac tenello fœtui admodum inimicus, ἐκβόλιμος fit, ac dum in ſecreta materni corporis ſe trajicit, fa tuos conceptus & abortus crebriores cauſſatur: quod iiſdem annis, dum lues hæc graſſabatur, contingere obſervavi.

Hanc aeris conſtitutionem vitæ noſtræ penitus adverſam venenatam eſſe negat *Hieron. Mercurialis lib. de peſte cap. 7.* quod cuncta animantium, præcipue hominem ejus inſpiratione ocius perire neceſſarium foret, cum ejus uſu vita humana carere nequeat: quare aerem corruptū corpora præparata diſponere ſcribit, ut eo corrupti humores in venenum abeant. Illud quidem multa obſervatione compertum fateor, peſtes illas multo graviores fuiſſe, in quibus aer fœdis ejuſmodi inquinamentis refertus fuit, maximoque cum periculo vitæ in talismodi aere homines verſatos: quos tamen omnes interire, aut infici, neceſſum non erat: quod aer iiſdem μιάσμασι ubique & æqualiter non eſſet refertus: unde non æq; copiosè halitus venenatos attrahebant, nec iiſdem ſemper inficiebantur, ob ſubjectorum varietatem; & quod halitus memorati in omnibus peſtilentiis, imò in una eademq; non ſemper ſint ejuſdem activitatis, ſed aliorum vis à cauſſis veneno contrariis magis ſit refracta. Quæ etiam cauſſa eſt, cur in purpura noſtra, aliisq; per analogiam peſtilentibus dictis morbis, nec tam multi, nec tam cito inficiatur. Quamvis venenatā aeris impreſſionem corpora ad ſuæ indolis congenerem conſtitutionem ſenſim aliquando diſponere exiſtimem: quod illi, qui nullo cōmercio rerum infectarū uſi, nec alius rei occaſione labem contrahere poterant, ſolo triſti nuncio de amici in peſte obitu allato, peſte ac purpurā aliquando corripiantur. Ut propterea veriſimile arbitrer, diſpoſitionem hanc, inſtar aliorum quorundam venenorum, ut morſus rabidi canis, diu cum homine circumferri, atque intus abſconſam latere; dum data occaſione commota materia ſenſim hactenus aucta ſubito in actum erumpat.

Cæte-

Cæterum mirari profecto deſinet, aerem aliquando venenari, qui aliarum rerum in aere generationem conſideraverit, tam variam, quàm ſubjectarum rerum diverſa fuerit materia, variusque aſtrorum in eas influxus: dum halitus vel ſua ſponte effumant, vel aſtrali virtute in ſublime efferuntur: unde permixtarum rerum vires aer bibit, conſimilesque ſuo principio, unde emergunt, effectus in eodem producuntur. Sic inferiore cælo prodigioſis pluviis, lacte, ſanguine, ferro, lana, lateribusque coctis, pluiſſe, in monumenta relatum teſte *Plinio l.2.nat.hiſt. c.56.* Sæpe lapidum, ſanguinis nonnunquam, terræ interdum, quondam etiam lactis, imbrem fluxiſſe *Cicero* memorat *l.1. d.divin.* Sanguinis pluviæ exempla vide apud *Livium decad.5. l.2. Urbis conditæ anno* IↃ LXXXII. & *l.4. decade 3.* item alia, quæ ex *Xiphilino, Julio Obſeq. Corn. Gemma*, collegitatq; ephemeridibꝰ ſuis anni cIↃ IↃc XLIII. adjunxit D.D. *Laurentius Eichſtadius*, Medicus & Mathematicus Excellentiſſimus. Sic apud *Ægos* flumen oſtendi lapidem, qui ex aere ceciderit, author eſt *Ariſtoteles lib.1.meteor.cap.7.* quod & *Plinius hiſtor. nat. lib. 2. cap. 58.* de eodem lapide teſtatur, ac fide Græcorum tradit, *Anaxagoram Clazomenium olympiadis ſeptuageſimæ octavæ ſecundo anno prædixiſſe cæleſtium litterarum ſcientiâ, quibus diebus ſaxum caſurum eſſet è Sole. Idq; factum interdiu, in Thraciæ parte, ad Ægos flumen*: qui lapis etiam tempore *Plinij* aſſervatus *magnitudine vehis, colore aduſto, comete quoq; illis noctibus flagrante.* Idem confirmant lapides fulminares dicti, cælo tonante, maximo fragore excuſſi: quorum ſuperficies adeo exacte elaborata, ut arte humana in tali lapidum genere illud imitari vix liceat. Ne dicam de grandi illo aeris ejectamento, lapide ducentarum & octoginta librarum intolerabili fragore ac maximo tonitru anno cIↃ CCCCXCII. *VII. Novembris* prope *Enſisheimum Alſatiæ* dejecto, de quo ex *Sebaſtiano Brand* meminit *VVurſtiſius Chronic. Baſil. l.6. cap. 16.* Unde delata hæc lapidum pondera in aerem, deorſum quæ mole ruunt ſua, ventone in ſublime ſublata, tandem valide fragore disjectis nubibus præcipitantur; ut voluit *Plinius eodem libro cap.58?* Mihi res non videtur veriſimilis; quod pleriq; lapides ſuam figuram habeant, quam in aere accepiſſe credendum: quod nulli artificum iis elaborandis operentur. Quod ſi quis ab *Anaxagora* prædictum credat, caſurum è Sole lapidem, ſimul cum *Plinio* fateatur neceſſe eſt, majoris miraculi di-

Digitized by Google

vinitatem *Anaxagoræ* fuiſſe,ſolviq; rerum naturæ intellectum,& confundi omnia, ſi aut ipſe Sol lapis eſſe, aut unquam in eo fuiſſe credatur. Niſi forte ex *Luciani* lepidiſſimis fabulis & Solem & Lunam habitari,aut,cum Democriteis,plures eſſe mundos, ex quorum alicujus interitu in ſubjectam terram devolutam lapidis molem, quis opinetur: cum ex *ἀπορροίας* pereuntis mundi principia τῶν λοιμῶν καὶ παθῶν ἀσυνήθων peſtis morborumque ignotorum iidem aliquando diduxerint teſte *Plutar: l. 8: ſymp:q.9.* Quin potius ex terra lapideſcentem ſpiritum efferri ſtatuendum, qui materiam proportionatam in aere nactus,eam coagulare in lapidem poſſit;figuram vero talé induci, ut materia non dum durata, dum validiſſima vi cœlo tonante deorſum pellitur, à circumfuſo, conglobato ac condenſato aere, dum aer vehementer impulſus vicinum, vicinus ſibi proximum aerem ſemper trudit,quaſi dolabra exaſciatur. Quod ita fieri illi mirum videri non poteſt, qui ſic coacti atque ingenti locorum intervallo conglobati aeris effectus in tonitru conſideraverit. Aer enim cum tonitru ligna diffindit teſte *Ariſtotele*. De ſanguinis tamen lactisve pluviis non quis credat me aſſerere, lactis ſanguinisque vaporibus calore Solis ac ſyderum ſurſum attractis, atque in aere condenſatis eas generari: quod in ſanguinis deſtillatione nequicquam vapores rubri elevari conſpiciantur, nec ſanguis deſtillatus rubeat, cum non omnia, quæ rubent, deſtillatione conſimilem colorem deſtillato humori communicent, ſed quæ tincturam fixam habent: quibus ſi ſal acris & volatilis jungatur,quæ tum in ſublime elevabitur materia, colore rubra conſpicietur;quod in confectione cinnabrii factitii evenire videmus: qua ratione & febricitantium urinæ rubent; quas & in ſcorbuticis ſæpius rubere quis obſervabit: in illis, quod ſale acri & volatili abundent, cum præternaturalis calor humores amburat, & ſimul aquoſam materiam, quæ ſerum diluere ſolet, abſumat: in his, quia vitiata viſcerum hæmatoſi ſalſi & aduſti humores,ſerumq; conſimile ac copioſum generentur, quæ rubro colore urinam ſuffundunt. Sic & ſanguineis guttis pluere credo, quotiens ex minera rerum rubrarum permixtis acribus vaporibus,qui ſalem conjunctum habent, materia aeris frigiditate condenſata rubro colore tingitur; unde pluviæ ſanguineæ decidunt, æquivoca ſanguinis appellatione, quod coloris ſimili-

Digitized by Google

militudine cum vero ſanguine analogiam habeant. Iſtæ vero pluviæ, in quibusdam locis frequentes, ut nihil mali portendent: ita ſi illæ inſolentes certis locis deciderint, quid aliud ſunt quàm oſtentum inſtantis calamitatis? quemadmodum bellum civile atrociſſimum, quod inter *Pompejum Cæſaremq;* geſtum fuit, plurima portenta præceſſerunt,

Sanguineoq; recens deſcendit Juppiter imbre,

authore Arbitro diſerto *Petronio in ſatyr.* pag. m. 52.

Nimboq; minacem

Sanguineo rubuiſſe Jovem

feralibus illis Imperii Romani temporibus *Claudianus lib. 1. in Eutrop.* memoriæ prodidit. Ut propterea ἐκ Ἰοῦ ἀέρος διμορφωμένος maximam Ἰοῦ θείου rationem habendam ducam. Namque teſte *Seneca in Oedip. act. 2. ſcen. 2.*

Solet ira certis numinum oſtendi notis.

Sed ut ad rem redeam: cum tot exhalationes terrâ in ſublime efferri videamus, quæ originis ſuæ indolem retineant; quid vetat ex tot venenatis plantis, venenis intra terræ viſcera natis, inhumatis cadaveribus, ſpecubus viroſis, locis paluſtribus, in quibus graviſſimæ corruptiones accidunt, effundi μιάσματα, quæ continua actione quaſi fermentatione quadam, multiplicata aerem inquinare poſſint, ut conſimilem malignitatem contrahat; atq; intra corpus admiſſus, & à calore nativo in actum deductus, malignam febrem excitare valeat?

Poſt aerem inferendi purpuram proximas vires cibus & potus habent, ſi mali ſucci cibi, aut qui facile corrumpuntur, aſſumantur, annonæ caritate, ut in urbium longa obſidione fieri ſolet: dum rancida ac ſemiputrida alimenta, frumenta item rubiginem paſſa, à vulgo præcipuè comeduntur: quò refero carnes animalium, quæ vi morbi interiere, quas viciniarum provinciarum incolas quoſdam ſaturandæ fami, dum illis, ut Comicus ait, *lippirent fauces fame*, iſto tempore comediſſe conſtans fama eſt. Diæta talis altera graſſantis hujus morbi in quibuſdam cauſſa fuit: corrupti enim ac inſueti, ſæpe abominabiles, cibi ab iiſdem comeſi congenerem ſuæ ſubſtantiæ humorem genuere, morboque fomitem dedere: unde primùm in illis luis hujus veſtigia ſe prodidere: hinc commercio talium hominum

introducta in noſtram urbem calamitas,ac late diſperſa: quod huc ſe numeroſi reciperent,egeni, extorres; dum atrociæ militari ſe ſubducere cupiunt, propriis laribus excluſi. Quantum enim ſit virium cibis mali ſucci in procreandis ejuſmodi morbis,declaravit fames illa, quæ plurimos annos tempore Galeni duravit, ut idem notat *l. de bon. & vit. ſuc. cap. 1.* ubi inter cæteros morbos, qui tum frequentes ſævivere,febrem malignam recenſet. Firmat *Avenzoar in ſuo theiſ. l. 3. tract. 3. cap. 4. Et vidi,* inquit, *quando eram in carcere Haly,filij Joſeph, homines,qui comedebant olera,quæ inveniebant per terram,& etiam comedebant ex ſpeciebus anabulæ, propter famis neceſſitatem; quare quotidie moriebantur 10. vel 12.vel etiam plures. Et alios vidi qui comedebant quoddam,quod in Arabico nominatur Attabala, & radices de Luf, & moriebantur. Et vidi ſimiliter in quadam civitate, quæ nominatur Mazarus,homines, qui propter intenſam famem quærebant & frangebant oſſa antiqua & vetuſta cadaverum,& moriebantur ſubito. Aetius* quoq; *l.5. de re med.cap. 94.* communia alimenta communes morbos generare ſtatuit. Et *Nicol. Maſſ. de febr. peſtil. cap. 5.* obſervavit anno cIↃ IↃ XXVII. has febres ex penuria annonæ deteriores factas. Namq; cibi corrupti non ſolum temperamenti alterationem ſubeunt, ſed & totius ſubſtantiæ. Cujus rei exemplum in vino eſt, quod optimum alias corpori alimentum atque refocillandis ab exhauſto debilibus viribus maximè accommodatum,ſi aceſcat,fiet medicamentum, alterato ipſius temperamento: quod,ſi fiat vappa,craſſeſcat & corrumpatur,naturæ noſtræ inimiciſſimum fiet; namque ſuſcipit facultatem σηπεδονώδη & vim mortiferis venenis ſimilem: ut *Boccangelinus tract. de morb. malign. & peſtil. cap. 8.* plures monachos ex corrupti vini uſu aliquando interiſſe referat.

Quorundam etiam ciborum ea ingenita naturæ eſt, ut ſponte ſua prave corrumpantur,quod de *ſycaminis l. 2. alim. fac. 11. Galen.* teſtatur. *Idem libro allegato cap. 6.* ab omnibus pravi ſucci eduliis abſtinendum cenſet, etſi ea concoctu ſint facilia; nobis enim non advertentibus pravum ſuccum ex ipſis longum poſt tempus in venis colligi docet, qui poſtea, exiguam ad putreſcendum occaſionem nactus, febres malignas accendat. Et *Aetius lib. 1. de re med. litt. C. de* cucumeribus tradit, iis copioſe comeſis temporis progreſſu depravatos humores

moresac quadamtenus craſſos in venis collectos percipi, qui, ſi deinde putruerint, febres malignas invehant. Ita boletos occultam perniciem in corpore relinquere ex *Senecæ epiſt. 95* jam notavi, etiamſi præſentanei non furant. Quamvis & illos, qui in rerum omnium copia neglectâ victus ratione utuntur, purpurata febris interdum occupare; aliave ex cauſſa, quamvis ignota, ut viſcerum aliqua debilitate prave corruptis alimentis, produci ſoleat: quæ tum maxime ludos facit ægrotos, adſtantes, & ipſos interdum medicos, levioris morbi ſpecie ſæpe deceptos, nullo tum purpuræ epidemiæ metu, qui alias leviter affectos in tali conſtitutione percellere, ac medicum hujus morbi ſuſpicacem reddere, ſolet.

Eadem & potus ratio eſt, ſi ille ex ſideratis frugibus, quæ æruginem paſſæ, aut longo ſitu, aliave de cauſſa, corruptæ fuerint, & aqua vitioſa, paretur: Aquæ enim ſtagnantes, lutoſæ, paluſtres, febribus producendis aptæ ſunt docente *Galeno 1. de diff. febr. cap. 4.* Sic obſervatum aquas prave corrumpi, ſi in iis linum, cannabis, & id genus alia macerentur; aut in illis coriarij recrementa coriorum abluant, aut illæ viarum publicarum ſordes recipiant: tales enim injectarum rerum qualitates noxias bibunt, potæque eaſdem in corpora traducunt. Ita credibile eſt, inter belli furta ſcaturigines aquarum veneno infectas has & conſimiles febres excitare. Hinc quoſdam tempore peſtis *Atticæ*, eam ob venena in puteos à Peloponnenſibus dejecta ſubortam, opinatos fuiſſe arbitror. Vina etiam ex corruptis ac putreſcentibus uvis parata, aut quæ in vappam converſa, deleteriam aliquando ſubeunt malignitatem, & ſuccedente putredine fœtorem abominabilem acquirunt, ut pota febres malignas ſuccendere poſſint. Sic vina fortiora plenis cyathis hauſta, dum ſanguinem inflammant, malignam qualitatem, quæ jam antea deliteſcebat in corpore, promovent, aut eandem inducunt, dum ſanguis horum incendio efferveſcit, putredinemque ac calorem concipit, unde ſæpe valida corruptio, febrium malignarum æmula, & quæ tota ſubſtantia vitæ noſtræ adverſa ſit, conſequitur. Tandem & medicamenta, quæ longâ die exoleta reddita fuere, aut ſitum contraxere, prave corrumpuntur: quæ dum imprudentia, aut temeritate, fœdique lucelli gratia, in uſum medicum adhibentur, non ſolum conſuetos ſuos effectus non

Digitized by Google

præſtant, verum etiam conſimilem corruptionis ſuæ perniciem inferre, febresque malignas excitare poſſunt. Iſta igitur minera corruptionis ab eſculentis ac poculentis, corruptis in nobis genita, cum venenata ſit, conſimiles in nobis effectus parit, quales etiam ab aere corrupto, & ob permixta μιάσματα deleterio facto, in nobis evenire memoravi.

Febrem itaque purpuratam ex ingeſtis pravis cibis in nobis generari extra controverſiam eſt: an vero & iidem peſtem cauſari poſſint, dubitatur: quod à ſolo aere communes morbos, ſub quibus peſtis purpuraque continentur, ſubnaſci ſtatuerit *Hippocrates ſ. 2. nat. hum. text. 3.* cum & omnis victus genere utentes eodem morbo capiantur. Qui ea de re & victum à cauſſis popularium morborum loco citato excludit. Quod ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ita accidere ſtatuendum ac de victus ratione, quæ ſua cuique propria eſt, (διαιτήματα ἑκάστῳ ἑκάστοισι appellat) ac diſperſos morbos parit, non vero tali diæta, quæ φαύλη καὶ φλαῦρα, omnibus eodem tempore neceſſario communis eſt, intelligendum: nam talem communes generare morbos idem manifeſte profeſſus *in lib. epid.* exemplo eorum allato, qui in *Æno* leguminibus veſcebantur: Exempla apud authores plurima reperire licet eorum, qui, quòd cibis corruptis uſi eſſent, peſte correpti fuere, Maſſilienſium, apud *Cæſarem comm. de bello civili lib. 2.* quos rei frumentariæ ad ſummam inopiam adductos gravi peſtilentia conflictatos ſcribit. Sic *Niceph. lib. 7. hiſtor. Eccleſ. 18.* Fames conſecuta & deinde peſtilentia. Et *Galenus lib. 1 de diff. febr. cap. 4.* quod pravos ac corruptos cibos præ fame quidam comedere coacti eſſent, febribus peſtilentibus mortuos fuiſſe teſtatur. Firmat *Avenzoar loco jam citato. Polyd. Vergilius hiſtor. Anglic. lib. 3. & lib. 16. Diod. Sicul. 5. biblioth. cap. 239.* Sed & vocum τοῦ λοιμοῦ καὶ λιμοῦ cognatio, comitari ac ſequi ſe hos affectus, indicare videtur. Quo ſpectat illud μετὰ λιμοῦ λοιμός: poſt famem peſtis.

Motus ſi intempeſtivus aut nimius ſit, recipiendo morbo corpora diſponere poteſt, dum vel non dum concocta alimenta in inferiores venas præcipitantur, ibique non emendata interdum pravè corrumpuntur: vel dum reſeratis poris in ambitu corporis μιάσματα, quoquoverſum diſperſa, promptius recipiuntur, atque feſtinato,

obex-

Digitized by Google

ob exercitium prægreſſum, anhelitu copioſius attrahuntur. Contra v. ſi nimio otio corpus ſegneſcat, maxima noxiorum humorum colluvies intus reſtagnat, quæ peculiari ſuæq; indoli propria corruptione accedente materiam malignæ febri aliquando ſubſternit, & vel ſponte ſua, vel certis cauſſis excita, ſubito poſtea erumpit.

Conſimilis ſomni vigiliarumq; ratio eſt, quorum utrumque ſi modum exceſſerit, malum: ille, copiam humorum colligendo, hæ, ſpiritus diſſipando; quibus abſumptis corpus & impreſſioni maligni morbi minus reſiſtit, & humores facile malignam ſubeunt corruptionem.

Conſuetæ evacuationes ſuppreſſæ ut diverſorum generum morbos generare ſolent; ita credibile eſt, eò corruptionis aliquando devenire, ut & has febres malignas in quibuſdam individuis producere queant: quod ſi λοιμώδης aeris conſtitutio præſens graſſetur, quis intus ſtagnantibus corruptis humoribus fomitem ſterni negaverit; qui purpuræ, ut ait *Poeta 1. Æneidos.*

Nutrimenta duit, rapiatq; in fomite flammam?

Contra immoderatæ excretiones ſanguinis aliorumque humorum laudatiſſimorum corpus maximè imbecillum reddunt, ut maligni morbi προσβολῇ minus reſiſtere poſſit, quod, authore C. *Celſo lib. 1. de re med. cap. 3. omnibus morbis obnoxia maximè infirmitas ſit.* Unde *Galeno 1. de diff. febr. cap. 6.* & *Avicennæ lib. 4. f. 1. tract. 1. cap. 4. corpora multiplicantia coitum peſtem facilius ſuſcipere* dicuntur. Præterquam quod corpora frequenti venere delaſſata, ſpiritibus laudatoque ſanguine exhauſtis, pravos humores generent, qui, in corruptionem ac putredinem prompti, deleteriam acquirunt qualitatem, qualem purpurati morbi indoles requirit.

Animi quoque affectus validos eſſe in corpora noſtra, & hos aliosque morbos aliquando excitare, certum eſt. Quia enim imaginationes immanent, teſte *Ariſtotele lib. 3. de anim. cap. 3.* ſenſibusque ſimiles ſunt; ideo per ipſas animalia, beſtiæ, inquam, atq; homines, multa agunt: illæ, quia mente carent, homines, quia mens perturbatione nonnunquam, vel ſomno, vel morbo ſubmergitur. Etſi vero rerum ſpecies in phantaſiam receptæ nihil aliud ſint, quam rerum ſimulachra, ſpecies & notiones, nec reales effectus producant: medicus

enim

Digitized by Google

enim cum intelligit ægritudinem, nihilominus ipſe & cerebrum ejus ſanum eſt, quod hujus rei exemplum à *Scaligero* poni video *Exerc. 75. ſ. 2.* Neq; enim quanta etiam ſit vis phantaſiæ, eoſdem morbos imaginatione conceptos producet: nec melancholici pervicaci cogitationum ſuarum intentione quicquam efficient, ut à ſeipſis diverſi aliive fiant, rerumq; animo propoſitarum naturam induant. Ita qui teſtam ſe factum putabat, atque ideo obviam venientibus cedebat, ne collideretur, aut qui gallos cantare audiens, ut hi alarum, ſic ille brachiorum motu latera quatiens, iſtorum animantium cantum imitabatur, (de quibus *Gal 3. loc. aff. cap 6.*) in teſtam aut gallum nequaquam transmutati fuere. Quod ipſa phantaſmata velut ſenſibilia quædam ſint, attamen ſine materia *Ariſtotele* teſte *lib. 3. de anim. cap 10.* Namque *eodem authore lib. citato cap. 8.* aut res ipſæ aut formæ in anima ſunt: at non ſunt in ea res ipſæ: non ipſe lapis in anima; ſed forma lapidis ineſt. Quam in rem *lib. 2. de anima cap. 12. & lib. de memoria & reminiſcentia cap. 1.* de ſenſibilibus ſcribit: quod ſenſibiles formas ſine materia ſenſus recipiant, *proinde atq; annuli ſignum ſine ferro vel auro ſuſcipit cera: ſuſcipit autem aureum vel æneum, ſed non ut æs aut aurum, neq; ut ſignum eſt aureum, æneumve. Simili patitur & ſenſus uniuscujusq; ſenſibilis modo, ab eo quod habet colorem; aut ſonum; aut ſaporem: ſed non ut unumquodq; dicitur, ſed ut eſt tale & ratione. Neq; enim à ſenſibilibus quicquam patitur eorum, quæ ſentire poſſunt, niſi ut quodq; ſenſitivum eſt; Nam neq; lumen & tenebræ, neq; ſonus, neq; odor quicquam agit, ſed ea nimirum, in quibus ſunt ipſa. Aer enim, qui eſt cum tonitru, ſcindit lignum.*

Quia tamen ſpecies, dum objectarum rerum ſimulachra exhibent, ſi illa boni malive ſpeciem referant, magnum conſenſum cum toto, cum corde vero præcipuum & maximum habent, (in corde enim omnium ſenſoriorum commune ſenſorium eſt juxta *Ariſtotelem lib. de juventute & ſenectute cap. 3.*) in hoc cætera ſenſoria motum facere contingit. Hinc appetitum varie inclinant, unde in toto corpore, præcipue vero in corde maximi motus ſuboriuntur, qui, ut mentem varie percellunt, ita ſpiritus & quicquid in corpore circumfluit humorum, potenter afficiunt, adeo ut effectus miraculo ſæpe propior ſit. Quod parva mutatio in ipſo principio facta multiplices & magnas in extremo faciat differentias. Ut temone paululum

Digitized by Google

lum tranſlato, magna proræ fit tranſpoſitio teſte *Ariſtot. lib. d. mot. anim. cap. 7.* Quod exemplo cordis loco citato confirmat, cujus leviores alterationes graves ſequuntur in corpore mutationes cum ruboribus & palloribus, tum horroribus & tremoribus. Et neceſſe eſt, validiſſimo membrorum laborante totum corpus laborare, docente *Hippoc. 2. d. nat. hum. t. 5.* Ad oblati itaque phantaſmatis ſpeciem, quoquoverſum datur lationum, humores & ſpiritus præcipue moventur: modo luxuriantes ſe pandunt, modo in ſe contracti & conglobati ſubſidunt, varióſque ſæpe morbos, pro horum motus, & conſtitutionis corporis diverſitate, generant, tanta interdum pernicitate, ut mortem repentinam aliquando attuliſſe hiſtoriæ memorent. Quantum enim animi affectus in corpus noſtrum virium habeant, docent *Galenus lib. 2. de ſympt. cauſ. cap. 5. Avicenna lib. 1. fen. 2. doct. 2. cap. 14.* Ita *Sophoclem & Dionyſium Siciliæ Tyrannum*, utrumque accepto tragicæ victoriæ nuncio; item matrem quandam, poſt pugnam Cannenſem filio incolumi viſo, contra falſum nuncium, ſubito expiraſſe refert *Plinius lib. 8. hiſtor. nat. cap. 53.* Ex adverſo ſubito & gravi pavore perculſis ſpiritibus maximas mutationes in nobis oboriri exemplo eſt *Artemidorus Grammaticus*, cui pavor ex viſo crocodilo omnem ſapientiam ex animo expectoravit, ut ipſa elementa litterarum oblitus fuerit. Et ob metum mortis una nocte repente canum factum *Franciſci Gonzagæ Mantuæ Principis* affinem, qui ei propterea & veniæ & vitæ fecit gratiam, prodidit *Scaliger exerc. 312.* Quale conſimile ſubito caneſcentis ex metu mortis exemplum videre licet apud *Thuanum*. Imo quoſdam ob timorem ſubitaria morte periiſſe docuit *Galenus lib. proximè adducto cap. 6.* Sed & gravi incendii terrore ſpiritibus validè commotis deſperatam ſanitatem ſubito cuidam obtigiſſe recenſet *Valleriola lib. 2. obſerv. med. 2.* de *Joanne Berla*, cive Arelatenſi, reſolutione alterius lateris plures annos laborante: qui, metu incendii, quum è ſummo ædium ſe præcipitaſſet, domo ac lecto prope incenſis, incolumis ſanitati penitus deſperatæ properè reſtitutus fuit. Quod valida animi affectuum vi eveniſſe ſtatuendum, dum ab objecto phantaſiæ incendii terriculamento, iſtis graviter commotis, humores, cumprimis verò ſpiritus ad eorum mandatum obſequioſi, hactenus obſtructos nulliſq; medicamentis

 pene-

penetrabiles meatus trajicerent: unde valido motu diſſipata noxiâ materiâ, ac priſtina ſede occupata ad conſueta olim munia ſpiritus reverterunt.

Qua de re mirum non eſt, purpurata hac febre itemq; peſte quoſdam correptos fuiſſe, ubi peſte aliquem ſublatum, funerandum efferri, aut domo infecta quendam, quamvis hujus luis exortem, egredi viderunt, aut ſubitaria ac præcipiti morte abreptum his morbis audiverunt: quod poſtremum, *Mariæ Rephuniæ* matronæ honeſtiſſimæ, affini meæ, contigiſſe bona fide teſtari poſſum: quæ allato nuncio de propero obitu vicini cujuſdam, quem pridie incolumem atque ex voto benè valentem viderat, gravi terrore prope exanimata, peſte correpta fuit. Quid? quod ſomniantem nocturna quiete peſtilentiam, illa correptam ſciam *Balthaſaris Haſſen* viduam, ut bona fide ab eadem & ſororibus mihi relatum, cum illam graviſſimo morbo laborantem aliquoties viſitarem. Ejus rei cauſſam arbitror ſemina morbi, quæ, jam intus abſconſa hærentia, ſed hactenus ob præſentem ac vividam ſpirituum vim impedita, relapſis aut evanidis per ſubitum gravemque pavorem ſpiritibus, illico erupere, & rectà cor petiere, quod nuper ſpeciem ingentis mali ſuſceperat. Penetrat namque metu venenum in intimos cordis receſſus, unde ægerrimè ejicitur: quod vis morbi deleteria in ipſo vitæ principio, metu illo traducta, hæreat, virtuſque penitus ſuccumbat, veneni intus hærentis malignitate, & Panico terrore proſtrata. Hinc veſpillones, alioſque, qui ægrotis peſte purpuraque affectis operam ſuam collocant, ſi animo præſenti rem gerant, raro corripi peſtilentiæ malo obſervamus; quamvis corpora pravis humoribus referta habeant, & illaudata victus ratione utantur: quos ob confidentiam animi, mortisq; contemptum cum Poeta vocare ſoleo

Felices errore ſuo, quos ille timorum
Maximus haud urget lethi metus.

Iſta vero peſtilentium morborum ſeminaria, malignamq; διάθεσιν, conſtitutione aeris λοιμώδει corporibus pleriſque ineſſe Hippocratis teſtimonio nobis licet eſſe certis: qui communis morbi communem cauſſam, aerem ſcilicet, ſtatuebat *de nat. hum. ſ. t. 3.* ejusq; τὸ πνεῦμα ὃ ἕλκομεν *text. 4.* accuſabat, quæ noxiâ qualitate nobis comunicet, ut repe-

repentino pavore afflicta phantaſia, retractis ad interiora ac conſumptis ſpiritibus momento quaſi interdum erumpat.

Porro an phantaſia præter illa, quæ excitare dixi, πάθη, ac inde natos effectus, peculiarem ac determinatam actionem habeat, eoſdem aut ſimiles producendi effectus, magnis pugnatur opinionum divortiis: cum locis ex *Ariſtotele* ſupra allegatis, aliisque ſolidis rationibus conſtet, phantaſiæ, præter vim cognoſcendi ac repræſentandi, eſſe nullam; contrarium vero pleriſque medicorum probari videam, liquido in hanc rem exemplo gravidarum, quæ oblatæ rei characterem fœtui ſæpe inferunt, intenſiore aliquo motu phantaſiæ. Ita *Plinius lib. 7. nat. hiſtor. cap. 12.* hauſtæ imaginis ſub ipſo conceptu ſimilitudinem fœtui imprimi, aſſerit: quam & cogitatio utriuslibet animo ſubito transvolans effingere ſimilitudinem aut miſcere exiſtimatur. *Plato lib. 6. de legibus in fine* jubet, ut liberorum generationi operaturi intentiore imaginatione, ad opus ſe convertant, quo pulcherrimam & optimam prolem inde reportare poſſint. Cujus rei exemplum petere licet ex *Galeno de theriaca ad Piſon. cap. 11.* deformis cujuſdam, qui propoſitâ pulcherrimâ imagine, quam uterque conjugum fixa ac ſtabili oculorum & mentis acie intuebatur, pulcherrimos generavit liberos. Firmant *Avicenna lib. 1. fen. 2. doct. 2. cap. 14.* Quod puer ei aſſimiletur, cujus formam imaginata fuerit conventio viri & mulieris, & quod ſit color propinquus calori ejus, quem viderunt, quum fit caſus ſpermatis. *Paræus lib. 24. cap. 7.* exemplis Perſinæ Reginæ Æthiopiæ, quæ ex Hydaſpe marito filiam albo colore inſignem ſuſcepit, quod tempore conceptionis fixis oculis intentoque animo in oppoſitam pulchræ Andromedæ imaginem ſe convertiſſet: item puellæ urſi inſtar villoſæ, quæ, quod mater in ipſo conceptionis articulo imaginem Divi Johannis Baptiſtæ pelle camelina tecti in cubiculo poſitam fixius intuita eſſet, pilis obſita generata fuit: quorum illud ex *Heliodoro lib. ult. hiſtor. Æthiop* hoc ex *Damaſceno* propoſitum fuit. *Nicolaus Maſſa de lib peſtil. cap. 2. Daniel Sennertus d. conſ & diff. Chym. & Gal. cap 14. Fabricius Hildanus obſerv. chirurg centur. 4 obſ 59. Fienus.*

Cum enim phantaſmata ſint velut ſenſibilia quædam; & omne ſenſile ſenſus ſuſcitet potentiam ad actum congenerem, teſte

Scaligero Exerc. 303. ſ. 2. accidit, ut cum phantaſiæ effectus ad certam actionem dirigatur; (ita vomentum quis videns, idem & vomitu & nauſea facile corripitur: ſenſus enim videndi cum omnium exquiſitiſſimus ſit, eventa quoque ipſa pro ſua præſentia ſolet ingerere, quocirca efficitur, ut ipſi veri affectus proficiſci ex eo poſſint, quamvis leviores, ut habet *author problematum ſect. 7.*) ſpecies fortius impreſſa phantaſiæ πλαστικὴν virtutem excitet, quæ efformandis embryonis membris tum præcipue operatur, ut ad oblati inluſtrioris phantaſmatis ideam, ut pictor ad alterius exemplaris formam, conſimilem ſpeciem, quantum per ſubjectæ materiæ conditionem, & cœleſtis caloris δημιουργικὴ virtutem licet, in fœtu efformet. Cum enim phantaſmata ab imaginatione offeruntur, proinde afficimur, atq; ſi in pictura eadem ſpectaremus.

Animæ enim potentiæ cum ſedibus non ſint diſcreta; ſed iſta ſit tota in toto, & in qualibet ejus parte, ac, ut Poeta canit,

——— *totos infuſa per artus*,

ut pes videret, modo inſtrumentum videndi commodum & adæquatum adeſſet, conſociatis ita facultatibus animæ, uni potentiarum affectus illatus toti animæ communicatur. Qua de re ſi hic valens fuerit, naturalem facultatem fortiter alterabit, quod ea pariter phantaſiæ impreſſionibus ſubjecta ſit, & præter illos motus generales, quos ex affectuum forti impreſſioni in ea ſuboriri notavi, etiam vim πλαστικὴν embryonis, quæ, ut quadrangulus & triangulus in circulo comprehenduntur, facultati naturali ſubjacet, valide afficiet, ac motus particulares in fœtu producet, dum oblati vehementioris phantaſmatis characterem quantum licet, imitari conatur. Eadem tamen vis phantaſiæ fœtu jam adulto membriſque jam in ſolidum abſolutis tales effectus nunquam, aut admodum raro; multo minus in materno, alteriusve corpore, præſtabit: quod vis formatrix jam ceſſet, & partes longa ætate ſolidæ impreſſionem phantaſiæ recipere nequeant. Quamvis alii affectus, ut jam dixi, intentiore phantaſia in nobis oboriri poſſint, qui oblatæ ſpeciei aliquomodo ſimiles ſint, ut ſtupor dentium, alio rem acerem comedente: ſic intuitu rerum rubrarum ſanguinem commoveri videmus; qua de re ad faciliorem eruptionem variolarum rubri panni ægris obtenduntur. Ut hinc con-

conſtet, ſpecies illas ſpiritibus impreſſas præter vim præſentandi, certam ac determinatam aliqualem vim alterandi obtinere, quamvis leviorem: unde cum ſpecies in phantaſiam receptæ rerum habeant poteſtatem; phantaſia dum illas illuſtrat, multa agit ſomno aut morbo occupata. In ſomno enim ut *Claudianus præf.6. conſul. Honor paneg.* teſtatur.

Omnia quæ ſenſu volvuntur vota diurno,
Pectore ſopito reddit amica quies.
Venator defeſſa toro cum membra reponit,
Mens tamen ad ſylvas & ſua luſtra redit:
Judicibus lites, aurigæ ſomnia, currus,
Vanaq; nocturnis meta cavetur equis &c.

In morbo etiam phantaſiæ effectus mirabiles ſunt, pro varia peccantis humoris conditione, corporis conſtitutione, variaque anteactæ vitæ conſuetudine, namque

Telamonius Ajax
Arma rapit, ſuperosq; furens in prælia poſcit.
Jamq; hominum hos nunc inſequitur, nunc percutit illos.
At tacitus, mœrensq;, hominum conſortia vitans
Bellerophon ſolos errat malè ſanus in agros.
Bellerophon, quem Martis honos, quem gloria currûm
Per deſerta fugit, nec amor comitatur equorum.

Cave tamen quibuſcunq; phantaſiæ ſpeciebus tantos effectus tribuas: intenſior enim ejus motus eſſe debet, &, ut ſic dicam, fixior. (Fixior enim omnis imaginatio ſpeciem intendit, & latè diffundit, difficiliusque tollitur,) ob firmiorem in ſpiritus, præſertim ſiccos impreſſionem, ut *Avicenna d. vir. cord. tract.1. cap.5. in fine* ſtatuit. Hinc melancholici phantaſmata ſua pro veris ſpectris ac viſionibus plerumque habent; quæ ſomno, interdum etiam de die intentiore phantaſia illis offeruntur. Phantaſmata enim per ſpiritus diverſæ temperaturæ non uno modo referuntur, teſte *Scaligero Exerc.307.ſ.28.* quod ſi ſpecies non ſolum fixior ſit, ſed & crebriùs, pari motu, in phantaſiâ repetatur, potentior fit, aut adeo firma, ut perpetuùm duratura videatur. Etſi enim omnes ſpecies ſimul ſint, & in uno puncto omnes: nec ulla ſpecierum intenſior per ſe ipſam fiat, quan-

Digitized by Google

quam centies animam moveat; ſiquidem nihil aliud eſt, quàm repræſentatio quædam: circumſtantiæ tamen & alia accidentia crebriori repetitione (quod una vice fieri nequit) clarius exhibentur. Quamvis repetitam ſpeciem fortiorem fieri & intendi admittat *Fracaſtor. lib. 1. d. intellect.* Quemadmodum enim ex duobus luminibus unum fit lumen intenſius: ita ſpecies intenſior facta in plures ſpiritus diffunditur & profundius figitur. Quod ſi virtus reſiſtendi imbellis ſit, ut his, qui animo demiſſo, & quæ natura trepidantium eſt, timore immodici ſunt, eò facilius iſta noxa infertur, ut docuit *Galenus l. 5. d. ſympt. cauſ. cap. 5.* cum repentino conſtantiq; timore, & nativo robore invalida vis cordis elangueat, ſpecie recepta firmiter phantaſiæ inhærente.

Illud vero obſervandum longe majorem eſſe vim earum ſpecierum, quæ ſunt à natura, quàm quæ ſunt à voluntate, ut teſtatur *Avicenna lib 1. fen 2 doct. 2. cap. 14* plurimum enim imprimunt res naturales docente *Fracaſtor. l. 2. d. intellect. fol. 143.*

Apage vero deliramenta *Paracelſi* me aſſerere credas, qui ut alibi multa ex veterum magorum involucris eruta luci reſtituit; ita & heic ſpecioſum commentum propoſuit *l. 2. d. peſte cap. 1.* prope finem: phantaſiam intentiorem fieri ſubjectum peſtilentis veneni, quæ ipſa aſtra ſuo veneno inficiat, *tract. 1. d. peſtil. p. m. 46. & libr. 1. d. peſte cum addit. p. m. 162* item *165. lib. 2. d. peſt. c. addit. tract. 2. cap. 1. & 2. & tract. 2. d. peſtil. pag 92.* attentiore cogitatione de peſte & metu de eadem Lunam inſtar ſpeculi infici, & ab eidem reflexis radiis hominem peſte contaminari. Sic *lib. d. occulta Philoſophia cap. d. imaginatione p. m. 348.* phantaſiæ maximam eſſe vim inficiendi, quæ efficacius ipſo aere infecto in nos operetur, docuit, exemplo adducto duorum fratrum: quorum alter in Gallia degens ſi fratrem, peſte in Italia fato ſuo functum comperiat, conſtanti fortique imaginatione peſtem ſibi accerſere poſſit, unde alii poſtea inquinentur, nullo aeris inquinamento præſente. Pariter nec mihi placent, quæ *Alchindus, Techell°*, tum ipſe *Paracelſus lib. 1 d. vita longa c. 9.* ſcripſit, phantaſiæ virtutem in alterius corpus penetrare, illudq; variis morbis afficere poſſe, exemplo *Syri*, qui cum de vita laboraret, robuſti cujuſdam adoleſcentis, qui forte aſſiſtebat vim atque naturam attraxiſſe dicitur.

Nec

Nec diſſentit *Petrus Pomponatius lib. d. incant. cap 4.* quo loco animæ humanæ vires in ſanando ex forti imaginatione circa aliquid magnas eſſe profeſſus. Quid? quod *Archaſium* uniuſcujusque eruditi ac prudentis hominis ſcientiam atque prudentiam *impreſſione Deltica* attraxiſſe dicitur authore eodem *Paracelſo loco proximè citato.* Quos enim illi ſpirituum ductores dabunt, per tanta locorum intervalla, ne aberrent? Ardua enim opera, nec phantaſiæ in aliud corpus facilis via, quali ad inferos iri *Bion* apud *Laertium lib. 4.* dicebat, *cum oculos in iſto itinere claudere poſſint ſine aberrationis metu,*

Nec ire labor eſt, ipſa deducit via.

authore *Seneca in Herc. Furente act. 3. ſcena 2.* Sed hæc poſt bellaria lectori meo ad riſum apponere volui; cum nova iſta μετεμψυχώσεις animarum *Paracelſica* (nam de *Pythagoræ*, transanimatione alia ratio eſt, ut videre licet apud *Herodotum l. 2. Platonem in Phædone, ſeu de anima, Ariſtot. l. 1. d. anim. cap. 3. Galenum d. ſubſtant. fac. nat. cap. unico,* & *in lib. ſpur. d. ſperm. fol. m. 37.* & *38.* cumprimis vero *Lucianum in dialogo de Gallo,*) ut dudum exploſa ab eruditis; ita merito deferenda ad Luciani tribunal, ubi horum omnium reddetur ratio.

Ultima cauſſarum purpuræ contagio eſt, quæ in purpura manifeſto obſervatur; etſi minus heic, quàm in peſte, valida ſit. In peſte enim ſumma contagii vis eſt: qua de re *Comicus in Amphit. act. 2. ſcen. 1.*

A. Apage te à me. S. quid eſt
Negotii. A. Peſtis te tenet

At in purpurata febri contagio minus ſæva eſt, etſi alia corpora ſæpenumero contaminet: quemadmodum tralatitias hujus contagii vires clinici mediciq; magno cum malo aliquando experiuntur: ut & heic verum ſit, quod de peſte *Æginetarum* conqueſtus *Æacus* apud *Ovidium lib. 7. metamorph. fab. 26.*

——————— *inq; ipſos ſæva medentes*
Erumpit clades, obſuntq; authoribus artes:
Quo propior quiuq; eſt, ſervitq; fidelius ægro
In partem lethi citius venit.

Et *Thucydides l. 2. bell. Pelopon.* medicos præ cæteris extinctos refert,

ut

ut qui maximè ægrotos adirent. Pariter *Lucretius* idem confeſſus de peſte *Attica l.6.d. rer. nat.*

Qui fuerant autem præſto contagibus ibant. Et paulo ante
Idq; vel inprimis cumulabat funere funus.
Quippe etenim nullo ceſſabant tempore apiſci
Ex aliis alios avidi contagia morbi.

Quibus authoribus ſimul conſtare poteſt, contagium & doctrinam de contagio antiquis notam fuiſſe: quemadmodum peſtilenti morbo laborantium converſationem periculoſam dixit *Galenus lib. 1. d. diff. febr. c.2.* ne inde contagium contrahatur, ut ex ſcabie & lippitudine. Sic *Ægineta lib.3. cap.43.* in colica ſui temporis λοιμικὴν ἐπιδημίαν obſervavit. Et ut alios authores, Hiſtoricos ac Poetas taceam, Hippocrates certe contagii indolem perſpectam habuit: namque *lib. de flatibus* κοινὸν πνεῦμα fieri dixit quod eundem omnes ſpiritum attrahant, & ſimili corpori ſpiritu ſimiliter permixto ſimiles oriantur febres. Quod vero in libris epidemiorum contagii nullam fecerit mentionem, conſulto id factum arbitror, quoniam contagium omnibus notum: quæ autem cuivis obvia ſummus vir ſcribere noluit teſte *Galen. 2. d. diff. reſpir. cap. 7.* Nec tamen doctrinam de contagio ut rem vilem atque omnibus notam, ac propterea Hippocrati & Galeno neglectam credo: in qua & multa ſcitu neceſſaria occurrunt, eaque in re ſuperioris ac præſentis ſeculi medici induſtriam ſuam nobis probarunt: quin potius temporum iniquitate horum authorum ſcripta interverſa cenſeo. Quod ſi Galeni in Thucydidem commentarii, quorum dicto loco meminit, adhuc proſtarent plura citra dubium de contagio poſteritati relicta forent.

Ut a. ex cæteris rebus quoquoverſum diffundi videmus minutiſſima ac inſenſibilia corpora, quæ principii ſui, unde prodeunt, indolem ac vires obtinent: raphano & ſemine ſinapis tritis oculos lachrymari, pipere in conclavi contuſo alios ſternuere, vitta quæ croci ſacco impoſita fuit, ſomnum conciliari, vulgo notum: ita ex corpore, quod aut internis aut externis cauſſis mali labem primum ſenſit ejuſmodi νοσηρὰς ἀπορροίας fluunt. Corpus enim noſtrum cum ſit διαφορητὸν, multiſque poris pervium, & ſemper aliquid vaporoſum e corpore noſtro emanet, teſte *Galeno 1. in 1. epid. text. 1.*

accidit,

accidit, ut conceptæ luis μιάσματα copioſè ſimul expirent, aeremq; cæterasq; in vicino res, quas occupant, labe ſua inquinent: quæ pro natura vaporum non ſolum in ſublime feruntur; ſed & aere frigidiore aut ædificii laqueari deorſum aut ad latera pelluntur, dum tandem totum conclave impleri contingat. Accedit, cum aer tenuitate ſua cuncta pervadat, exhalationibus miſceatur, eaſque in minimas particulas (quæ tamen in exiguitate illa principii ſui naturam adhuc ſervant,) diſſolvat, virus purpuræ latè diffundi. Hanc vero νοσηρὴν ἀπόκρισιν non ſolum per poros corporis ac ἄδηλον διαπνοὴν ſed & anhelitu, dum ſpiritus trahitur, recipi credendum: unde intromiſſa contagii ſeminaria expiratione non tam facile, quàm recepta fuere, rurſus excluduntur: quod inquinamenta hæc humoribus partibusque ſolidis penitus adhæreant, imo ipſis ſpiritibus permiſceantur: qui contrarii ſpeciem refugientes ſeminaria hæc ad vitæ principium ſimul deferunt: quæ etiam, dum refrigerando cordi ſe pandunt arteriæ, una cum aere ad cor transferuntur. Quod ſi partibus à corde remotioribus hæreant, ibidem à calore noſtro in actum ducuntur, ac fermentatione quaſi quadam continuò aucta cordi tandem communicantur.

Iſta vero inquinamenta ſive vaporum ſive humorum ſpecie afficiant, interdum propiore contactu nos inquinant: quemadmodum in fructibus conſimile exemplum videre licet: dum marceſcente uno pomo, quæ proxime adſita ſunt, eandem corruptionem mox concipiunt: interdum in fomite, characterem ſui relinquunt; qui contrectatus ſpeciem mali alteri rurſus communicat: namque in veſtimentis aliiſque rebus ex ſuſpecto loco delatis purpuratam febrem traduci vel vulgò notum, integris familiis imprudenti ejuſmodi commmercio infectis, aut ſublatis: interdum ad diſtans morbi hujus ſeminaria transferuntur; ut compertum ſit purpurà tranſmarina loca quædam tacta, nullo aeris illic vitio, nulloque commercio id cauſantibus: quaſi & hac in re naturam peſtis æmulari morbus noſter velit, quam ſuo tempore *Thucydides lib. 2. belli Pelopon.* in *Æthiopia* primum incepiſſe, hinc in *Ægyptum, Libyamque*, ac *Regis provincias*, tandemque *Athenas*, principio contagionis in *Piræo* facto, deveniſſe memorat, quod de eadem peſte confirmat

Galenus 1. d. diff. febr. c.4. & *Lucretius lib.6. de rerum natura* de hoc morbo canit,

> *Nam penitus veniens Ægypti è finibus ortus,*
> *Aera permenſus multum campoſq; natanteis,*
> *Incubuit tandem populo Pandionis.*

Semina hæc purpuratæ febris ut aliorum contagioſorum morborum lenta, viſcida & tenuia eſſe volunt pleriq; authores: quo minutiſſimis foraminulis adverſus aeris alterationes abſconſa latere, contracta vis mali longiori tempore durare, promptiusq; penetrare poſſit, Quamvis exactam mixtionem, quæ, minimis invicem optime unitis ac elaboratis, nec propterea facile diſſolubilibus, conſtat, ac ſpiritalem ſubſtantiam, quæ ut alii ſpiritus, in agendo potens admodum ſit, & formalem, ut ſic loquar, vim heic potius agnoſcam; quod mole minimæ plurimæ res vires ſuas integras diu ſervent, quæ vim contagii peregre ſecum transferre ſolent, in quibus tamen lentorem nullum deprehendere liceat: conſimili fragrantioris alicujus rei, ut moſchi, exemplo, cujus fragrantiam veſtis quæ biberit, diu ſervat ſemel conceptum odorem, eundemque alteri vicinæ rei communicat, ut per magna locorum intervalla ſpiret adhuc commendatam moſchi bonitatem.

Hæc quæ purpuræ adeſt *τοτῇ ὑποκείσεις*, indeq; profecta contagio totius ſubſtantiæ ratione in nos operatur, qua venena agere ſuperius notavi; quæ mole minima maximam vim obtinent. Et *Galenus comm.2. d nat. hum.t.4.* notavit, evaporationes tales proprietate totius eſſentiæ potius offendere corpora, quàm nuda qualitate. Quid enim tantilla portiuncula *μιασμάτων* horum manifeſta qualitate operari poſſet; cum, quæ multo majori exceſſu qualitatum agunt, tantos effectus nequaquam præſtare valeant: & in illis ipſis *μιάσμασι* purpuræ ne ſenſu quidem deprehendere licet notarum qualitatum exuperantiam, adeo penitus abſconſæ latent.

Contagii vero purpurati indoles & *ἰδιοσυγκρισία* ratione humana incomperta eſt: (ut multa alia intellectus noſtri anguſtia comprehendi nequeunt,) quâ certis ſubjectis & partibus ſeminaria ejus bellú indixere, aliis inſontibus. Ita boum peſtis præcedente anno, antequam hæc lues emergeret, multa armentorú millia in his locis abripuit;

ripuit; hominibus intactis: & quæ proximo anno ſequebantur le-porum mortes ejuſdem ſpeciei individuis internecionem attulere, reliquis animantium intactis.) Sic ophthalmia oculis contagio nocitura, nulli cæterarum partium corporis alias inimica: phthiſis ſolis pulmonibus tabem ſuam communicat, cæteris membris necquicquam damnoſa. Debet enim heic, ut in aliis actionibus, conſpirans conſenſus eſſe τοῦ ποιητικοῦ, καὶ τοῦ ἐπιδεκτικοῦ: ut quum arduum ſit penetrare in abditos illos ἰδιοσυγκρασίας receſſus, veramque & adæquatam cauſſam inde diducere, unde hic mutuus rerum conſenſus dependeat, communibus documentis cogamur eſſe contenti, quæ de actione & paſſione à ſummo philoſopho propoſita fuere *lib. 1. de gener. & corr. cap. 7. Quod ſimile eſt, & omni ex parte nullam prorſus habet differentiam, nihil à ſimili pati rationi conſentaneum eſt. Cur enim potius alterum altero erit paſſivum? Item, ſi fieri queat, ut quippiam patiatur à ſimili, illud quoq; à ſe pati poterit &c. Et quod prorſus diverſum & nullatenus idem eſt, ſimiliter ab altero nil patietur: nam neq; albedo à linea, neq; linea ab albedine quicquam patietur, niſi forte per accidens: ceu lineam eſſe albam aut nigram acciderit. Non enim ea quæ neq; contraria ſunt, neq; ex contrariis conſtant, ſeſe extrudunt propelluntq; à natura. At cum non quidvis agere ac pati natum ſit, ſed quæ aut contraria ſunt, aut habent contrarietatem: tam agens, quam patiens genere quidem ſimile ac idem; ſed ſpecie diſſimile atq; contrarium eſſe neceſſe eſt. Nam corpus à corpore, & ſapor à ſapore, & color à colore, & in ſumma, quod ejuſdem eſt generis, ab eo, quod itidem ejuſdem generis eſt, pati aptum eſt. Cujus cauſſa eſt, quod contraria in eodem genere ſunt omnia. Contraria vero inter ſeſe viciſſim agunt, patiunturq;.* Hactenus Ariſtoteles.

CAPUT X.

Purpuræ differentias explicat.

IN recenſendis purpuræ differentiis prolixior non ero, quod ex iis, quæ jam relata ſunt, quivis ad proprios uſus iſtas facile transferre poſſit. Ut autem aliarum rerum omnium, ita

Digitized by Google

& purpuratarum febrium differentiæ duum generum ſunt, diſtinctæ ſcilicet in principales, maximè proprias, ſeu ſubſtantiales dictas; & accidentales; quarum hæ rurſus bifariam dividuntur, in proprias nimirum, quæ rei dividundæ propinquiores, magisq; propriæ ſunt, ac remotiores, quæ magis alienæ, ab ipsâ re ſeparari, aliisq; multis rebus communes eſſe poſſunt. Harum omnium differentiarum præcipua eſt, quæ ab ipſa rerum eſſentia deſumitur: quæ ſoli Deo & naturæ cognita, nec humanæ mentis diligentiſſima inquiſitione inveſtigari ac cognoſci poteſt: quod ea à forma cujusque rei & exactiſſimâ elementorum commixtione dependeat. Quamobrem meliorum defectu proximas ſubſtituimus, quæ à formæ actu perfectiſſimo in materia dependet, ut rationalem, riſibilem eſſe, hominem eximit à ſorte cæterorum animantium: quemadmodum magnetis proprium eſt trahere ferrum &c. Quamvis vero differentiæ eſſentiales ſubſtantiis præcipuè convenire videantur: accidentia tamen eaſdem ſuo modo vendicare ſibi videntur: quod & his inſit quædam coexiſtendi ratio: & quod accidentibus inſint genera ſpecies, differentiæ & proprietates, quibus ab aliis diſtinguuntur: acciditque, ut pro eſſentialibus accidentium differentiis, etiam quæ ex ſubjectis & effectu petuntur, ſubſtituantur. Qua ratione à *Galeno lib. 1. d. diff. febr. cap. 1.* febris eſſentiales differentiæ dicuntur, quæ à caloris eſſentia ac qualitate, motu materiæ, & ſubjectis deductæ, propoſitæ ab *Hippocrate 6. epid. ſ. 1. text. 18.* cæteræ vero pro accidentalibus habentur, quæ à remotis accidentibus fluunt, aliisque morbis accidere ſolent: ut ſi febres longæ an breves, ordinatæ an inordinatæ, malignæ an benignæ ſint: item quæ à conjunctis ſymptomatis diſtinguuntur, ut lethargo, delirio, diarrhœa, &c. Ex quibus ſolæ eſſentiales differentiæ à *Galeno duobus libris de differ. febrium*, & *1. ad Glauc.* item *2. d. criſ.* ac *lib. meth. med. 9. 10. 11.* explicantur, reliquis accidentalibus fere neglectis: quod hæ ad priores referri poſſint ac debeant. Hinc reprehenſionem ii maxime merentur, *Galeno 1. d. diff. febr. cap. 1.* & *lib. 1. ad Glauc. in principio, Hippocrate 1. d. diæta acut. tex 8.* authoribus, qui herciſcundis rerum differentiis operati proprias & principales omittunt; aut in accidentalibus, iis præſertim, quæ è longinquo traductæ, nimium luxuriant.

Primat

Digitized by Google

r Diff.

Prima itaque purpuræ differentia ab ejus eſſentia deducenda, quam in pravâ perniciosâque qualitate poſitam demonſtravi; quæ corporibus noſtris infeſta eſt. Iſta vero maligna & deleteria qualitas nō ſemper eadem & ſui ſimilis eſt; ſed interdum perniciei & contagii vehementia peſtilentibus febribus proxima obvios quoſvis rapit, ac labe ſua contaminat, ut minime tuta ſit cum ægrotantibus converſatio, ob properæ infectionis metum: interdum tantam perniciem ſecum non gerit nec contagio adeo metuenda eſt; interdum inter utrumque exceſſum media ambigit, nec adeo ſæva pernicie eſt, nec contactu ſuo alios facile inficit; nec tamen adeo mitis eſt, ut frigidiſſima quadam inertiâ à medicis tractari velit. Id autem fieri conſentaneum eſt non tam gradu intenſionis ejuſdem veneni, quàm quod ſpecie ſpecialiſſima ac formali ratione, & hinc natis proprietatibus purpura ab altera purpura differat; ita tamen ut ſub eodē purpuratarum febrium genere ſingulæ contineantur: quemadmodum hanc venenorū diverſitatē in peſte plurimi obſervarunt ſcriptores. Cum enim formalis veneni purpurati ratio, qua à peſte, ſcorbuto & aliis malignis morbis diſtinguitur, nobis incognita ſit, & ab effectibus ſolum cognoſcatur, ex variorum ſymptomatum, quæ ſingulis epidemiis conſtitutionibus purpuræ alia atque alia ſunt, congerie latiſſimus eſſentiæ hujus ambitus intelligitur. Quare nec iiſdem ſemper curari volet remediis, ac futuris, ſi quæ Deo volente erunt, ſeculis morbi cæci & maligni naſcentur, petechiis inſignes, qui medentium ingenia exercere, ac imperitorum credulitatem apprime ludere poſſint.

Cum vero præter malignam illam ac deleteriam qualitatem calor purpuræ ſemper conjunctus ſit, quod ea non occultis ſolùm ſed & manifeſtis qualitatibus operetur, etiam caloris in differentiæ hac ſpecie habenda eſt ratio: ut ille immodico æſtu viſcera torret, ſpecificâ venenatæ qualitatis proprietate, aut corpore calidis acribus ac bilioſis humoribus pleno, quod largum purpuratæ flammæ fomitem ſufficiat: vel adeo remiſſus apparet contrariis cauſſis, ut ejus nullæ notæ ſe proferant, ac interdum ne febrire tales ægrotos quis exiſtimet. Qua de re pro venenatæ qualitatis & caloris conjunctione, eorumque diverſitate varia apparebit purpura.

Digitized by Google

Si enim malignitas calorq; ſimul graviſſimè moleſtent, utriuſque effectus ſe ſtatim exerunt, ſymptomatum plena ſunt omnia, morbusque proximus deſperationi ſic affectos ocius jugulare ſolet, quod natura ſit impar tanto oneri ferundo; maxima tum aderit virium debilitas, cordis anxietas, interdum & palpitatio, lipothymia per intervalla recurrens, pulſus debilis: quæ omnia vitale robur ab infeſta morbi malignitate diſſipari ac conſumi demonſtrant. Calor quoque ſuis indiciis ſe una prodet, valida ſcilicet febri, ſuis comitata ſignis ac ſymptomatis, pulſu celeri ac frequenti, ſiti, vigiliis, capitis doloribus, deliriis aliisq; accidentibus, ut materia putrida ejusque vapores in cor, ventriculum, caput aliasque partes fecerit impreſſionem. Sæpe prava & maligna purpuræ qualitas graviter urget, nullo manifeſto calore, quod putredo conjuncta levis ſit, unde & febris mitior apparet, adeo ut ejus nulla prope indicia aliquando advertere quis poſſit: exuperantis tamen malignitatis teſtes erunt, vires extremè languidæ, nullis cauſſis præſentibus, quibus tanta imbecillitas merito imputari poſſit: aderunt & alia indicia quæ corde affecto ſupervenire memoravi. Hæc purpuræ ſpecies cum febre contemnendà aut fere nullà, ac propterea paucis ac in ſpeciem levioribus ſymptomatis afficiat, nullis cruditatis, aut putredinis ſignis, ægros & adſtantes oppidò fallere ſolet, ut ægroti ſanorum ſimiles ſibi aliisque videantur: ſæpe & imprudentes atque inexpertos decipit medicos; ut necquicquam tale opinantes, alterius levioris morbi in ægro ſuſpicioſi, prompta in auxilium morbi ſuâ negligentiâ differant, ac tempora agendi inutili cunctatione conſummant. Sed & victa ſuperataque putredine, ſignis coctionis ad meliorem ſpem invitantibus, plurimos ægros in tali caſu naturæ debitum exolviſſe obſervatum fuit, ſuperſtite adhuc purpuræ pravâ qualitate, quæ neglecta, aut invicta remediis, interitum ægrotis attulit. Interdum calor principio morbi graviter offendit, malignitate pauca, ac tum febrilia ſymptomata ſtatim exſplendeſcunt, morbusq; in ſpeciem gravis numeroſis illis malis pleroſque metu percellere ſolet: at medico cauto & prudenti ſpem ſalutis omnem non dum adimit, modo vires non labant; quod putredini & calori facilius quam noxiæ & deleteriæ qualitati remedia dari poſſe ſciat. Tandem & quan-

quandam purpuræ ſpeciem obſervare licet, in qua vis malignitatis pauca, calorque non adeo graviter affligit: dum febris nullo gravi ſymptomate urget, & vires vitales incolumes ſervantur: cujus generis epidemios morbos omnes periculi expertes à præcipuis authoribus obſervatos fuiſſe ſuperius memoravi: purpuramque mitiorem nullis comitatam gravibus ſymptomatis interdum adverti docuit *Zacutus lib. 3. hiſtor. admir. obſerv. 13.*

In tanta purpuratæ febris varietate ſpecies tamen omnes ſub una generaliſſima ſpecie continentur, ſed quæ ab aliis malignis morbis formali ratione diſtinguitur. Quamvis enim peſtilentium ac malignarum febrium ſit quædam eſſentiæ ſimilitudo, unde pleraque ſymptomata utrobiq; eadem fere obſervantur, & malignæ quædam febres peſtilentes propterea appellari, & peſtis purpurataq; febres ſibi invicem ſuccedere aliquando ſolent; formâ tamen ſua cuique morbo propriâ differunt: quæ cum nobis ignota ſit, illam ex ſymptomatis inter ſe differentibus ſaltem cognoſcere licebit. In peſte enim peſtilentibusq; febribus omnia vaſta, nihilque ut in reliquis morbis latet teſte *Aetio lib. 5. de re med. cap. 95.* & *P. Ægineta lib. 2. cap. 36. ex Ruffo.* Veneni namq; peſtilentis ſumma pravitas cum ſit, eaque agenda potentiſſima, celerrimè ſe prodit, ociusque graviſſimis ſymptomatis ægrum utplurimùm conficit, ac contagio facilimè in alios traducitur, deterrimâ veneni qualitate; dum non ſolum quos prehendit, jugulat; ſed & aliorum venenatorum animalium, graviſſimorumq; venenorum quorundam æmula malignitate virus ſuum afflatu & contactu communicat. Purpuratæ vero febres etſi conſimilia peſtilentiæ ſymptomata, & quæ venenatam earum indolem atteſtentur, proferant; ea tamen non adeo, ut in peſte ſæva ſunt; ſed nec adeo cito ſua percurrunt tempora; ſed ſimulatâ quadam lenitate primis præcipue diebus fallunt: quemadmodum nulli anthraces in purpuratis febribus, rarique bubones apparent, minusq; victimarū orco præſtant: tandem nec vis contagii adeo pertinax eſt, nec aliis tam facile communicantur, ut etiam σποραδες ſingulis annis à medicis obſerventur. Nec enim cauſſarum diverſitate peſtilentes à purpuratis diſtingui quis aſſerat, purpuratasque febres à cauſſis internis, peſtem vero à ſolo aere diduxerit: cum eſſentiæ, non cauſſa-

rum

rum diverſitas, morbos diſtinguat; & purpuratas febres aeris vitio olim populariter viguiſſe fateantur *Rhaſes lib.1.aph. Zacut. lib.2. med. princ. hiſtor.3. q.3. Fracaſtorius l.2. de morb. contag. cap. 7.* & noſtram purpuram aere corrupto potiſſimùm prognatam conſtet, peſtemq; ex prava victus ratione aliquando productam teſtimonio *Ceſaris, Galeni 2. de nat. hum. comm.4.* aliorumq; authorum jàm ſit probatum.

Scorbuticæ quoq; febres cum purpuratis febribus ipſaq; peſte, pluribus interdum colludunt ſignis teſte *Eugaleno*. Quandoquidem non ſolum tumoribus anxietatibusq; ſed & vomendi conatu, & ob materiæ craſſitiem aut obſtructionum venarum magnitudinem, urinarum laudabilitate, ſiti item, nec non moleſta linguæ labiorumque ariditatate, ac morbi propagatione conveniunt; corrupto ſcilicet utrobique ac veneni æmulo humore, unde tam gravia ſymptomata derivantur. A quibus tamen peſtilentes purpurataq; febres diſtinguuntur, quod pleraque ſymptomata omnibus illis morbis communia in peſte purpuraq; magis ſæva ſint, & quaſi continuò non ex intervallis lædant, (quoniam atrociore veneno, cordiq; magis vicino producta,) citius ad ſtatum properent, magnam partem ægrotantium interficiant, pariterque epidemiæ ac contagioſæ magis exiſtant, aliaq; febrium malignarum indicia ſe proferant, quæ peculiarem illique febrium generi maximè propriam, qua à ſcorbuto ſcorbuticisq; febribus diſtinguuntur, indolem obtinent, medicò prudenti & experto longâ diligentique obſervatione cognitam. Scorbuticæ vero febres minus epidemiæ ac contagioſæ exiſtunt, & ad unam tantum alteramque familiam conſtringuntur, in eaq; non omnes, ſed certos & ad ſcorbuti generationem ex vitæ victusq; errore diſpoſitos corripit; præterea minus atroces hæ febres exiſtunt, ſed intervalla ſymptomatum præſtant (cauſsâ morbi non circa cor ac vicinas partes, ſed circa lienem venasque meſaræi deliteſcente,) lentoq; fere gradu curſum ſuum abſolvunt: alia item ſymptomata ſcorbuto magis quam peſti aut purpuræ familiaria comitantur: imò in ſingulis fere ſymptomatum exquiſitiſſima ſciſcitatione longo medendi uſu prudens medicus peculiarem ac ſcelotyrbes vernaculum characterem obſervabit, à purpuræ peſtisque ſymptomatis oppidò diverſum: quemadmodum heic pulſus parvus ac debilis apparet, con-

contrarius ſæpe putrefactionis indiciis, quæ urina demonſtrat, ut mirari quis poſſit hominem in tanta pulſus imbecillitate vivere poſſe, qui tamen in magnis anxietatibus animique deliquiis conſueto fortius manum appoſitam ferire ſolet. Tandem curatio(ni morbus admodum inveteraverit,) facilius & felicius quàm in purpura ac peſte ſuis remediis, ſpecificis antiſcorbuticis abſolvitur, ut obſervarunt *Dan. Senner. d. ſcorbuto cap. 5. text. 55. ſeu. Eugalenus d. ſcorbuto cap. 36. Matth. Martini d. ſcorbuto t. 85.* Quod ſi ſcorbuticus febre maligna ſeu purpurata afficiatur, quod in his regionibus non raro contingere ſolet, commiſceri utriusque morbi ſignorum ſeriem, ſymptomataque utriq; morbo vernacula ſed confuſa, tum apparere videmus.

A malignis impropriè dictis febribus purpura quomodo diſtinguatur, ex illis, quæ pro explicatione vocis maligni adduxi, cuivis conſtare poteſt.

A propriè malignis febribus (ad quarum cenſum peſtilentes, quæ maligniſſimæ dicuntur, ſcorbuticas item, malignas à medicis in ſpecie ſic dictas, aliasque quocunq; venenorum genere productas febres refero,) tanquam ſpecies à genere differt: quod latiſſimus ſit malignitatis ambitus, & in omnibus illis morbis τὸ κακόηθες obſervari ſoleat, quod occultam perniciem ſecum gerant, ſymptomata ſecus quam apparere videntur, funeſta ſint, ac curationem difficiliorem reddant.

A malignis in ſpecie febribus, quæ communiter & recepto loquendi uſu,

Quem penes arbitrium eſt, & vis & norma loquendi,

malignæ medicis dicuntur, eſſentia nihil differt, quod ſymptomata utrobique eadem ſint. Nec enim malignas in ſpecie dictas febres à purpuratis propterea differre quis autumet, quod in illis macularum nulla veſtigia interdum appareant: cum ſymptomata, ut ſupra retuli, ſibi invicem adeo ſimilia ſint, ut ovum ovo, lac lacti ſimilius eſſe nequeat, & maculæ inter ſigna pathognomonica malignarum febrium referantur, & purpuratæ ac malignæ febres pro ſynonymis à doctiſſimis medicis cenſeantur. In his tamen macularum nulla veſtigia interdum apparent, (quod & in noſtra epidemia lue crebro contigit,) locorum Septentrionalium frigore, corporum noſtrorum

 habitu

habitu adſtrictiore, humorumque corruptorum craſſitie. Nec opus eſt eas ſemper efflorescere, modo aptitudinem ac diſpoſitionem habeant: quemadmodum carbunculum ac bubonem in peſte correptis non ſemper adeſſe videmus, indubitato tamen peſtis malo, ex quo & plures intereant, plurimique inficiantur. Sic febres lipyriæ à febrium catalogo non ſunt excludendæ, quod nullum calorem foris prodant: & intermittentium principiis exteriora frigent; cum tamen ægrotos tum febrire nemo negaverit. Retracto enim ad interiora calore foris minus obſervatur: quo impedimento remoto per exteriora late ſe diffundere ſolet. Ita rationalem, riſibilem hominem dicimus, etiam cum dormit; non quod tum actu ratiocinetur aut rideat, ſed quod ridendi aut ratiocinandi poteſtatem habeat.

A ſimplicibus putridis purpuratæ differunt, quod, cũ in illis ſola putredo dominetur; ſymptomata etiam omnia à putredine ac calore deriventur, unde & conſueta ſua ſervant tempora, minusq; periculi portendũnt, & præſente coctione finiuntur; ſed nec contagio transplantantur: in his vero cum præter calorem etiam venenata qualitas reperiatur, ſymptomata quidem ſuperioribus à calore productis, quodammodo ſimilia ſunt; ſui tamen generis propriam naturam exprimunt, aliaque gravia accidentia ſimul comitantur, quæ venenatam qualitatem præſentem eſſe teſtantur. Unde ſæpe numero obſervatum, levibus in ſpeciem ſymptomatis; imo cum optimis in pulſu & urina ſignis ægros mori: nec morbum certas obſervare periodos, criſesque nec certis diebus accidere, nec ita fidas aut ſalutares eſſe: quod venenata qualitas ſuis ſymptomatis conſueta morborum tempora turbet, nec notis πεπάσμου legibus coerceatur: quæ pariter contagio alios inficere ſolet, quod eum corruptionis gradum ſit adepta, ut pravitatem ſuam aliis communicare valeat.

Proxima ſuperiori differentia purpuræ à ſubjecto ejuſdem dependet, variatque pro hujus diverſitate, & ut purpura ſpiritibus, humoribus aut partibus ſolidis inhæret; ita modo ephemeras, modo humorales, modo hecticas febres excitat; non quod vere ita dictarum febrium indolem exprimant, ſed quod iſtis analogæ ſint, ac quandam ſimilitudinem referant: quam tamen princeps cauſſa purpuræ, malignitas varie mutare ac confundere ſolet: quæ etiam alio-

rum

rum venenorum æmulatione vel prima die inſtar ephemeri Colchici hominem abripere, vel dilatâ morte, innatâ ſibi proprietate lenta quaſi tabe hominem conficere aliquando poteſt.

Tertiam purpuræ differentiam à materiæ corruptæ diverſitate, variisq; locis, ubi illa corrumpitur ac putreſcit, deducemus: cum omnes humores tam alimentarii quàm excremētitii labe malignitatis inquinari & corrūpi poſſint, plurimaq; loca ſint, in quibus purpuræ minera deliteſcere queat. Inde variæ febrium harū differentiæ fluent, purpuraque alia tertianæ, alia quotidianæ, alia quartanæ; ſed malignæ, ſpeciem referet, ut bilioſus, aut melancholicus humor morbo materiam præbuerit: quæ ſi proximè cor aut in vaſis majoribus ſubſiſtat, ſimulque bilis retorrida maligna putredine corrupta fuerit, febrem malignam cauſonidem, ſi in venis minoribus bilioſa iſta materia ſubſiſtat, tertianam continuam: intermittentem vero, ſi idem humor ſed excrementitius extra venas malignè putreſcit. Idem eſto de cæteris humoribus judicium, qui præterquam quòd pro ſingulorum humorum conditione peculiarem febris ſpeciem cauſantur, etiam pro varietate locorum modò perenni *ἀναθυμιάσει* cor laceſſent, nulla aſpectabili morbi remiſſione; modo intervalla præſtabunt, ſuosq; manifeſtos acceſſus & receſſus habebunt. Quid? quod obſervatum ſit purpuram aliquando nullo febrium genere definiri: cum tot tantaq; diverſa, imo contraria aliquando ſymptomata in eodem morbo deprehendantur. Sanguis tamen purus malignæ hujus putredinis vitium plerumque concipit, ac ſynocham malignam, ſeu continuam malignam excitat: quæ frequens admodum purpuræ, quòd ad dictum humorem analogiam præcipuè habere videatur: hoc ſpecioſus ille macularum color, frequentiſſimus huic morbo oppido demonſtrat, illæque effuſæ hæmorrhagiæ narium uteri, hæmorrhoidum, & quæ ex ipſis viſcerum venis prodeunt dyſenteriæ idem confirmant: quin obſervatum à me refero, ſanguineæ complexionis homines præ aliis hoc morbo correptos fuiſſe *ἀναλογισμῷ* peſtilentis veneni, cui corpora ſanguinea magis obnoxia eſſe *Avicenna* confeſſus *lib. de nocum. removend. in regim. ſanit. tract. 2. cap. 10.* Hujuſmodi continuas malignas, ſed ſporadicas febres omni anno reperire licet, nullo cœli aeriſve vitio, ſola ſanguinei

 humo-

humoris prava corruptione ac putredine: quod, ut hic bonitate cæteris præſtat humoribus, ita corruptus à priſtina ſua bonitate longius abeat, cæteriſque humoribus fœdius corrumpatur: quemadmodum alia, quo ortu ſuo præſtantiora, deteriora evadunt, ſi corrumpantur, ut in ſemine, lacte coagulato ac ſanguine videre eſt, quorum corruptione conſimiles affectus, quales ex potis venenis naſcuntur, provenire memorat *Avicenna lib.3. fen.19. tr.1. cap.10. & lib.4. f.6. tract.3. cap.20. & 21.* Qua de re plerique medentium in curatione continuarum febrium optima cum ratione talia remedia proponunt, quæ, præterquam quod febrili calori ac conceptæ putredini proſint, malignitati ſimul reſiſtere valeant: quod putredo ſanguinis corruptione malignitatem aliquam facile acquirat. Ex horum medicamentorum ſylva cædua ſunt, C. C. quovis modo præparatum. Rad: ſcorzoneræ, pentaphylli, acetoſæ ipſaque acetoſa, acetoſella, card: benedictus, ſuccus citri, aliaq; de genere hoc.

Purpurata etiam febris non ſemper pro primario affectu agnoſcenda, ut primo & per ſe ſemper afficiat: namque & ſymptomatis rationem aliquando induit, aliarum partium malignæ inflammationis, pleuritidis ſcilicet, anginæ, peripneumoniæ, phreniti-dis conſectaria: quales perniciofas inflammationes, aliosque malignos abſceſſus tanquam primarios morbos, unde cæterorum ſymptomatum ſeries, ipſaque purpurata febris dependeret, populariter aliquando ſæviiſſe conſtat, & in hac noſtra epidemia purpuræ conſtitutione interdum, quanquam rarius, apparere memini: traducta enim ex parte affecta ad totum corpus maligna qualitate, ſanguinis maſsâ corruptâ, purpurari cutis his maculis ſolet.

Cauſſarum varietas ſubjunget & quartam purpuræ differentiam. Ita alia purpura malâ diætâ oboritur: quò etiam epota venena referuntur, quæ præter alia ſymptomata & purpuratam febrem excitare poſſunt: item medicamenta quædam, præcipue cathartica, dum nulla methodo exhibita conſuetos effectus non habent; aut dum illa exoleta, aut quæ jam aliquam ſenſere corruptionem, offeruntur: quæ cum à natura ſuperari non poſſint, novam ſubeunt ἀλλοίωσιν, totaque ſubſtantia nobis inimica fiunt, ut ex ea peſtilentes febres procreentur: quales *P. Salius Diverſus* non ſolum iſtius-

iſtiuſmodi pharmacis exhibitis, ſed & per clyſterem injectis obortas vidit, ut teſtatur *de febr peſtil. cap. 11.* Alia purpura ex aeris inquinamentis ſua principia ducit, dum aer ita alteratur, ut gravi exceſſu quatuor primarum qualitatum, aut tempeſtatum crebra mutatione tota ſubſtantia nobis infenſus fiat: Quam ſubſtantiæ corruptionem etiam aeri contingere dixi aſtrorum valida in ſubjectas res influxu, (dum tantas alterationes tempeſtatum cauſſantur:) aut aquarum ſtagnantium corruptarum noxiis exhalationibus, fluviorumq; κατακλυσμῷ, pravis vaporibus continuò in aerem ſublatis; aut reclutis ſpecubus funeſtam exhalantibus mephitim, aeremq; fœdis μιάσμασι inquinantibus. Alia purpura contagio traducitur, eaque triplici modo communicatur, per aerem ac κατὰ ἀποκρίσεις; quotiens vaporum ſpecie ad diſtans transfertur: in quib⁹ ſpiritalem ſubſtantiam, ſummamque pravitatem & corruptionem contineri arbitror, quod vis morbi in minimo corpuſculo per magna locorum ſpacia invictà hæreat, ſimilemque affectum invehat: quomodo Catoblepæ, aliarumque quarundam ſerpentum virus ad diſtantia loca diffunditur: per contactum ægroti, perq; rerum infectarum contrectationem, ſicut monente *Juvenale lib. 2. ſat. 2.*

grex totus in agris
Unius ſcabie cadit & porrigine porci.
Uvaq; conſpecta livorem ducit ab uvâ.

Quinta purpuræ differentia ab ejus magnitudine & pravitate petenda, ut ſcilicet illa gradu intenſionis & remiſſionis, non ſpecie veneni à ſe invicem diverſa eſt. Neque enim corruptio humorum eundem gradum ſemper obtinet, ſed aliquando major eſt, aliquando minor, & pro corruptionis gravitate ac levitate, magis minusve pernicioſam purpuram (quæ tamen ſub eodem genere contineatur) producit. Sic conjunctus calor purpuræ modo luculentior, modo remiſſior eſt, veneni purpurati ingenita proprietate, corporisque ad ſuſcipiendum calorem diſpoſitione; & ut illic ſymptomata febrilia ægrum maximè fatigant; eundemque ut & adſtantes ſæpe majori metu percellere ſolent; ita heic minus ægri æſtuant, ſymptomataque febrilia mitius afficiunt, vulgò ob lenitatem plerumque contempta. Præter quæ ex malignæ qualitatis ac caloris

varia conjunctione peculiares naſcentur hujus morbi differentiæ, ut hic aut illa, aut utraque ſimul modum exceſſerint, minore vel noxa fuerint moleſta.

Quantitatis vero nomen magnum & parvum heic qualitati, febri ſcilicet purpuratæ, quæ eſſentiam ſuam in qualitate poſitam habet, tribuo; verbô minus propriô, (cum re vera magnum & parvum de quantitate continuâ, multum & paucum de quantitate diſcreta dicatur;) ſecutus eâ in re *Galeni* noſtri loquendi morem modumque *1. d. diff. febr. cap* 1. ubi febrem aliam magnam, aliam parvam vocat, *& 3. comp. med. ſec. gen. cap. 2.* ubi ſcribit: noſcendam medico affectuum non ſolùm qualitatem, ſed etiam, ut ſic dicam, quantitatem. Nam haud ita proprie quantitas de qualitate dicitur quamquam dicatur tamen, ut febris magna & parva. Ac tantus uſus eſt eorũ quæ ſic dicuntur, ut jam proprii vim obtineant ipſa &c. Ita & nos recepto loquendi uſu, plurimas res, quarum eſſentiâ qualitatis prædicamento continetur, magnas aut parvas vocamus, e. g. albedinem & nigredinem, ſcientiam & ignorantiam, virtutem & vitia, ſanitatem & morbum, & id genus ſexcenta alia.

Ultima purpuræ differentia (nam reliquas anquirere operæ pretium non æſtimo) à conjunctis morbo affectibus nomen accipit. Ubi probè notandum, quod & in peſte contingere plerique obſervarunt authores, nullum fere morborum ac ſymptomatum genus eſſe, quod non cum purpuratis ac malignis febribus interdum conjungatur, ut propterea plures purpuratarum febrium ſpecies eſſe quidam arbitrentur: namque maligna purpuræ qualitas quocunque repit, ibi virulentiæ ſuæ characterem imprimit, morbique illinc prodeuntes non conſuetam ſibi; ſed principis cauſſæ, venenatæ ſcilicet qualitatis, indolem referre ſolent: qui etiam principales affectus tum non ſunt, aut dici merentur, ſed alii quaſi à ſe ipſis fiunt, & cum malignæ qualitatis ſoboles ſint, ſymptomatumq; rationem ſubeant, horum modò, ſublatô prius morbô, curari poſtulant; niſi gravitate ſua, quod in cæteris ſymptomatis aliquando facere neceſſitas cogit, ordinem curarationis invertant.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XI.

Purpuræ inſtantis ſigna recenſet.

QUæ imminentem purpuram nunciare ſigna ſolent, eadem fere ſunt, quæ ipſius peſtis, paſſim memorata ab authoribus, ut heic potiora ſaltem proponere conſilium ſit, quæ præſervationi inſtituendæ ſcitu maximè neceſſaria, quo venienti morbo remedia parentur. Sic *Hippocr.* venientem ab *Illyriis* peſtem prædixit, & diſcipulos ad auxiliandũ circa urbes dimiſit, ut patet ex *ſenatusconſulto Athenienſiũ, Sorano in vita Hippocratis, Plinio l.7. nat. hiſt. c.37.* Ea v. heic repetere moneo, quæ, dum cauſſas purpuræ ſcrutarer, notavi. Quare ſi inſignior noxa aeri fuit communicata, hujus clariſſima indicia ſe proferent: ut ſi ab aſtrorum influxu lues principia duxerit, obſervare tum licuit, quod *Fracaſtorius de ſyphil. pag. m. 172. & Guido Cauliacus tract. 2. cap. 5. doct. 2.* referunt,

> *Magna coiſſe ſimul radiis ardentibus aſtra,*
> *Et conjuratas ſparſiſſe per æthera faces.*

Apparebunt præterea varia ἀποχαύματα in ſuperiori aeris regione, quæ ſuccenſa aerem inficere, luemque hanc excitare poſſunt. *VVierus lib. d. morb. incogn. cap. de pleuritide maligna* teſtatur, quo tempore dicta lues graviter ſæviit, noctu in aere varia apparuiſſe phaſmata. *Céos* ortum caniculæ diligenter quotannis ſolere obſervare, conjecturamq; capere ſalubriſne an peſtilens annus futurus ſit: ex *Pontico Heraclide Cicero lib. 1. de divinatione in fine* ſcribit, nam ſi obſcurior quaſi caliginoſa ſtella extiterit, pingue & concretum eſſe cœlum; ut ejus adſpiratio gravis ac peſtilens futura ſit: ſin illuſtris & pellucida ſtella apparuit, ſignificari cœlum eſſe tenue, purumque, & propterea ſalubre. Aeris etiam inſignes mutationes tanquam cauſſa & ſignum imminentium morborum popularium ab *Hippocrate in libris epidemiorum* referuntur. Qui decem talentis *Abderam* evocatus, ut *Democritum* (quem ſapientiſſimum illorum temporum Philoſophum mente captum falsò arbitrati fuerant ſtultiſſimi *Abderitæ*,) curaret, facilem ſibi promittebat curationem, quod annus ſalutaris eſſet,

ſet,

Digitized by Google

ſet, nec multi morbi in eo graſſarentur, quod priſtinam naturam retineret. Si enim in temporum conſtitutionibus ὡραίως τὰ ὡραῖα fiant, morbi conſtantes ac judicatu faciles generantur, authore eodem *3. aph. 8.* Aer itaq; ſi continuo madore pluvius ſit, ventis ſilens, atque Africus longâ die flaverit, auguria dabit inſtantis mali, ut conſtat ex *Hippocr. ſ 3. epid. lib. 3.* Hinc *Rhaſes lib. 1 aph. d. progn. rer. fut. c. d. nebulis. In civitate ſi fuerit multitudo nebulæ, cum pluvia permanente, prognoſticat algidri, puncturas rubeas.* Et eodem capite *Quando in hyeme fuerint pluviæ multæ, & in vere duraverint hæc, præparantur gentes morti.* In illa aeris corruptione carnes, vina, aliaq; aeri expoſita facile ſitum contrahunt & corrumpuntur, fructusque, qui nondum adolevere corrupti decidunt, arborum germina inareſcunt ob caligines: quod ſuo tempore accidiſſe obſervavit *Fracaſtorius*, quum purpura hæc epidemia Anno cIↃ IↃ XXVIII. per Italiam graſſaretur. Idem hic in ſubſtantia corruptus aer aliorum φθορείων medicamentorum inſtar ἐκβόλιμος penitus eſt, & ut alia terrâ nata nondum adulta plerumque corrumpit: ita tenellos fœtus in ipſa matris alvo interficit: unde purpuram ipſamque peſtem prope affuturam præſagiebant crebriores abortus, fatuique conceptus, qui præter ſolitum frequentes tum obtingebant: quod fœminis vis πλαστικὴ deleteriâ aeris pravitate corrumperetur. Ut heic verè cum *Plinio lib. 7. hiſt. nat. cap. 7.* queri mihi liceat. *Miſeret profectò atq; pudet æſtimantem, quam frivola ſit animalium ſuperbiſſimi origo, quàm plerumq; abortus cauſſa fiat odor è lucernarum extinctu:* (addo ego de re præſenti, ex levi corrupti aeris afflatu,) *& qui viribus fidit ſuis, qui fortunæ munera amplexatur, & ſe quidem non alumnum tantùm ejus, ſed partum exiſtimat, tanti tamen perire poteſt. Is demum profectò vitam æquâ lance penſitabit, qui ſemper fragilitatis humanæ memor fuerit.* Excludo autem ab hoc ſtatu aeris conſtitutionem illam, quæ crebriores abortus cauſatur, fœtusque recens editos debilitat, aut interficit, qualis apud *Hippocratem lib. 1. epid. ſect. 2. ſtatu tertio* deſcripta, frigida & ſicca: Et apud eundem *lib. 3. aph. 12.* Si hyems auſtralis, pluvioſa & tepens fuerit, ver ſiccum & aquiloniam, mulieres, quibus partus in ver incidit, quavis ex occaſione abortiunt: aut ſi pariunt, tam infirmos & morboſos partus edunt, ut [illegible] ſtatim ipſi intereant, vel tenues & valetudinarii vivant.

vivant. Quod confirmat *lib. d. aere aq. & locis.* Corpora ſiquidem ut notat *Galenus* per χειμῶνα εὔδιον hyemem tepidam & clementem humida & mollia & rara facta, intro facile ad intimas usq; partes ambientis aeris verni frigiditatem admittunt. Quo fit, ut partus, qui longô jam tempore aeris tepori & clementiæ adſueverant, vehementius frigore perculſi, alii in ipſo utero jam mortui deprehendantur, alii in ipſo partu moriantur: qui vero vivi in lucem editi fuerint, non ferentes ſubitariam in contrarium mutationem, vel brevi poſtea tempore è vita decedant, vel tenues & m[illegible]oſi ægrè vitam trahant.

Aqua etiam purpuratarum febrium peſtisque imminentis aliquando ſigna dabit, ſi inundatione vicinas terras latè occupet: quemadmodum cataclyſmo fluviorum *Atheſis* ac *Padi* ex *Fracaſtorio*, *Savi* & *Dravi* ex *Thoma Jordano d. peſt. phænom. tract. 2. cap. 19* febres malignas increbruiſſe conſtat. Tum enim quæ in fundo latent, foras ejiciuntur, quæ cœno ac uliginoſo madore perfuſa, calore ſolis putreſcunt & exhalant noxium virus: unde & ranarum, lacertorum, ſerpentum, natricum, aliorumque conſimilium ex putredine genitorum animalium magnus in illis locis fit proventus. Interdum aqua proprio vitio putreſcit & corrumpitur, fœdoq; odore & abominabili ſapore adverſa eſt, & tum nô ſolùm cauſſam, ſed & ſignum inſtantis mali præbet: quamvis & nullis manifeſtis ejuſmodi notis aqua interdum adeo corrumpatur, ut piſcibus ipſis internecionem afferat, ut, juxta *Poetam 3. Georg.*

maris immenſi prolem, & genus omne natantum
Littore in extremo, ceu naufraga corpora, fluctus
Proluat.

Et memoriæ proditum projectitiis piſcibus extremâ putredine diſſolutis ac corruptis, horumque intolerabile fœtore per vicina diffuſo, peſtem alioſque morbos malignos aliquando obortos fuiſſe. Sic ceto in littus ejecto putreſcente corruptum aerem peſtemque ſubſecutam narrant *Plutarchus de ſolertia animal. Paulus Jovius de piſc. Rom. cap. 2. Foreſtus lib. 9. obſerv. 9 in ſcholiis.*

Quod ſi terra primam huic morbo originem dederit, ejus quoque rei indicia ex certis notis petere licebit. Ut ſi almæ matris viſcera eructent venenatos halitus, qui conſertim, quaſi quadã luctatione

tione exire nituntur, terræ motus id indicare ſolet: at ſi is conatus erumpendi non adſit, expirantes vero terræ halitus putredine ac corruptione quadam inquinati ſint, terra tum fœta eſſe conſuevit in murium, rubetarum, ſerpentum, inſectorum, aliorumq; id genus animalium generationem. Et *Strabo lib.3. Geogr.* teſtatur, murium multitudinem ſæpe peſtiferam luem ſubſecutam: quod & in *Cantabria Romanis* obtigiſſe, ut mercede conduxerint, qui mures certo numero venarentur, ægreque ſic malo liberatos fuiſſe ſcribit. Accidit etiam, ut, dum terra noxiam effundit λοιμικὸν, mures, aliaque animalia, quæ in terræ degunt cavernis, eam ut maximè nocituram ac peſtilentem perferre nequeant, ac propria cunabula, fœtusq; nondum adultos relinquant, alioq; quaſi agmine facto, turmatim ſe conferant: quod mox affuturæ peſtilentiæ ſignum Poeta agnovit, dum ſcribit

——— Sæpe exiguus mus
Augurium tibi triſte dabit, tellure ſub imâ
Quem non ullus amor tenuit; ſed in aera apertum
Erupit ſcrobibus, vitæq; atq; immemor uſus
Et parvos natos, & dulcia tecta relinquit.

Idem *Avicenna* confirmat *lib.4. fen.1. tract.4. cap.3.* additque, animalia quæ ſub terra ætatem ſuam tranſigunt, dum ad ejus ſuperficiem propriis relictis incunabulis ſe recipiunt, hinc inde commoveri ſicut animalia ebria. Iſta quoque corrupta terræ μιάσματα, dum aerem, lacus ac pabula inficiunt, pecudum varias peſtes generant, quæ interdum purpuram conſimilesq; morbos in nobis non modo cauſantur; verum etiam eoſdem morbos in vicino ac jam præ foribus eſſe prænunciant; quemadmodum in noſtra hac peſtilenti conſtitutione obſervatum, plurima millia boum lue quadam prius interempta, quàm purpura peſtisve apud nos increbreſcerent. Idem confirmat *Claudianus lib.2. in Rufin.*

——— infecto morbus crudeſcere cælo
Incipiens primo pecudum depaſcitur artus,
Mox populos urbesq; rapit, ventisq; peruſtis
Corruptos Stygiam peſtem deſudat in amnes.

Sic mulos & canes primum peſte infectos *Homerus Iliad.1.* narrat. Et *Silius Ital. lib.14.*

Vim

Vim primi ſenſere canes, mox nubibus atris
Fluxit deficiens pennâ labente volucris,
Inde feræ ſylvis ſterni, tum ſerpere labes
Tartarea, atq; hauſtis populari caſtra maniplis.

Armenta enim dum prona terram ſpectant, exhalantes noxios vapores facile recipiunt, illisque infectis alimentis veſcuntur: inprimis vero canes, dum odoratu quæq; veſtigant, attractis cum aere corruptis *μιάσμασι* inficiuntur. Homines vero, quibus à Deo conceſſum

——— *erectos ad ſidera tollere vultus,*

quia puriori aere ac ventis jam alterato, alimentis item melioribus nec ita inquinatis utuntur, tardius labem tum ſentiunt.

Præter hæc omnia purpuram aliosque malignos morbos imminere cuivis certo prædicere licebit, ſi pravâ victus ratione homines utantur: dum corrupta legumina, carnes ſemiputridæ ac rancescentes, aliaque, quorum eſu natura abhorret in cibum veniunt: materiâ corruptâ ex pravis vitiatis alimentis intus genitâ, quæ perniciosâ ſua qualitate laudabiles corporũ humores poſtea cõſpurcat, unde & labefactatur naturalis œconomia atque conſtitutio partium gignentium, mittentium, trahentium, aut ſuſcipientium excrementa. Hæc cauſſa etiam purpuræ noſtrati non levo principium dare viſa fuit: quod vicinarum regionum incolæ ob ſævitiam militum in ſylvas fugientes, rerum omnium egeni, quidvis pene obvium, herbas, radices, glandes, carnes corruptas vacuis lactibus ingererent, & aquam cœli vitio, his regionibus familiari, crudam præter cõnſuetudinem biberent, frigore in ſylvis, quo ſe miſerrimi receperant, prope enecti: quorum plerique illic miſerrimam vitam dulciſſimâ cum morte commutarunt: alii horum conſortes, huc delati paulo poſt expirarunt, cum meliorum alimentorum eſu pantices nimium eſſent fuſſarti: alii, qui ſuperſtites tantis malis erant, quod certam perniciem fomitemque mali ex præcedenti prava diæta ſecum gererent, purpuratis febribus primi correpti fuere: quorum inevitabili commercio lues hæc ad noſtros cives traducta, eoſdem labe ſua pariter infecit.

Digitized by Google

CAPUT XII.

Signa purpuratæ febris præſentis exhibet.

QUæ ſigna purpuram ægros jam occupare teſtantur, traditurus, ingenuâ confeſſione lectori meo profiteri cogor, me fallaciſſimi hujus morbi characterem ſignaq; pathognomonica nunquam ſatis accuratè deſcribere poſſe: quod eadem non ſemper ubique appareant, & in pleriſque alio ſymptomatum ſchemate, novaque interdum facie atq; ignotis accidentibus morbus graſſetur, quovis vertumno mutabilior teſte *Hechſtettero Obſerv. med. decade 1. obſ. 6. in ſchol.* ut *Crato* ex triginta annorum obſervatione notarit, eundem morbum nullo anno iiſdem recurriſſe ſymptomatis. An quia hac ratione morbus noſter venenatam ſuam naturam ſimul prodit? Cum enim peſtilentis ut & purpurati veneni latiſſimus ſit ambitus, & modò vis morbi ad hujus, modo ad alterius veneni ſpeciem analogiam habere videatur; etiam ſymptomata iſtis venenis vernacula variaque apparebunt. Quin idem venenum, ut in varias partes fecerit impreſſionem, ſeu ſponte ſua innataq; [illegible], ſeu temere ad aliquam partem ruat, ſeu naturæ robore illò expellatur, ejus actiones manifeſto pervertet, aliaque atque alia propterea naſcentur ſymptomata. Ita in lue veneria & ſcorbuto, ſua cuique morbo propria ac peculiari corruptione, ab una eademque licet cauſſa, non tamen omnibus eadem producuntur ſymptomata, ſed pro varia corrupti humoris ad hanc aliamve partem inclinatione variant. Sic oſculo

columbatim labra conſerens labris

ut *Cn. Malius in mimiambis* apud *Gellium* loquitur, ore primùm inquinari ſe percipiet. Quod ſi cum infecta rem habere

ſinuq; recipere frigidam caldo,

contingat, ut idem *Cn. Marius, iiſdem mimiambis* ait, illis partibus obſcœnis primùm efflorеſcere aphrodiſiaci veneni veſtigia comperiet. Ipſa tandem corporum diſpoſitio mire variare ſymptomata ſolet: ut idem vinum pari menſura à diverſis ultra ſatietatem potum hominum

minum mores varie immutare dixi: dum alii effuſi in lætitiam, alii, dum bilis accenſa ſtomachatur, in rixas & verbera prompti ſunt, nullo in tanto morum diſcrimine vini vitio, ſed differente ſingulorum potorum complexione: pro cujus diverſitate humorumque vario apparatu variare ſymptomata, aliaque in bilioſis, alia in pituitoſis, melancholicis aut ſanguineis apparere arbitrandum. Hinc *Galenus de ſucc. bon. & vitio cap. 1.* de peſte ſui temporis dicebat: *nihil mirum videri debere, ſi homines contrariis inter ſe morbis tum ſymptomatis correpti fuere, qui tunc ægrotarunt, ut qui non ſolum natura invicem, aut ætate; ſed & anteacta victus ratione inter ſe differrent, alimentisq; uſi eſſent in fame, pugnantibus inter ſe facultatibus præditis.*

Quare omnia ſigna diligenter conferenda, quorum accurata collatione morbus tandem ſe pandet, cum alias incerta ſint & dubia, ut monet *Herc. Saxon. lib. 8. d. febr. cap. 36.* nullumque ſit hujus febris pathognomonicum ſignum ſive proprium, per ſe ſolum conſideratum, quod non alteri cuidam morbo familiare ſit, ut fatentur *Ludov. Mercatus d. febr. peſtil. & malig. lib. 7. cap. 2. Nicol. Boccangel. d. morb. mal. & peſtil. cap. 11. Daniel Sennertus lib. 4. d. febr. cap. 10.* Et *Galenus* venenatorum morborum ſigna doctis ſolum cognita eſſe aſſerebat *2. in 1. prorrhet. com. 17.* In ſingulis tamen ſymptomatum peculiarem characterem, ideam, & conditionem obſervare licebit, qua à ſeipſis in aliis morbis apparentibus differre prudenti medico videntur, ut quaſi quodam indice morbi malitiam demonſtrent. Qua de re in hoc morbo ſymptomata etiam ſpecie minima, vulgo temere neglecta, cauto ac circumſpecto medico ſuſpecta eſſe debent, eorumque indoles, qualem in hoc morbo exprimant, diligentiſſima inquiſitione indaganda: ita ex minimis in ſpeciem ſymptomatis maximi mali indicia aliquando petere valebit, juxta *Galenum 2. in 6. epidem. comm. 25.* Namque latet plerumque in inſidiis hoſtis infenſiſſimus; & contemnendis affectibus hominem invadit, ut ægrotum, & ipſos aliquando medicos, teſte *Fracaſt. lib. 2. d. morb. contag. cap. 6.* fallat: qui necquicquam gravioris mali ſolliciti *temporis opportunitatem*, quam *animum curationis Hippocrates* noſter *Epiſtolâ* ad *Cratevam* dixerat, temere negligunt, & fatali quâdam imprudentiâ variis potius manifeſtis cauſſis incipientem infirmi-

Digitized by Google

firmitatem deferunt, quàm quod tam gravi morbo ſe occupari credant. Profectò heic, ut aliorum incipientium morborum ſigna principio ſæpe obſcuriora ſunt, ut herbarum, quæ germina ſua primum terra emittunt, ſpecies non niſi ab exercitato diſcerni poſſunt, quod de incipientium morborum dignotione fatetur *Galenus 1. in 1. prorrhet; t. 1.* Et ut lactucam noviter natam à beta primùm emergente vix diſcernere licet: pariter & ſimilitudine ſymptomatum alterius morbi, cujus characterem purpura præ ſe fert, inter initia non rarò medicus fallitur: namque & optimis medicis ſimilitudines imponunt, & difficultates pariunt, ut monet *Hippocr. 6. epid. ſect. 8. text. 49.* confirmat *Galenus 4. aph. comm. 2.* Eleganter C. *Celſus lib. 8. cap. 4. Levia ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt. Magno ingenio, multaq; nihilominus habituro convenit ſimplex veri erroris confeſſio, præcipueq; in eo miniſterio, quod utilitatis cauſſa poſteris traditur, ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis ante deceptus eſt.*

Præcipuum vero ac primum morbi ſignum calor dabit, qui, prævio horrore quodam, ægros ut plurimum moleſtat. Horror iſte vix toto morbi tempore, niſi fortè inter initia, recurrit: commoto tamen leviter corpore revertiſſe aliquando viſus, productus maligni caloris vaporibus acrimonia ſua partes externas ſtimulantibus. Si enim, ut docet *Galenus 2. d. ſympt. cauſ. c. 6. & 10. m. m. cap. 4.* contingat materiam noxiam eſſe plurimam, acerrimam, & quæ ociſſime moveatur, viresque laborantis infirmæ ſint, rigor inde oboritur, validè corpore concuſſo: at ſi qualitas materiæ minus acris ſit, impetus velocitas remiſſa, copia minor, viresque reſiſtant, intremit corpus, ut loquitur C. *Celſus*, horrorque ſuccedit; ut ſi jam dicta magis adhuc remittant, ne horror quidem fiat; ſed ulceroſus quidam ſenſus, vel tantùm inæqualitas. Eam ob rem malignis febribus rigor principio rariſſimè adeſt: quod materia venenata morbi non tam calore atque acrimonia, quàm occultâ & venenatâ ſuâ qualitate moleſta ſit; ſed horror plerumque primo morbi inſultu ægros afficit: imo horror leviſſimus aut nullus aliquando in acceſſu morbi; ſed ſaltem inæqualitas quædam in ſummo corporis percipietur, ubi materia venenata minimum acrimoniæ habuerit. Ut propterea illis annis, quibus hæc lues ſæviret, in purpura affectis levio-

Digitized by Google

levioris & per ſumma corporis diffuſi frigoris ſenſum ſuboriri ſæpius obſervarim. Et quod magis quis miretur, certâ eorum temporum obſervatione mihi conſtat, purpuratas has febres, nullo rigoris, horroris frigorisve ſenſu ægrotos aliquando invaſiſſe, (etſi rariſſimè, ac in paucis, id accidiſſe adverterim,) in quibus tandem calor vix circa ſeptimum diem, attento in eam rem medico, parum ſe proferret, ſymptomatis cæteris morbi malignitatem oppidò teſtantibus.

Horroris conſectarius calor primis diebus admodum lenis apparet, ut æger ſua conſueta munia adhuc obire plerumque poſſit: quare idem (quod vulgo in more poſitum eſt facere teſte *Galeno lib. 1. therapeut. c. 8.*) alias ratus inſolitæ hujus perturbationis cauſſas, *προφάσεις* i. e. occaſiones, ut explicat *Gal. in 3. Epid. comm. 1. t. 15.* accuſat, quæ leviori in ſpeciem malo principium dare poterant: & vel in animi commotionem graviorem ob iram aut metum inopinatum, mœrores continuos, noctemve interruptâ quiete nec ex voto tranſactam refert: alius in diætâ errores commiſſos queritur, crapulam & heluationes noctesque diesque continuatas, aut, quod ſtomachus imbellis *δυσπέπτων* ciborum coctionem maturare nequiverit, cruditates ventriculi notat; aut, quod alvus cibis analoga non fluat, excrementa reſtagnantia calori iſti fomitem dediſſe, arbitratur: alius labores, itinera, ſubſolationes, balnea calorem iſtum cauſari, aliove morbo minus metuendo ſe corripi exiſtimat: fœminæ præter pleraq; talia, menſium fluxum impeditum, aut imprægnationis ſolita accidentia, aliave, quæ uteri vitio ſubnaſci ſolent, morbo originem dare ſibi perſuadent. Ita ſtudio quodam à ſe quivis declinat ſuſpicionem pernicioſi inſtantis, imo præſentis jam mali, cui nullum parat remedium, quod olim conſimili affectu implicitus, citra opem medici, iſta ſponte evanuiſſe viderit: ſæpe alia adhibet remedia, quæ in pari, ut putat, caſu, olim profuiſſe viſa ſunt: nec ulla *Suada*, quamvis *maxima* olim *Athenienſium Dea* arbitratu *Themiſtoclis* apud *Herodotum lib. 8.* ei conſuadere poteſt, ut medicum tempori accerſat, (quod & in his morbis obſervavit *Fracaſtorius loco allegato,*) vel eò vocato commodare ſuam fidem velit, hunc calorem graviorum imminentium ſymptomatum prodromum eſſe. Namq; & alias

Digitized by Google

& alias prope gentico horum ſeptentrionalium locorum vitio medicum primo morbi acceſſu rariſſimè, pleruṁque alibi numeroſis prius conquiſitis remediis ex clinicis, vetulis, agyrtis, ſero & jam provecto morbo, accerſunt, quaſi vitæ mortiſque arbitrum, qui fata jam morituri pro arbitrio diſpenſare valeat. Hic vero mitis calor medico ſtatim ſuſpectus eſſe debet, quod ultra naturæ ſuæ conditionem graviſſimis comitetur ſymptomatis, capitis dolore ac gravitate, membrorum laſſitudine, appetitu proſtrato, nauſeâ, vomitu, cardialgiâ, corporis jactatione, viribus (nullis aliis tantæ imbecillitatis cauſſis) inter initia morbi admodum languentibus: quæ, ut & alia ſymptomata purpuræ frequentia, non ab exiguo ſimplici calore prodire, ſed ab altiori cauſſa dependere veriſimilimum eſt: quod purpuræ maligna vis, non tam calore manifeſto, (quo ſaltem ſecundariò, ſepticorum venenorum more agit,) quàm deleteria qualitate lædat, unde & illa graviſſima naſcuntur ſymptomata, ipſeque febrilis calor tanquam effectus ſublimioris alicujus cauſſæ producitur: qui eam ob cauſſam nec ſolitis remediis facile exſtinguitur, ſed diutius perdurat, ſecus quàm aliæ faciunt mitiſſimæ febres, quæ cum ſignis ſecuriſſimis quarto die aut etiam citius in ἀπυρεξίαν deſinunt, docente *Hippocrate 1. progn. & lib. de judic.* Hic vero calor meo judicio principio mitior apparet, quod, ut dixi, purpuræ venenum deleteria potius quàm manifeſtâ qualitate; calore ſcilicet afficiat, & quod circa cor, atque interiora corporis materia purpuræ deliteſcat, cui tollendæ ſpiritus & humores dum ad interiora ſe recipiunt, partes externæ deſtitutæ minus calent, præcipuè in illis, quibus vires languidæ ſunt. Ita *Rhaſes lib. 10. ad Almanſ. cap. 16.* malignarum febrium levem in principio eſſe calorem obſervavit. *Febribus* inquit, *quæ ex aeris corruptione generantur, non videtur in principio multa ineſſe acuitas, neq; caliditas, cum tangitur æger: ſunt tamen in occultis corporis partibus, & in ipſius profundo magni momenti; & ſunt deceptoriæ, & vehementis operationis, & ſunt febres lentæ, & tepidæ, ſed concluſæ.*

Purpuræ autem vulgo contemptus calor inter principia emergens, cum horum aliorumq; accidentium συνδρομῇ, ut argumēto eſt, ſcintillas jam adeſſe imminentis vaſti incendii; ita ſenſim cottidie augetur, quod ſeminaria morbi indefeſſæ ſint activitatis, quæ con-

tinuo

tinuò furtimq; agunt, ut æger progreſſum morbi vix advertat, dum tandem per totum corpus latè ſe fundant: quorum contagione ſpiritus inquinantur, humores ac ſolidæ partes eorum pernicioſa qualitate afficiuntur, ac ſic aucto calore valentiora magisque tremenda ſymptomata ſuccedunt. Siquidem veneni præſentis actio ſegnior eſt, quàm ipſius peſtilentiæ, propria ejuſdem, ut ſua cuique veneno eſt, natura, qua abſconſa latet, dum tandem vis morbi ſubitò erumpat. Calor vero toto morbi decurſu in exterioribus partibus non admodum gravis eſt, ſed eæ aut frigidæ, ſubfrigidæ, aut modice calidæ apparent, etſi interiora membra uri videantur: quod, ut jam retuli, venenatæ qualitati conjunctus calor cordi præcipue inſenſus ſit, & circa cor vicinasq; partes plerumq; hęreat, ac inſtar cucubitulæ ad ſe ſpiritus humoresque trahat, unde externæ partes modicè calidæ, ſæpe frigidiuſculæ deprehenduntur, quod de cauſo maligno dicebat *Galenus com. 4. in de vict. acut. t. 16.* Quin & hæc retroceſſus caloris ad interiora ratio eſt: quod venenata vis purpuræ ſpiritus exolvat, calidumque innatum depopuletur, ut fovendo corpori ſpiritus non amplius ſufficiant. Sic *Avicenna l. 4. fen. 7. tr. 4. cap. 21.* poſt receptum, ex morſu viperarum ac quarundam ſerpentum, venenum, corpus refrigerari author eſt, propter mortificationem caloris innati, quem reſolvit & mortificat deleteria qualitas. Illo igitur ſublato, aut non ſatis copioſè ad exteriora diffuſo, habitus corporis refrigeratur: ut etiamſi cor maligno calore afficiatur, non tamen extremitates corporis ſimul æſtuare neceſſum ſit. *Thucydides lib. 2. belli Pelopon.* malignum hunc calorem notavit, dum ſcribit: corpus exterius non admodum fervens tactu erat; interius autem ita ardebat, ut neque perquam tenuia veſtimenta aut ſindones injici, neque aliud quippiam, niſi nuditatem, ſuſtineret. Quo ſpectant *Lucretii lib. 6. de rer. nat.* ſequentes verſus.

Nec nimia cuiquam poſſes ardore tueri
Corporis in ſummo ſummam ferveſcere partem;
Sed potius tepidum manibus proponere tactum.

Et paulo poſt, *Intima pars homini vero flagrabat adeſa:*
Flagrabat ſtomacho flamma, ut fornacibus intus.
Nil adeo poſſet cuiquam leve tenueq; membris

Vertere

Vertere in utilitatem, ad ventum & frigora ſemper:
Influvios partim gelidos ardentia morbo
Membra dabant, nudum jacientes corpus in undas.

Et *Galenus* 1. *in 6. epidem. comm. 29.* teſtatur, in ſui temporis longiſſima peſte ęgros neq; calidos neq; perurentes tangentibus viſos, quamvis interiora magno flagrarent incendio: Idem *9. ſimpl. cap. de terra Samia* in fine, febres peſtilentes non admodum calore vehementes eſſe aſſerit: quod & facit *Aetius lib. 2. cap. 12.* ac confirmat *Galenus 3. d. criſ. c. 4. & 4. aph. com 48. malignis febribus* hoc ineſſe, *ut interiora urantur & ſitiant, exteriora frigeant.* Quos ſequitur *Avenzoar in ſuo theiſir. lib 3. tract. 3. cap. 1.* *Ex his*, inquit, *quæ pluries vidi accidere in epidemiis, ſunt febres putridæ, quæ lentæ in tantum eſſe videntur, quod vix percipiuntur, niſi à medico, & ſubito moriuntur cum eis.* Qui paulo ante ex *Hippocratis libro tertio Epidemiorum* retulerat: quod febres, quæ tunc temporis veniebant, non erant fortes neque violentæ, ſed erant lentæ & quietæ in tantum, quod quaſi occultæ videbantur. *Avicenna lib. 4. fen. 1. tract. 4 cap. 2.* ait. *Hæc febris eſt quieta exterius, conturbans interius.* Et in fine ejuſdem capitis. *Et quandoq; eſt de his febribus peſtilentibus, in qua non percipit æger, nec tangens multitudinem caloris.* Quibus recentiores conſentiunt *Fracaſtorius lib. 2. d morb. contag. cap. 7. Nicol. Maſſa d febr. peſt. tr. 1. c. 6. P. Salius Diverſus d. feb. peſt. cap. 15. Mercurialis lib. 7. d. febr. c. 17. Amatus Luſit. centur. 3 obſ med. 74. in ſchol. Minadous*, qui etſi omnia ad putredinem in hoc morbo referat, *lib. tamen 1. d. febr. malign cap. 20.* ſcribit, *calorem hujus febris mitiorem apparere ad tactum, reſpectu aliarum putridarum benignarum. Zacutus lib. 4. prax. hiſt. Jordanus d. peſtis phænom. tr. 1. cap. 17. Dan. Sennertus lib. 4. d. febr. cap. 10.*

Calor hic morbo provecto in interioribus hærens & ad exteriores partes minimè diffuſus malignitatis purpuræ clariſſima documenta dare poteſt, quod ſimplicis moderati caloris, qualis tactu obſervatur, tanti non ſint effectus, ut inde linguæ extrema ſiccitas ac ſcabrities, eo pluries provecta, ut lingua fauceſque ambuſtæ ac diffiſſæ appareant, oboriantur, tantaq; adſit refrigerii lubentia, ut quodvis æſtus lenimentum miſeri efflagitent, & nec levioris lintei tegumentum, morbo jam adulto, perferre queant, & calor ſimplex quo-

quo-

quoverſum per omnes partes corporis æqualiter ſe diffundat, nõ vero in ſolis viſceribus abſconſus hæreat; ne dicam de graviſſimis ſymptomatis, quæ procedente morbo vehementer affligunt, & quæ à ſimplici & in ſpeciem miti calore nequaquam provenire poſſunt. Sed & in levi exterius calore inluſtre pravitatis morbi indicium obſervare tangenti licebit, acredinem ſcilicet caloris, quæ nec manus appoſitione remittat, ut, ſi quis diu inſiſtat tangendo, tanto ille cumulatior fiat, ac quaſi in cuneum redactus vires acquirat majores: cum cæterarum febriũ calor etiamſi appoſitã manum medici mox feriat, & effluvii ratione per cutem ex putreſcente in febribus materia, qualitate & vapore acri pungat & moleſtet, admota tamen paulo diutius pectori manu, ejuſdem acrimonia remittere ſoleat, duplicato inde calore noſtro nativo, febrilemque, ut minus validum, ad ſe trahente, aut à benigno appoſitæ manus calore, cute rareſacta, febrili calore iſtâ parte exhalante. Sic *Galenus noſter lib. 3. d. præſag. cap. 3.* primis ſtatim diebus peſte laborare deprehendit ex acredine caloris, caloris ſpecie, pulſuq; talium naturali ſimilimo. Qui *libro eodem cap. ſeq.* ſi medicus thoraci manum apponat, peſtilentem calorem facile cognoſci, aſſerit. Thoracem vero in dignoſcenda qualitate caloris præ cæteris dilegit partibus, quod proximus ſit cordi, caloris fonti, & quod brachia exerta aeris externi contactu ſint frigidiora; atque explorando calori manum thoraci priſcitus medici appoſuerint, inde varias differentias caloris præternaturalis aucupaturi, quod tempore *Hippocratis* doctrina pulſuum nondum exculta eſſet, ut notat *Stephanus Athenienſis comm. in therapeut. Galeni text. 15.* Quamvis pulſuum notitiam Hippocratem habuiſſe probari poſſit ex *Coac.* ejusdem *t. 137.* ubi lethargicos ex *σφυγμοῖσι νωθροῖσι pulſibus ſepultis* deſcribit, tardis ſcilicet ac lentis, ut vertit *Foeſius*. Sic *lib. 1. περὶ γυναικείων* puerperarum, quibus lochia non bene purgantur, *σφυγμοὺς βληχροὺς pulſus molles* notavit. Confer *4. epidem. de puero ad extremam cauponam & Zoilo fabro.* item *4. diæt. acut. t. 26.*

Accidit tamen, ut calor purpuræ non in ipſo ſolum principio, verum etiam in augmento ad habitum corporis interdum ſe diffundat, aliaque ſymptomata caloris cum ocius increbreſcant: quotiens vis venenata hujus morbi fomitem caloris in corpore, in venis

X 2 cum-

cumprimis majoribus, cordique vicinis adepta, humores billioſos atque acres ſuccendit: aut dum, ſingulari proprietate veneni, ejuſdemve ex profundâ ac ſordidâ putredine generatione calor vehementior fuerit; vireſq; firmæ perſtiterint, ut fovendis externis partibus ſpiritus ſufficiant. Quo in caſu etſi calor in ambitu corporis ſatis effervescat, extremitates tamen externarum partium, pinnæ ſcilicet narium, aurium, ac ſumma pedum manuumque aut ſubfrigida erunt, aut tantum calorem, quantum cæteræ externæ partes, non habebunt.

CAPUT XIII.

Signa vitalis facultatis affectæ exponit.

IN explicandis ſignis, quæ ab actionibus læſis deducuntur, à vitalibus ordiar, quod iſtæ à purpuræ perniciosâ qualitate maxime fatigentur. Ex his prima ſe offert virium debilitas, tanta inter initia morbi, quanta vix alia in cæterorum morborum initiis deprehenditur, nullis cauſſis præſentibus quibus imputari defectæ vires debeant: major enim heic eſt virium diſſolutio, quàm febris febriliſq; caloris & inde naſcentium ſymptomatum natura cauſari queat. In aliis namq; febribus accidere tum primùm conſpicuus languor ſolet, quotiens rerum jam potito morbo, calore, ſiti, vigiliis, vomitu, dejectionibus aliiſq; ſymptomatis vires fractæ languent. quod non primis diebus morbi; ſed circa ejuſdem incrementa, ſtatumque evenire ſolet: at heic, vel nullis vel certe levioribus ſymptomatis, incomprehenſa, quam ægri verbis exprimere nequeunt, virium adeſt debilitas, ut æger ipſe in admirationem ſui aliquando rapiatur; vulgus adſtantium obſtupeſcat, ægrotum in lecto mediocriter valentem, ſternendo lecto aut exonerando alvo aliave de cauſſa in ſellam molliter delatum ſeipſum ſuſtinere non poſſe, imo aliquando viribus labentibus animo deficere. Hæc virium imbecillitas ut vere doloſa, & ægro moleſta; ita circumſpecto medico merito metuenda: cui præſentis morbi, ac fatiſcentis naturæ ob

ob intro admiſſum venenum ſignum præbet, cujus pernicioſa vis perenni, ſed tacitâ actione aucta, cordique ſpecificè adverſa vires penitus proſternit, ſpirituum, humorum & partium ſolidarum contemperationem in quantitate & qualitate diſſolvit, & κατάπτωσιν virium facit. Hunc virium languorem ἄφεσιν ſummus medicinæ Dictator appellat, quam notavit in graviſſima illa peſtilenti conſtitutione *lib. 3. epid. ſect. 3.* eamque *Galenus* explicat *libri dicti comm. 37.* aſſerens: hanc ἄφεσιν eſſe ἔκλυσιν καὶ πάρεσιν ἁπάντων τῶν μορίων τοῦ σώματος, diſſolutionem & remiſſionem omnium corporis partium, cum non aliter ac reſolutis projectæ appareant. *Avicenna* etiam caſum virtutis inter ſigna peſtilentiæ refert *lib. 4. fen. 1. tract. 4. cap. 2.* quod & tot retro annis in æmula peſtis purpura obſervarunt *Johan. Thom. Minadous lib. 1. d. febre maligna cap. 20. Balthaſar Conradinus d. febr. miſc. Ungar. cap. 13. Daniel Sennertus lib. 4. d. febr. cap. 10.* Ego populariter graſſante purpura ex ſola hac virium debilitate, quæ nulli graviori cauſſæ, quæ in ſenſus incurreret, meritò adſcribi poterat, ſæpe latentis purpuræ argumenta accepi, quamvis æger aliiq; adſtantes necquiquam tale opinarentur, & medicamentorum uſum, quaſi inutilem, rejicerent, aut certe non qua par erat ſollicitudine iis uterentur.

In hoc virium languore vitalem facultatem potiſſimum laborare dixi, ſpirituum vitalium penuriâ, quam purpuræ malignitas, cordi tota ſubſtantia adverſa, invexit: unde cæteræ univerſi corporis vires, animales, & naturales, ſtatim labant, quod ſingularum partium calor innatus, ſpiritusque inſitus benigno ſpirituum vitalium affluxu non amplius illuſtretur, ac refocilletur. Hinc & illa motus impotentia, quæ ægros attinet, non inſtrumentorum motui dicatorum vitio fiet, ſed quod ſpiritus vitales, morbi deleteria pravitate abſumpti, generandis animalibus ſpiritibus, non ſuffundantur. Alia vero defecti motus, gravitatisque corporis in longis morbis aut jam morituris ratio eſt, quam propterea ab emoriente ſuſtentatrice & motrice corporum facultate evenire docebat *Galenus 3. epid. ſ. 3. comm. 67.* niſi & animalem virtutem ſingulari quadam ἀντιπαθείᾳ à purpurato veneno proſterni quis dicere malit.

Quamvis autem tanta quibuſdam inſit virium imbecillitas, ut neque pes neque manus ſuum officium faciant; ſæpe tamen in ultimum prope vitæ terminum infirmos decubitum differre, primiſque diebus ambulare ac conſueta munia obire velle memini, manifeſtâ quidem ægro aliiſque, præſertim morbo jam adulto, ſed fere neglectâ iſtâ debilitate, fatali, ut ſic loquar, quaſi quâdam imprudentiâ: dum tandem ſtantes aut ſedentes, ſupra propriam, aliorumque fidem, vitâ excedere contingat. *Thucydides* quoque in peſte Attica hanc virium pollentiam peſte detentis adfuiſſe ſcribit. *Neque vero corpus*, inquit, *quoad morbus augebatur, flacceſcebat, ſed opinione hominum fortius reluctabatur: adeo plurimi intra nonum & ſeptimum diem ab ardore urente vitalia necabantur, adhuc aliquid roboris habentes.*

Cauſſam ſeri & in longum dilati decubitus refero in virium robur, quæ veneno fortius reſiſtunt; & veneni purpurati vim, quæ lenta pernicie ægros conficiat, ut propterea ab iiſdem vix percipiatur docente *Galeno 5. ſimpl. 15.* Cumprimis vero tum vires infractæ diutius perſtant, quotiens venenata morbi minera in partibus à corde remotioribus abſconſa hæret: unde etſi vapores cordi aliiſq; nobilioribus membris communicentur, diutius tamen morbo reſiſtit æger, dum tandem continuâ veneni actione malignitate incrementa accipiente, partibus poſt partes alteratis, & ad principem partium delatâ veneni noxiâ, æger juguletur. Præterea, cum venenum purpuræ tacito progreſſu ad cerebrum repat, ſenſuſque labefactet, ac tandem deliros efficiat, ægroti turbata mente languorem non percipiunt ut *2. aph. 6. Hippocrates* & *Galenus* docuere.

Languor itaque præter rationem, incipiente morbo, aut ejus incremento, nullis inſignibus aliis accidentibus, commonefacere malignitatis medicum debet; ne quem ſpreverit hoſtem, valentiorem negligentia faciat: cum & heic nimis verum ſit illud *Corn. Nepotu in vita Pelopidæ. Nimia fiducia quantæ calamitati eſſe ſoleat!* Qua in re iſte cum ratione metus ut in medentibus laudem meretur, ita temerarium fuerit, aliis ſignis malignitatem præſentem ſignificantib⁹, imaginario ægrotantium robori velle fidere. Quemadmodum & in aliis morbis vanus metus, ac trepidantium fuerit, ſtatim animum demittere: quotiens principio morbi virium aliquis defectus ſe prodit,

dit, notis debilitatis cauſſis: ut, dum vires ab evacuatione quadam exolutæ, aut plethorâ oppreſſæ morbum ſuſtinere amplius non poſſe videntur: magnique profecto erroris erit remediis Bezoarticis, verâ morbi neglecta cauſâ, alieno morbo tunc mederi velle.

Sunt, qui in pulſu hujus morbi ſignum & merito quærant: quem varium & πολύμορφον medici heic obſervarunt, pro veneni purpurati varia pernicie, caloris magnitudine, virtutis vitalis robore, partiumque affectarum natura ac conditione: in cujus tamen ſingulis differentiis ſigna malignæ febris aucupari liceat. Maligna enim qualitas ut cordi adverſa eſt, ita ſi eidem impreſſa hæreat, aut vicina occupet, actiones cordis maximè lædit, pulſumque frequentiorem efficit, qui indicio eſt vitæ principium à cauſâ malefica graviter affici: qua de re & recreari ſpiritus, & noxiam materiam excludere frequentiori διαστολῇ & συστολῇ deſiderat, quod, dum pulſus naturæ lege fertur, obtinere non poterat. Eadem crebrioris pulſationis in cardiacis, illiſque, qui gravi metu percelluntur, aut animo deficiunt, ratio eſt; quod anguſtato corde, cum naturalis pulſus neceſſitati ventilationis ſatisfacere nequeat; frequentiori pulſu id præſtare natura conentur: quemadmodum puer aſſequi non valens grallatorium viri inceſſum, ſeſquialtero aut duplici gradu hujus greſſum vix æquare ſolet: quo ſpectat illud *Poetæ* lib. 2. Æneidos de filio Æneæ,

Sequiturq; patrem non paſſibus æquis.

Celerior quoque pulſus fiet, ob eandem cauſſam, modo virtus non labaſcat, item magnus, quotiens inter initia virtus nondum exoluta eſt, quæ poſtquam progreſſo morbo deficere occœperit, pulſus parvus fiet, creber, celer & languidus; ſi tamen virtus nondum penitus effœta langueat: tum enim pulſus formicantes tangenti apparebunt, deficiente ob virium imbecillitatem celeritate. Sed quis rerum medicarum peritus non ſuſpicari velit, tales pulſus quaſi indice monſtrare morbi malignitatem, crebritate, celeritate, magnitudine in pulſu conſpicuis, nullo gravi calore interius aut exterius apparente, cui tanta pulſus alteratio jure deferri debeat? Quod ſi pulſus parvus frequens, celer & languidus mox à principio fuerit, (qualis in verâ peſte detentis, & in deterrima purpuræ ſpecie, quæ pravitate

peſti

peſti proxima fere deprehenditur,) annon & tum prudens medicus expaveſcet irruentis morbi pravitatem; quod virtus inter initia morbi penitus langueat, ſecus quam in aliorum ſimplicium morborum principiis fieri ſolet ? Qualis pulſus, levioribus ſpecie ſymptomatis comitantibus, durante morbo, purpuræ ideam; ac graviorem ſubeſſe cauſſam pariter monſtrabit, quâ virtus pulſifica diſſoluta ſuccumbat.

At ſi putridus purpuræ calor major fuerit, pulſum intendere, ſolitoque majorem, ac ſi is præſenti neceſſitati non ſufficiat, celeriorem ac frequentiorem reddere conſuevit : qui tamen conjunctam malignitatem atteſtabitur, frequentiore ictu, quàm caloris præſentis ratio admittat; propterea glomerato pulſu, quod cor præſenti veneno jam occupetur.

Pulſus etiam inordinati & inæquales ſæpe in hoc morbo obſervantur, præſertim ante macularum eruptionem, quamvis & poſtea tales periſtare conſtet : natura enim non ſimplici materiæ morbificæ copia, ſed veneni prava qualitate onerata, debita lege ordinem & æqualitatem rhythmorum obſervare non poteſt. Quæ etiam cauſſa eſt, cur pulſus intermittentes in his febribus aliquando appareant. Sic *Amatus Luſitanus centur. 3. curat. 71.* in *Manuelo Pinto* febre maligna laborante pulſum intercidere advertit, idemque notavit *curat. 73. VVierus in obſervationibus apud Schenckium lib. 6. pag. 855.* in nobili *Rudgero à Randvvyck* febre maligna graviter laborante pulſum tertiâ quaque vice intermittentem ſe deprehendiſſe memorat, qui à ſeptima in nonum diem talis perſeveraverit. ἀσφυγμίαν intercalarem in *Chriſtianiſſimo Franciæ Rege Carolo IX.* anno XXI. ætatis ſuæ obſervavit *Duretus lib. 1 cap. 29. enarr. in comm. Holler.* Ego in *Gothardo ab Hœvelen Reipublicæ noſtræ Senatore Ampliſſimo,* febre maligna detento, pulſum octava vice intermittentem in ipſo morbi acceſſu, mox tertiô decubitus die tertia ac quarta vice intercidentem, imò per aliquot ictus penitus ſuppreſſum adverti: qui tamen adhuc incolumis vivit, divina benignitate, ac Clariſſimorum atque Excellentiſſimorum hujus Reipublicæ Medicorū *D. Joh. Henrici Meibomii, D. Hermanni VVeſthovii* meaque induſtriâ ſanitati priſtinæ reſtitutus. Et in *Antonio* Schmidt / *Ludovico* von der Thumbe morbi hujus mortiſque candidatis eandē ἀσφυγμίαν per intervalla revertentem deprehendi.

Quid?

Quid? quod *ἀσφυγμίαν* totalem quatuor horas durantem in *Paulo Finxio*, ſuperioris judicii Procuratore, exquiſitiſſimo tactu deprehenderim. Equidem talem pulſum in hoc morbo fieri credo per *ἀδυναμίαν διαφορῆς*, exhauſto fonte caloris nativi ac defraudato genio, ſpiritibus à venenata purpuræ qualitate conſumptis ac diſſipatis, quæ *πνεῦμα καυσῶδες ϗ νοσηρὸν* ad cor effundit. Sic *Hippocrates*, aut ſi quis alius author, *4. d diæta acut. text. 26.* quandam febrem ardentem & peracutam eſſe dicit, in qua ſpirituum in venis fiant interceptiones; i. e. ut explicat *Galenus in comm.* in qua arteriæ penitus ceſſent: quod veteres arterias etiam venas appellaverint Idem *Galenus 2. d. præſag. pulſ. cap. 4.* *ἀσφυξίας* periculum demonſtravit, quam & veterno, & apoplexiæ, graviſſimis malis, eodem loco comparavit. *Nam ſi hactenus*, verba Galeni ſunt, *procedat, ut unius pulſus vel alterius videatur tempus quieſcere, inſtar veterni eſt, aut apoplexiæ cujuſpiam, aut reſolutionis actionum voluntariarum: qualia enim hæc in aliud principium ſunt, quod ſedem habet in cerebro, tale quiddam eſt in pulſu, cum quies adverſus principium, quod in corde ſitum eſt. Et ut rectè de illo eſt dictum, apoplexiam non poſſe fieri, ut propulſetur, ſi ingens ſit: ſin levis ſit, non ſine magno negotio: ita etiam hic dicitur rectè, quies pulſuum ſi ſit diuturna, ut tollatur, fieri non poſſe: ſin brevis ſit, non citra negotium. Porro diuturna eſt, quæ excedit duorum pulſuum tempus; brevis, quæ intra duorum pulſuum tempus manet. Quies vero temporum unius pulſus inter omnes intermiſſiones moderatiſſima eſt, multiq; ex ea ſenes pariter & pueri evaſerunt, juvenum autem ne ex hac quidem ullus.*

Sæpe pulſus morbo etiam adulto naturalium ſimiles ſunt, ut in iis nullus prope exceſſus tactu cum ratione, percipiatur; aut ſi quæ levis pulſus fiat alteratio, ea cum interiori viſcerum incendio comparari nullo modo poſſit: dum ſcilicet ſiti inexpleta ægri torqueantur, fauces linguaque ſubjectæ flammæ fuligine adeo ſqualent, ut ſiccitate immodica dehiſcant, deliria occupato à maligno calore cerebro infeſtant, aliaque ſymptomata caloris moleſta ſunt: quemadmodum & in ipſa peſte pulſus ſanorum ſimiles aliquando reperiuntur, teſte *Galen. 3. d. præſag. pulſ. cap 3* & *4.* item *9. ſimpl. cap. de terr. Samia.* Unde *Avicenna lib. 4. fen. 1. tract. 4. cap. 2.* *Et quandoq; eſt de febribus peſtilentialibus, in quo non percipit æger, nec tangens propinquus,*

quus, multitudinem caloris, & non alteratur pulſus & aqua magna alteratione, & cum hoc ipſa eſt interficiens velociter. Cauſſam ejus rei ſi quis requirat, variam apud authores reperiet. *Galenus loco citato d. præſag. pulſ.* inæqualem cordis intemperiem cauſſari hunc temperatum pulſum arbitratur: ſi cor calidius ſit, humores in eo frigidiores; aut hi calidi exiſtant, corde frigido: unde cum medius quodammodo ſtatus efficiatur, ex contrariis conflatus, pulſus fiant moderatis ſimiles: qui caſus optimos fallat medicos. Quod contigiſſe in ſui temporis peſte, atque in ea pulſus naturalium ſimiles fuiſſe memorat: quod in ſpeciem hecticarum ſebrium ejuſmodi pulſus acciderent; ut ſi qui eſſent inter ægrotos, qui ſe negarent, febricitare, his febris occupato ipſo cordis corpore plane eſſent confirmata, &, ut ita dicam, in habitu. Etenim febrium hecticarum duo hæc ſunt propria ſigna, ſi perpetuo illæ ſibi ſimiles ſint, nec invaſionem ullam acceſſionis, nec incrementum, nec vigorem, nec remiſſionem habeant, nec febricitare ſe percipiat ægrotus. *Galenum* ſequuntur *Herc. Saxon. lib.8. d. febr. cap.37. Nicol. Boccang. d. morb. malign cap 12. Zacutus prax. hiſtor. lib.4. cap. 28. Jordanus de peſtil. phænom. tract. 1. cap. 15.* & alii.

Cujus ſententiæ, ingenioſæ alias, veritas dubia videri poſſit, conſideranti, impoſſibile eſſe, cor flammeo calore torreri, contentis in eodem humoribus exiſtentibus frigidis; aut vitæ caloriſque principium adeo refrigerari poſſe, humoribus contentis calidis, ut refractis utrobique qualitatibus pulſus moderatus oboriatur: quorum tamen alterutro conceſſo, nequaquam pulſus magnus ac validus efficietur, quod pulſus omnes intemperiei corporis cordis ſint debiles, ut ipſe confitetur *Galenus libro proximo adducto cap.3. in fine*: unde parvi potius, crebri, &, modo virtus non penitus labaſcat, celeres ac languidi naſcentur: cum nec ſolo calore in magnitudinem dilatari pulſus poſſit, niſi virtus adſit valida, arteriarumque bona ſit conſtitutio: etſi virtus in tanta alteratione cordis nunquam non ſit debilis futura. Illud mihi ediſſerant, velim, quo fatò, quibusve de cauſſis, purpura peſteque popularibus, inæqualis iſta cordis intemperies tam frequenter eveniat, alio tempore non item? Quamvis ſi recte rem examines, tum cor calidius aut frigidius eſſe, humoribus

ſibus contraria qualitate prædit is, vel nullo ſigno cognoſcere liceat. Quod ſi tales febres purpuratas peſtilenteſq; hecticas eſſe quis aſſeveret, indeque iſtam pulſus temperiem proficiſci adſtruat; ſic ægrotantes omnes morbi gravitate abripi, fateatur, neceſſum eſt; (ut enim verè *Galenus eodem loco* ait, *quam excogites medicinam ad putredinem, quæ cor occupavit?*) cum tamen multos, in quibus ejuſmodi pulſus fuere obſervati, ex purpura ipſaque peſte reſtitutos obſervaverim: præterquam quod, in talibus hecticæ malignæ febris nulla fuerint indicia, aliiſque potius cauſſis iſta lentitudo morbi, quàm hecticæ diſpoſitioni, adſcribi debuerit.

Sed nec *Mercurialis* mihi placet, qui *lib. 5. de febr. cap. 17.* autumat, malignis febribus propterea pulſus eſſe moderatos, quoniam facultas motrix ſit debilis, & neceſſitas ventilationis ingens, ita ut ex his duobus motibus pulſus fiant moderati: quam ſententiam ex *Gal. 1. d. cauſ. pulſ. cap. 8.* exemplo hominis debilis firmare conatur, qui hoſtes ſuos, quantum poteſt, fugiat. Namque neceſſitas fugiendi facit ipſum celerem, debilitas vero ipſum retardat, ut propterea moderata inde fiat deambulatio. Quamvis vero, ſi modica noxa fuerit, vireſque aliquo modò conſtantes, talismodi pulſum fieri poſſe *Galenus* admittat, ratio tamen danda foret, cur in aliis febribus aucto calore, viribus modicis, conſimiles pulſus non ferantur? cum aucta neceſſitate magnitudinem crebritate natura compenſare ſoleat, ſi imbecillitate arteriam explicare non poſſit. Sed quis vires, rebus ægri cottidie in pejus ruentibus, proximo, aut ipſo etiam obitus die, tantum roboris adhuc obtinere credat? quo tamen tempore pulſus magnos ac naturalium æmulos, niſi quod paulo celeriores eſſent, ſæpius adverti.

Multo minus *Conciliator* rem, quod dici ſolet, acu tetigiſſe videtur, qui *differentia 94.* moderatorum in his febribus pulſuum rationem reddit; quod natura deterrita putredinis magnitudine & & pravitate minimè audeat materiam morbificam tractare, unde nec pulſus nec urina commutentur. Etſi enim naturæ admirandas actiones cottidie videamus, quæ ipſa ſibi per ſe *ἀνευρίσκει τὰς ἐφόδους ἀπαίδευτος ἐοῦσα, καὶ οὐ μαθοῦσα τὰ δέοντα ποιεῖν* Divini Senis oraculo *6. epid. ſect. 5. text 2.* quam naturæ prudentiam admirandam

in hujus loci commentariis *Galenus* & *Palladius Sophiſta* allegatis pulcherrimis exemplis demonſtrarunt: naturæ tamen iſta cognitio ultra ſua principia extendenda non eſt, neque arbitrandum, eam *ἐκ προαιρέσεως*, aut *ἐκ διανοίας*, ſeu conſilio quodam, ut loco citato *Hippocrates* loquitur, agere: cum rationem non habeat, neque per cogitationem quicquam operetur, neque à propoſitionibus ad conconcluſionem proficiſcatur, ut docet *Palladius in adducti textus commentariis*.

Propius à vero abeſt, ut, unde plerorumque cæterorum purpuratæ febris ſymptomatum ac ſignorum, inde & pulſus hujus cauſſam deducamus, à venenata ſcilicet purpuræ qualitate, quæ præcipue heic accuſatur, atque aliorum venenorum more, non tam compertis qualitatibus, quàm totius ſubſtantiæ diſſidio in nos agit: unde nec caloris argumenta in pulſu adſunt: quod hic deleteriæ qualitati junctus ſecundario ſaltem ragat, majorque aut remiſſior exiſtat, pro principis cauſſæ, deleteriæ qualitatis diverſa conſtitutione, corporumque vario ad ſuſcipiendam flammam apparato fomite: qua de re ſi calor purpuræ eſſentiæ ratione magnus non ſit, nec flammæ excipiendæ fomitem in corpore affecto reperiat, caloris notæ in pulſu ſe non admodum proferent, niſi quod ad celeritatem modicè aucto calore, virtute valida, pulſus inclinare videatur. Præterea, cum maligna purpuræ qualitas alia venena imitari ſoleat, ac cordi quidem perpetuum inimica ſit, non tamen primario ſemper ei adverſetur, ſed & aliis partibus primo & principaliter communicetur; & in exigua quantitate humoris, abſque aliorum humorum putredine (ut patet ex urinis & ſanguine extracto, in quibus nullæ notæ putredinis aliquando conſpiciuntur,) contineri poſſit, reliquis partibus atque ipſo corde inſontibus, pulſus naturalium ſimiles redduntur, quod vis morbi veneno aut calore nondum tantam in cor fecerit impreſſionem, ut ejus actiones multum lædantur, præſertim ſi virtus inconcuſſa permaneat. Neque enim neceſſarium eſt corde læſo ægrotantes ſemper affici: nam ſi humor malignus ad alias partes decumbat, citra cordis læſionem, reſoluta virtute, morbiq; virulentia æger nonnunquam morietur, pravis ulceribus capitis, pudendorum ut in peſte Aſiatica notavit *Hippocr. 3. epid. ſe. 3. text. 25. & 26.*

Digitized by Google

& 16. confirmavit *Galenus in comm.* alvi fluxu *text. 55.* Sic quaſi fulminē percuſſos in graviſſimâ peſte homines abreptos hiſtoriæ memorant, in quibus vis peſtilentis veneni in cerebrum detonuiſſe vero conſentaneum eſt. Latere igitur alibi quàm in corde purpuræ malignitas poteſt, dum tandem lento, tacitoque progreſſu incrementa accipiat, cordique communicetur: & tunc extincto calore innato interire prius æger poterit, quàm calor ſe manifeſtet, ut de peſte docuere *Cæſalpinus lib. 3. d. venenis cap. 48. & 50. Nicol. Boccang. d. morb. peſt. & malig. cap 7.*

Hæc vero fallaciſſima pulſus bonitas, ubi alia ſatis gravia ſymptomata ægrotos exercent, admonere medicum debet, ut gravioris mali, purpuræ malignitatis ſuſpicionem habeat: cùm tot tantaque ſymptomata non niſi à pernicioſa ac deleteriâ qualitate, quæ transelementari virtute agat, proficiſci poſſint.

Advertet tamen, qui in tangendo pulſu induſtriam ſuam exercere volet, pulſum hunc aliquo modo à naturali differre, quemadmodum & *Galenus* teſtatur *3. d. præſag. pulſ. 3.* quoſdam ab initio ad finem usque, alios per totum morbum probum pulſum habuiſſe, qui perparum à naturali deflexiſſet.

Animi etiam anxii ægroti ſunt in hoc morbo, cordisq; anguſtiam, compreſſiones & dolores queruntur, quos neque verbis exprimi, neque à natura humana tolerari poſſe, confidenter aſſerunt: ſuſpiria illis crebriora: unde *Lucretius lib. 6. d. rer. nat.*

Intolerabilibusq; malis erat anxius angor
Aſſidue comes, & gemitu commiſta querela.

Ut languoris ſui conſcios ægrotos protinus anticipata deſperatione ſui multo ſeipſos magis deſtituiſſe, nec languori reſtitiſſe aliquando obſervaverim, quod *Thucydides* in peſte Attica factum fuiſſe retulit. Hanc cordis anguſtiam eos verbis, etſi mentis adhuc compotes ſint, propterea exprimere non poſſe reor; quod venenum purpuræ non tam manifeſtà (ea enim primis fere diebus vix notabilis eſt,) quàm venenatâ qualitate agat, ut verbis explicari non poſſit: quæ dum cor petit, omnium rerum faſtidium obrepit, ut, ubi ſunt, ægri eſſe nolint, præſentemque ſtatum difficulter ferant. Quales *πυρετὲς καῦσεις* *Hippocrates* notavit *3. epid. ſect. 3. text. 64, & 4. d. dieta aut. text.*

Digitized by Google

text. 47. eosque *κακοηθεστάτους* eſſe dixit in *Coac. t 33.* Hinc conſectariæ cordis palpitationes ac tremores ægros affligunt, eo crebriores heic, quam in aliis morbis; quod purpuræ venenata vis cordi præcipue adverſa ſit: quæ dum cor lancinat, evanidis ac conſumptis ſpiritibus ſuccedunt crebra animi deliquia, horumque tandem conſectaria ſyncope, potentiſſima ſigna præſentis morbi virulentiæ demonſtrandæ; quod tanta tamque gravia ſymptomata non niſi gravibus cauſſis naſcantur. Qua de re ſæpe argumento ſint dicta ſymptomata, victam morboque imparem factam naturam, ut non ſit tanto oneri amplius ferundo: unde mors inſperata aliquando ægros jugulat; ſumma veneni pernicie; quod ſimulata lenitate aliquandiu blandiens ſubitaria facta eruptione ad cor, momento interdum ægrotos conficit. Sic quoſdam hoc morbo detentos, cum abuſu alexiteriorum melius jam habere ſibi aliiſque viderentur, palpitatione cordis, animi deliquiis, aliiſque gravibus accidentibus repente correptos intra horam naturæ conceſſiſſe obſervavi.

CAPUT XIV.

Signa ab actionibus animalibus læſis examinatur.

PRincipes animæ facultates plerumque heic graviter læduntur, ut interdum imaginatio, interdum ratio, ſæpe utraque ſimul corrumpatur, & ægrotos non tantum abſurda loqui; ſed & facere crebro contingat. Quod etſi aliis febribus familiare ſit, in quarum augmento ac ſtatu creberrima apparent deliria; illud tamen ſingulare purpura obtinet, ut, cum in cæterarum febrium maximis caloribus conſpiciantur, neq; incidere poſſint, niſi in febre vehementi, ut C. *Celſus* teſtatur *lib. 3. de re med. cap. 18.* quæ plerumq; brevia eſſe cōſueverunt, ut levato acceſſionis impetu protinus mens redeat, heic nullo prope aut levi ac contemnendo calore deliria ſuperveniant, quæ nō niſi penitus victo morbo tollantur, ita tamen, ut veſti-

veſtigia emotæ mentis longo tempore adhuc inhæreant, ac caput grave eſſe & turbari, ac ad ſeria meditanda ſe ineptos eſſe diu poſtea ægroti conquerantur, evidentiſſimô argumentô, non ſimplici calore, qualis cæterarum febrium eſt, ſed altiori cauſsâ, quæ invicta diu perſtet, malignitate ſcilicet purpuræ, mentem fuiſſe turbatam.

Accidit autem παραφροσύνη purpuratis, quotiens maligni vapores ad cerebrum ex ſubjectis partibus ſublati illud valide afficiunt, turbatis atque incenſis purpurati veneni maligno calore ſpiritibus animalibus. Interdum phrenitidem excitari contingit à pravè corrupta bile in cerebrum ejusque membranas effuſa: ut in phrenetico illo, qui à qualitate ſuccorum virulentium, non à phrenitide, tertia die peremptus 3. *epid. ſ. 3. text. 75.*

Delirii cauſſa & ſignum ſunt vigiliæ perennes, raptu humorum & vaporum in caput, dum calore & maligna qualitate ſpiritus agitantur, obortæ: quæ maxime heic ſuſpectæ ſunt, nullo fere calore retorrido præſente, (qualis in aliis febribus eſſe ſolet,) unde inquies illa nocturna produci poſſit. Quod ſi feſtucas ægri colligere videantur, futuri aut jam præſentis delirii aut phrenitidis ſignum eſt teſte *Galeno comm. 1. progn. text. 23.*

Tremor manuum delirio ſæpe conjungitur, manifeſto malignitatis indicio, authore *Hippocrate lib. 1. prorrhet. aph. 14* lethaliquè ut plurimùm ſigno, quod arguat naturæ maximam debilitatem, atque exolutum ſpirituum animalium robur, ut licet ſanguis ſpiritusq; calore præternaturali incaleſcant, ſuſtinendæ tamen corporis moli impares fiant. Quod ſi lingua tremula ſit, ſignum eſt mentis non firmæ docente *Hipp. 1. prædict.*

At ſi purpuræ venenum in cerebrum delatum acrimoniam ſecum gerat, idque ad nervorum principium deferatur, convulſiones ſequuntur graviſſimæ, ægrotum ad mortem ocius præcipitantes: quas tremores membrorum, eorumque leves & momentaneæ ex intervallis contractiones prænunciare ſolent, inluſtri documentô, nervoſum genus purpuræ prava qualitate jam affici, cujus ſtimulis partes compunctæ verſus principium ſuum convellantur.

Interdum purpuræ malignitas narcoticam ſecum gerit qualitatem, ut ſpiritus podus conſopire, ægrosque ad ſomnum pronos reddere

reddere ſoleat, tanta interdum veneni veternoſi malitia, ut ægri expergiſci poſtea nunquam poſſint, dum tandem rerum omnium penitus obliti ſomnum nimis longum dormiant. Veneni hujus natura priori contraria eſt, & ut illud humores ac ſpiritus incendit, ac ferocire facit; ita hoc eoſdem cogit, coagulat, refrigerat, & in ſomnum proclives facit, ut aſpidis, quæ propterea *hypnale* à *Solino* vocata *cap. 40.* peremptoriam vim referre videatur: quam *Cleopatra Ægypti Regina*, mori jam certa, præ cæteris dilegit venenis, (quorum illa teſte *Plutarcho* vim compertiſſimam habebat) quod cætera venena majore ſymptomatum atrocia, has ſine convulſione, (*frontem tamen aſidue convelli* docet *Actuarius lib. 6. m. m. cap. ult.*) dolore aut gemitu, ſomno obnoxios, ex quo ne excitari quidem cupiant, interimere cognoviſſet: admotis enim ad venas ſerpentibus, quaſi ſomno ſoluta, teſte *Floro lib. 4. cap. 11. Æliano lib. 9. hiſtor. cap. 11.* & *61. Plutarcho in M. Antonio. Galeno d. theriaca ad Piſonem cap 8.* qui Alexandriæ receptum morem fuiſſe ſcribit, ut capitis damnatos, quos humanius tractare, nec lenta morte excarnificare vellent, appoſita pectori aſpide interimerent. Namque celerrimum hujus eſt venenum, quod ſanguinem in arteriis ſuo frigore coagulet, ut inter levia ſymptomata mors prehendat, ne diei quidem tertia parte interpoſita, ut teſtatur *Actuarius loco allegato.*

Singulare huic ſymptomati eſt, & quod idem à ſe ipſo in aliis morbis oborto diſcernere poſſit, non per acceſſiones febriles obrepere, iisq; levatis ceſſare; quale quid in febrium quarundam paroxyſmis contingere interdum ſolet, ſed toto perſtare morbo, ut etiam eo ſublato diu poſtea mens priſtinum vigorem reciperare non valeat. Equidem in hac conſtitutione epidemica vim iſtam narcoticam plures dies ac ſeptimanas reſtibilem durare memini, manifeſta licet morbi remiſſione, ut ſui ipſorum, rerumque agendarum immemores facti longo tempore iſtum mentis ſtuporem non inviti teſtarentur: quod ex truculentiſſima peſte Attica eluctatis obtigiſſe conſtat ex *Thucydide*, ut omnium rerum, neceſſariorum quoque, & ſui ipſorum fuerint obliti. Et *Lucretius lib. 6. de rerum nat.*

Atq; etiam quoſdam cæpere oblivia rerum
Cunctarum, neq; ſe poſſent cognoſcere ut ipſi.

Aliquan-

Aliquando ægros prehendit *κῶμα αγρυπνον* ſopor perpetuus non ſomnolentus, ut in illa peſtilenti conſtitutione apud *Hippocratem 3. epid. ſ. 3. t. 39*. Græcis *κῶμα ἄγρυπνον* dicitur, teſte *Tralliano lib. 1. cap. 13.* quo authore, itemq; *Ægineta lib. 3. de re med. cap. 6.* & *Galeno 1. in 1. prorrhet. comm. 1.* affectus hic ex bile & pituita inter ſe commixtis oritur: quarum illa ægros continuò excitet, hæc ad ſomnum pronos efficiat, ita ut clauſis oculis dormire videantur, cum tamen vigilent. *Galenus* ex phrenitide & lethargo mixtam affectionem eſſe, & *Hippocrati* aliisque *Typhomaniam* dictam exiſtimat. Hinc ſigna lethargo & phrenitidi quodammodo communia eſſe voluit *Ægineta l. 3. d. re med. cap. 10.* ita tamen, ut juxta prædominantem materiem varient. Vigilant enim ſimul, ut *Trallianus loco allegato* docet, & in altum ſoporem deferuntur, rurſumque paulatim delirant, & ſomno alto ſoporoſoque preſſi cum tumultu excitantur, & illis, qui ipſis loquuntur; inordinata verba & inſaniam teſtantia reſpondent.

Symptoma hoc aliis morbis infrequens, heic aliquoties mihi viſum veneni purpurati malignitatem oppidò demonſtravit, cujus admirandę operationi id potiꝰ adſcribemus, quam bilis & pituitæ inter ſe remixtarum conjunctis operationibus: quod affectus iſte etiã in illis obſervatus fuerit, in quibꝰ nulla peccantis bilis aut pituitæ excuſatio adferri poterat. Quare in re obſcura inveſtiganda *ἀναλογισμῷ* commodè utemur conſimilium aliorum venenorum, quorum aliqua in profundum ſomnum conjiciunt, qui tamen inquietus ſit, variisq; ſpectris turbetur; ut in hyoſciamo, ſolano manico, lolio &c. id fieri videmus: illa n. præterquam quod deliros homines faciant, ſomno profundo eoſdem ſimul gravant: quod, cum natura ſua *καρηβαρικὰ* ſint, impuros craſſoſque ac frigidos vapores ad cerebrum effundant, ſpiritus offuſcent, & impuritate ſua inquinent, variisque ſpectris mentem inquietent. Cujus rei exemplum in *Ægyptiis* videre licet, qui referente *Proſpero Alpino lib. 4. de medicina Ægyptiorum cap. 1. & 2.* opium, item electuarium bernavi ex proximis Indiis delatum, ut & Bers Boſã, & cannabem accipere ſolent: quorum beneficio pulcherrima viridaria, formoſiſſimas laſcivientesq; puellas, militibus bella in ſomniis offerri dicunt. Sic *de ſimilace hortenſi Dioſcorides*

Coma vigil

alii;

Signa

ſcorides lib.2 cap.140, memoriæ prodidit, ſiliquam ejus coctam cum ſemine tumultuoſa ſomnia facere. Pari modo & purpuræ venenum interdum ægros *κωματώδεις* efficit, ſimulque *παραφρονοῦντας*, ut exterius quidem ſpeciem dormientium referant; oblatarum tamen ſpecierum vis phantaſiam quieſcere non ſinat: Quapropter ut veneni purpurati qualitas magis fuerit narcotica; ita decumbentes ſopor magis detinebit: quod ſi majorem analogiam ad *παραφροσύνην* habeat, in ſoporatis deliramenta magis elucebunt.

Accidit etiam non raro in his aliiſque morbis ægris ſimulatum ſomnum obrepere, viribus extremè debilibus, ut palpebræ ſe committant; ſive quod humorum ad palpebras fiat decubitus, ſive quod virtus motrix ignavior ſit, quam ut eas attollere & apertas ſervare queat, totali conjuncta *ἀγρυπνίᾳ* ob morbi vitium: ubi natura quidem ſe componit ad ſomnum; ſed ob cauſſæ morbificæ præſentiam, & quod grata illa *ἀναθυμιάσει* vaporum cerebrum deſtituatur, ſomni particeps fieri non poteſt. *Galeno 3. epid. comm.1, text. 7.* umbratilis hic ſomnus pro argumento eſt extremæ debilitatis: quod & morientium oculos ſubconnivere videamus: quemadmodum etiam intolerabilibus doloribus, alvi fluoribus, hæmorrhagiâ nimiâ exhauſtis ſpiritibus palpebras committere, ſpeciemque dormientium infirmi præ ſe ferre videntur. Si tamen ita affectos fixa & ſtabili oculorum acie quis intueatur, oculos ſub ipſa palpebra moveri comperiet.

Senſus exteriores præſentis morbi etiam quaſdam notas dabunt: vividus enim & amœnus oculorum color perit, qui ſpirituum penuriâ flacceſcunt, vel torvum tuentur, flammeique ac rubicundi apparent, ut de peſte Attica referunt *Thucydides l. 2. belli Pelopon. & Lucretius lib.6. d. rer. nat.* Hinc eorum qui peſte tenentur, oculos accuratè contemplari *Galenus* jubet *3. d. præſag. pulſ. cap.4.* quod inter lavandum manifeſtè reddantur calidi & flãmei, taleſq; permaneant, quos plane peſte teneri autumat. Iſta vero oculis accidere arbitror, quod purpurati veneni malignitas ſpirituum opticorum *ἔκλαμψιν* lucemq; extinguat, ac nebuloſos vapores oculis ſuffundat, atque ex ſubjectis retorridis viſceribus maligni atque acres vapores ſurſum expirent, unde oculos torvum tueri, pariterque inflam-

mari

mari, & varias rerum ſpecies, imminentis delirii augurio, iis obverſari contingat. Interdum oculi inviti lachrymantur, caligant, penituſque aliquando cæcutiunt, (quod poſtremum in *Nobiliſſimiq; Viri Dn Johannis Rantzovii, Equitis Holſati ſplendidiſſimi, Hæreditarii in* Newhauß & Satiewiß villici *VVohnrovii* uxore illis temporibus adverti,) ſi vis veneni humores ſeroſos in canthis oculorum fundat, ſpiritus viſivos conſumat; aut adſcenſu perenni vaporum humorumve decubitu nervi optici obſtruantur.

Frequens his morbis eſt aurium tinnitus ac ſuſurrus, varius, pro irruentis venenati humoris vaporumque diverſâ materiâ, varioque impetu: inde enim modo magis, modo minus aurium tinnitu, ſibilo aut ſuſurris ægri moleſtantur: hi tamen affectus à ſeipſis, aliarum febrium ſymptomatis differunt, quod nulla intervalla præbent, contumaciſſimeq; ægris adhæreant, cum venenum quadam inclinatione caput petat. Quin ſæpe maligni humoris aut vaporum copia adeo intus luxuriat, ut auditum penitus intercipiat, atque aliquando *βαρηκοΐα* & *κώφωσις* longo poſt tempore maneat morbo aliiſque ſymptomatis univerſis ſublatis, ut in *Johanne VVeida, Conſule Sacri portus*: qui, cum morbo jam exacto plures menſes aurium ſuſurris continuis afficeretur, auxiliis convenientibus adhibitis, inprimis vero crebris ſudoribus, naturæ ſponte excitatis, à moleſtia illa penitus liberatus.

Ita lingua in purpuratis alienos ſapores exprimet, verumq; rerum oblatarum guſtum pervertet, aut nullum plane obducta fuligine percipiet: quod peregrinum humorem jam biberit. Vox clangoſa ſæpe eſt & acuta, dum maligno calore organa vocis ſiccantur: anguſtiore enim effecto larynge, vox acuta redditur & *κλαγγώδης*, ſi ſiccitas organorum intendatur ut ſentit *Galenus in 1 prorrhet. comm. 12. ſect. 2.* Id verum eſſe & ex humidis locis graviorem, ex fervidis locis acutiorem reddi ſonitum ſolidè demonſtravit *Vitruvius lib. 6. architect. cap. 1.* propoſito exemplo *duorum calicum, in una fornace æquè coctorum, ejuſdem ponderis & ſonitus*, ſi pulſentur: quorum alter in aquam dimiſſus, rurſusque extractus, ſi pulſetur, diverſum ab altero ſonitum reddere, neque ejuſdem ponderis eſſe obſervatur. Quam cauſſam idem arbitratur, cur hominum corpora *alia propter regionis* ardo-

Digitized by Google

ardorem acutum ſpiritum aeris exprimant : alia propter humoris abundantiam graviſsimas effundant ſonorum qualitates.

Et odoratus ſuas patitur ſæpe noxas, ut vi veneni penitus deſtruatur, aut illæſo adhuc ſentiendi principio, non raro intus genitæ putredinis δυσωδίαν æger percipiat.

In tactu triſtis ille ſenſus, dolor, variis locis percipitur, & univerſa membra corporis quaſi confracta & conquaſſata apparentſimo neque quieſcere, neque minimum moveri poſſunt ſine laſſitudinis perceptione: ut vel ex hoc ſuſpicari medentibus liceat, ſubeſſe altiorem mali cauſſam: cum levi calore, ſymptomatisque cæteris fere contemnendis, ita delaſſari membra contingat: quod virus purpuræ quoquoverſum exhalans inexplicabili ſua qualitate membra labefactet, doloremque in illis, etiam exacto morbo aliquamdiu durabilem, cauſetur. Hinc & febres κοπιώδεις ab *Hippocrate in Coacis* damnantur, quæ ſcilicet non ἐκ πόνων ex laboribus muſculorum oriuntur, ſed quæ κόπον αὐτόματον ſua ſponte obortum conjunctum habent. Capitis vero dolor præcipuus eſt, qui ægros infeſtat; interdum gravativus, quaſi ab incumbente mole quadam premeretur; ſæpe gravis & acutus: ſoletque dolor in ipſo principio, ſecus quàm in aliis febrib⁹ accidit, validè affligere, totoq; perſtare morbo, & inclinata in melius valetudine etiã dum moleſtare, ob halitus pravos ex maligna materià ad caput aſcendentes, quorum deleteria vis aliquamdiu indeleta hæret: namque ad caput vis omnis morbi ſua ſponte ruit, graviſſimisque affectibus illud infeſtat; ut inde Germanam hujus morbi appellationem **die Hauptkranckheit** diductam arbitrer. Syncipitis autem dolores heic ægri inprimis queruntur, quod illic, ut notat *Palladius Sophiſta comm. in 6. epid. p. m. 154.* meningum partes ſuturis interjectæ ſint, quæ calore, acrimoniâ, copia ac malignâ adſcendentium vaporum qualitate vellicantur, ac diſtenduntur: præterquam quod ſuturæ illic raræ ſint, cranium tenuiſſimum, multisque poris pervium, tenuiumque vaſorum illic deſinentium magnus adſit numerus; (unde à ſyncipite plerumque incipit ſudor,) quamvis & per medias quaſvis corporis regiones ad caput expirare malignus humor poſſit. Lumborum dolor creberrimus pariter in hoc morbo eſt, quod principes venæ illuc decurrant; quæ cum

ıfecto ac corrupto ſanguine repletæ ſint, ſubjectæ partes maligni umoris pravitate graviter afficiuntur. Hunc lumborum dolorem etim lib.5. de re med. cap.127. ferè in malignis febribus à principio ontingere, eumque, ſi perſeveret, maximas turbulentias afferre, ſi epente remittat, periculoſiorem adhuc morbum ſignificare docet.

Ex ſymptomatis facultatis motricis inquies membrorum pururatis maximè familiaris eſt; dum inſtar *Homerici Achillis*, modò roni, modò ſupini in varios habitus ſe componunt, &, (quod prorium alias ægrotantium eſſe *Seneca lib. d. tranquill. anim. cap.2.* diceat,) nihil diu pati & mutationibus, ut remediis, uti ſolent. Inquiesta membrorum in peſte *Attica* à *Thucydide* notata, & ab *Avicenna* iter ſigna peſtilentiæ relata *lib. 4. fen. 1. tr. 4. cap.2.* Dicuntur tales groti ἀλύειν *Galeno 7. aph. comm.56.* qui nec decubitum ferunt, nec cto acquieſcunt, ſed formas mutant, quia præſens ſemper gravis t & moleſta: quemadmodum ſecunda valetudine eos dicunt ἀ-ύειν, qui præſentium offenſione & tædio errabunda ſemper ſunt ente & incerta, atque ad alias ſubinde aliasque tranſeuntes tum res, m actiones. Hinc ἀλύκη *Galeno* dicitur quaſi tædium & diſplicen-ı ſui. Et ἀλυσμὸς *Galeno in exegeſi dict. Hippocr.* vocatur ἀλυσις καὶ ἀπορία καὶ ῥιπτασμὸς animi anxietas, corporis disjectio & inquietudo: etſi ad animi anxietatem hæ voces in his aliisque morbis applicenr: ad inquietudinem tamen præſentem eas ſimul accommodare eat. Sunt quidem ægri in aliis affectibus aliquando inquieti, e. g. ſtomachi vitio, quando ille pravis acribus & malignis humoribus ıſidetur, qui os ventriculi lancinant, ſecundum *Galenum 7. aph. ct.56. & 1. progn. comm.16.* quorum ſic affectorum nauſeam ſignum ınit *1. prorrhet. comm. 2. text. 44.* talis enim ἀλυσμὸς ναυτιώδης eſt. in inſtantibus criticis evacuationibus anxietatem & inquietudim membrorum præcedere notum eſt medicinam facientibus. uò reſpexit ſummus Præceptor *2. aph. text. 13.* dum noctem, quæ ſin antecedit, graviorem eſſe dixit, quod natura pravam materiam cluſura, toto corpore humores commoveat; quibus commotis uı pravi humores agitantur, unde & turbari corpus, & ægrotos lè moleſteque habere docuit *Galenus ejuſdem loci commentario.* Inetudinem quoque membrorum levibus de cauſſis in aliis morbis

 patiun-

CAPUT XV.

Signa naturalis facultatis affectæ examinat.

NAturalis œconomia cum in hoc morbo maximè laboret, ejus læſæ τεκμήρια medenti conſtabunt: namque appetitus plane proſtratus eſt, ut quoſvis cibos, etiam ſuaviſſimos, quorum uſu olim maxime oblectabantur, infirmi faſtidiant, ac primis labris receptos expuant; alii ne guſtare quidem eos velint; alii eorum præſentiam pati non poſſint, adeo, ut ad nomen eorum trepidare quaſi, & maximè commoveri videantur. *Hippocrates lib.3. epid. ſ. 3. text.58.* in *Aſiatica* graviſſimâ peſtilentiâ hanc ἀποσιτίαν notavit, omnesq; in quos tum incidit, quocunque illic dictorum morborum genere detinerentur, cibum faſtidiviſſe memorat. Idem quoque in diuturnâ peſtilentia, cujus aliquoties in ſuis ſcriptis meminit, contigiſſe *commentario loci citati Galenus* teſtatur, adeo ut ex his plurimi mori, quàm comedere, prius duxerint, quod iiſdem vitio ventris accidiſſe ſcribit, cum hujus opus ſit ciborum appetentia. Confirmant *Avicenna lib.4. fen.1. tract. 4. cap.2. P. Salius Diverſus de febre peſt. cap.17. Thomas Jordanus de peſtis phænom. Zacutus*, qui *lib.3. prax. admir. obſer. 40.* anno milleſimo ſexcenteſimo quarto plures ex eodem contagio peſtilenti infectos, hoc ſymptomate detentos, intra quartum diem animam efflaſſe narrat. Purpura enim ut in aliis accidentibus, ita & in hoc peſtis peſtilentisque febris æmula eſt; in qua appetitum in ipſo morbi limine languere vidi; ut & ipſi ægri in admirationem ejus rei raperentur, & non niſi inviti toto morbo quid guſtare vellent. Maligni enim vapores purpuræ ad ſuperius ventriculi orificium, in quo omnis appetentiæ ſedes, delati, venenatâ ſuâ qualitate exquiſitiſſimum ejus ſenſum deſtruunt, ut inanitis venis, atque inſtaurationem ſui poſcentibus, alimenti penuriam non ſentiat, unde vis appetitrix reſolvitur: qua ſublatâ & enortuâ ſequitur ἀνορεξία omnium ciborum, docente *Galeno 2. in 3. epidem. comm.3.* ut *in Euryanactis* filia, *&* 3. *in 3. epid. comm.72.* Hæc alimentorum ἀποσιτία etſi aliis in morbis creberrimè accidat; iſtorum tamen princi-

principio affectus hic levior plerumque eſt; ut, nullo fere calore, qui in aliis febribus appetitum deſtruit, levibusque aſpectu ſymptomatis, tantum tamque ſubitarium obrepere omnium eſculentorum faſtidium, mirari, & auguria præſentis jam purpuræ inde accipere, merito quis poſſit.

Sitis inexhauſta, qualis ardentium febrium eſt, purpuratos excruciat, atque nulla ſæpe potione levatur, quod non in ventriculo, ſed corde pulmonibusque, aliisve locis, quo vis refrigerii penetrare non poteſt, deliteſcat morbi minera; (inde vero expirantes acres & malignæ fuligines orificium ventriculi torrent, ſitimque inexpletam cauſſantur) aut quod maligna purpuræ qualitas, cui calor conjunctus, occulta qualitate operetur, &, ut agendo potentiſſima, ita ubi jam radices mora in corpore nacta fuerit, curatu difficilima, non manifeſtâ qualitate alterantibus, quanta quanta demum refrigeratio facta fuerit, tollatur. Hæc ſitis, quæ nullo lenimento nullave humoris ingurgitatione remittit, medico ſuſpecta eſſe, eumque præſentis morbi commonefacere debet: quod partes exteriores moderatè calentes, aut ſubfrigidæ appareant, aut certe tantum calorem, qui tam magnam refrigerationem deſideret, non obtineant: ut circa cor atque interiora viſcera abſconſum hærere malignum calorem, qui ſe ad partes exteriores non diffundat, ſitis intolerabilis luculenter demonſtret. *Thucydides* de peſte *Attica* refert, infectos admodum ſitiviſſe, & jucundiſſimum ægris fuiſſe, in gelidam aquam & puteos ſeipſos abjicere, cuſtode remoto, ſiti inexpleta adductos. Idem confirmat *Lucretius lib. 6. de rer. nat.* ſequentibus.

Multi præcipites lymphis putealibus altè
Inciderunt, ipſo venientes ore patente:
Inſedabiliter ſitis arida corpora merſans
Æquabat multum parvis humoribus imbrem.

Et paulo poſt.

Multa ſiti proſtrata viam per, proq; voluta
Corpora ſilanos ad aquarum ſtrata jacebant
Interclusa animâ nimia ab dulcedine aquai.

Interdum in tanto viſcerum incendio ſitis nulla excruciat, morbo jam progreſſo, quamvis lingua ſiccitate areſcat, & fuligine obducta

text. 47. eosque *κακοηθεστάτους* eſſe dixit in *Coac. t 33.* Hinc conſectariæ cordis palpitationes ac tremores ægros affligunt, eo crebriores heic, quam in aliis morbis; quod purpuræ venenata vis cordi præcipue adverſa ſit: quæ dum cor lancinat, evanidis ac conſumptis ſpiritibus ſuccedunt crebra animi deliquia, horumque tandem conſectaria ſyncope, potentiſſima ſigna præſentis morbi virulentiæ demonſtrandæ; quod tanta tamque gravia ſymptomata non niſi gravibus cauſſis naſcantur. Qua de re ſæpe argumento ſunt dicta ſymptomata, victam morboque imparem factam naturam, ut non ſit tanto oneri amplius ferundo: unde mors inſperata aliquando ægros jugulat; ſumma veneni pernicie: quod ſimulata lenitate aliquandiu blandiens ſubitaria facta eruptione ad cor, momento interdum ægrotos conficit. Sic quoſdam hoc morbo detentos, cum abuſu alexiteriorum melius jam habere ſibi aliiſque viderentur, palpitatione cordis, animi deliquiis, aliiſque gravibus accidentibus repente correptos intra horam naturæ conceſſiſſe obſervavi.

CAPUT XIV.

Signa ab actionibus animalibus læſis examinata.

PRincipes animæ facultates plerumque heic graviter læduntur, ut interdum imaginatio, interdum ratio, ſæpe utraque ſimul corrumpatur, & ægrotos non tantum abſurda loqui; ſed & facere crebro contingat. Quod etſi aliis febribus familiare ſit, in quarum augmento ac ſtatu creberrima apparent deliria; illud tamen ſingulare purpura obtinet, ut, cum in cæterarum febrium maximis caloribus conſpiciantur, neq; incidere poſſint, niſi in febre vehementi, ut C. *Celſus* teſtatur *lib 3. de re med cap. 18.* quæ plerumq; brevia eſſe coſueverunt, ut levato acceſſionis impetu protinus mens redeat, heic nullo prope aut levi ac contemnendo calore deliria ſuperveniant, quæ nō niſi penitus victo morbo tollantur, ita tamen, ut veſti-

veſtigia emotæ mentis longo tempore adhuc inhæreant, ac caput grave eſſe & turbari, ac ad ſeria meditanda ſe ineptos eſſe diu poſteà ægroti conquerantur, evidentiſſimò argumentò, non ſimplici calore, qualis cæterarum febrium eſt, ſed altiori cauſsâ, quæ invicta diu perſtet, malignitate ſcilicet purpuræ, mentem fuiſſe turbatam.

Accidit autem παραφροσύνη purpuratis, quotiens maligni vapores ad cerebrum ex ſubjectis partibus ſublati illud valide afficiunt, turbatis atque incenſis purpurati veneni maligno calore ſpiritibus animalibus. Interdum phrenitidem excitari contingit à pravè corrupta bile in cerebrum ejusque membranas effuſa: ut in phrenetico illo, qui à qualitate ſuccorum virulentium, non à phrenitide, tertia die peremptus 3. *epid. ſ. 3. text. 75.*

Delirii cauſſa & ſignum ſunt vigiliæ perennes, raptu humorum & vaporum in caput, dum calore & maligna qualitate ſpiritus agitantur, obortæ: quæ maximè heic ſuſpectæ ſunt, nullo fere calore retorrido præſente, (qualis in aliis febribus eſſe ſolet,) unde inquies illa nocturna produci poſſit. Quod ſi feſtucas ægri colligere videantur, futuri aut jam præſentis delirii aut phrenitidis ſignum eſt teſte *Galeno comm. 1. progn. text. 23.*

Tremor manuum delirio ſæpe conjungitur, manifeſto malignitatis indicio, authore *Hippocrate lib. 1. prorrhet. aph. 14* lethalique ut plurimùm ſigno, quod arguat naturæ maximam debilitatem, atque exolutum ſpirituum animalium robur, ut licet ſanguis ſpiritusq; calore præternaturali incaleſcant, ſuſtinendæ tamen corporis moli impares fiant. Quod ſi lingua tremula ſit, ſignum eſt mentis non firmæ docente *Hipp. 1. prædict.*

At ſi purpuræ venenum in cerebrum delatum acrimoniam ſecum gerat, idque ad nervorum principium deferatur, convulſiones ſequuntur graviſſimæ, ægrotum ad mortem ocius præcipitantes: quas tremores membrorum, eorumque leves & momentaneæ ex intervallis contractiones prænunciare ſolent, inluſtri documentò, nervoſum genus purpuræ prava qualitate jam affici, cujus ſtimulis partes compunctæ verſus principium ſuum convellantur.

Interdum purpuræ malignitas narcoticam ſecum gerit qualitatem, ut ſpiritus potius conſopire, ægrosque ad ſomnum pronos reddere

Digitized by Google

reddere ſoleat, tantâ interdum veneni veternoſi malitiâ, ut ægri expergiſci poſtea nunquam poſſint, dum tandem rerum omnium penitus obliti ſomnum nimis longum dormiant. Veneni hujus natura priori contraria eſt, & ut illud humores ac ſpiritus incendit, ac ferocire facit; ita hoc eoſdem cogit, coagulat, refrigerat, & in ſomnum proclives facit, ut aſpidis, quæ propterea *hypnale* à *Solino* vocata *cap. 40.* peremptoriam vim referre videatur: quam *Cleopatra Ægypti Regina*, mori jam certa, præ cæteris dilegit venenis, (quorum illa teſte *Plutarcho* vim compertiſſimam habebat) quod cætera venena majore ſymptomatum atrocia, has ſine convulſione, (*frontem tamen aſidue convelli* docet *Actuarius lib. 6. m. m. cap. ult.*) dolore aut gemitu, ſomno obnoxios, ex quo ne excitari quidem cupiant, interimere cognoviſſet: admotis enim ad venas ſerpentibus, quaſi ſomno ſoluta, teſte *Floro lib. 4. cap. 11. Æliano lib. 9. hiſtor. cap. 11. & 61. Plutarcho in M. Antonio. Galeno d. theriaca ad Piſonem cap 8.* qui Alexandriæ receptum morem fuiſſe ſcribit, ut capitis damnatos, quos humanius tractare, nec lenta morte excarnificare vellent, appoſitâ pectori aſpide interimerent. Namque celerrimum hujus eſt venenum, quod ſanguinem in arteriis ſuo frigore coagulet, ut inter levia ſymptomata mors prehendat, ne diei quidem tertia parte interpoſita, ut teſtatur *Actuarius loco allegato.*

Singulare huic ſymptomati eſt, & quod idem à ſe ipſo in aliis morbis oborto diſcernere poſſit, non per acceſſiones febriles obrepere, iisq; levatis ceſſare; quale quid in febrium quarundam paroxyſmis contingere interdum ſolet, ſed toto perſtare morbo, ut etiam eo ſublato diu poſtea mens priſtinum vigorem reciperare non valeat. Equidem in hac conſtitutione epidemica vim iſtam narcoticam plures dies ac ſeptimanas reſtibilem durare memini, manifeſta licet morbi remiſſione, ut ſui ipſorum, rerumque agendarum immemores facti longo tempore iſtum mentis ſtuporem non inviti teſtarentur: quod ex truculentiſſima peſte Attica eluctatis obtigiſſe conſtat ex *Thucydide*, ut omnium rerum, neceſſariorum quoque, & ſui ipſorum fuerint obliti. Et *Lucretius lib. 6. de rerum nat.*

Atq; etiam quoſdam cœpere oblivia rerum
Cunctarum, neq; ſe poſſent cognoſcere ut ipſi.

Aliquan-

Aliquando ægros prehendit κῶμα συνεχὲς οὐχ ὑπνῶδες ſopor perpetuus non ſomnolentus, ut in illa peſtilenti conſtitutione apud *Hippocratem 3. epid. ſ. 3. t. 39.* Græcis κῶμα ἄγρυπνον dicitur, teſte *Trallisano lib. 1. cap. 13.* quo authore, itemq; *Ægineta lib. 3. de re med. cap. 6.* & *Galeno 1. in 1. prorrhet. comm. 1.* affectus hic ex bile & pituita inter ſe commixtis oritur: quarum illa ægros continuò excitet, hæc ad ſomnum pronos efficiat, ita ut clauſis oculis dormire videantur, cum tamen vigilent. *Galenus* ex phrenitide & lethargo mixtam affectionem eſſe, & *Hippocrati* aliiſque *Typhomaniam* dictam exiſtimat. Hinc ſigna lethargo & phrenitidi quodammodo communia eſſe voluit *Ægineta l. 3. d. re med. cap. 10.* ita tamen, ut juxta prædominantem materiem varient. Vigilant enim ſimul, ut *Trallianus loco allegato* docet, & in altum ſoporem deferuntur, rurſumque paulatim delirant, & ſomno alto ſoporoſoque preſſi cum tumultu excitantur, & illis, qui ipſis loquuntur; inordinata verba & inſaniam teſtantia reſpondent.

Symptoma hoc aliis morbis infrequens, heic aliquoties mihi viſum veneni purpurati malignitatem oppidò demonſtravit, cujus admirandæ operationi id potiꝰ adſcribemus, quam bilis & pituitæ inter ſe remixtarum conjunctis operationibus: quod affectus iſte etiã in illis obſervatus fuerit, in quibꝰ nulla peccantis bilis aut pituitæ excuſatio adferri poterat. Quare in re obſcura inveſtiganda ἀναλογισμῷ commodè utemur conſimilium aliorum venenorum, quorum aliqua in profundum ſomnum conjiciunt, qui tamen inquietus ſit, variiſq; ſpectris turbetur; ut in hyoſciamo, ſolano manico, lolio &c. id fieri videmus: illa n. præterquam quod deliros homines faciant, ſomno profundo eoſdem ſimul gravant: quod, cum natura ſua καρηβαρικὰ ſint, impuros craſſoſque ac frigidos vapores ad cerebrum effundant, ſpiritus offuſcent, & impuritate ſua inquinent, variiſque ſpectris mentem inquietent. Cujus rei exemplum in *Ægyptiis* videre licet, qui referente, *Proſpero Alpino lib. 4. de medicina Ægyptiorum cap. 1.* & *2.* opium, item electuarium bernavi ex proximis Indiis delatum, ut & Bers Boſã, & cannabem accipere ſolent: quorum beneficio pulcherrima viridaria, formoſiſſimas laſcivienteſq; puellas, militibus bella in ſomniis offerri dicunt. Sic *de ſimilace hortenſi Dioſcorides*

Z

ſcorides lib.2 cap.140. memoriæ prodidit, ſiliquam ejus coctam cum ſemine tumultuoſa ſomnia facere. Pari modo & purpuræ venenum interdum ægros κωματώδεις efficit, ſimulque παραφρονοῦντας, ut exterius quidem ſpeciem dormientium referant; oblatarum tamen ſpecierum vis phantaſiam quieſcere non ſinat: Quapropter ut veneni purpurati qualitas magis fuerit narcotica; ita decumbentes ſopor magis detinebit: quod ſi majorem analogiam ad παραφροσύνην habeat, in ſoporatis deliramenta magis elucebunt.

Accidit etiam non raro in his aliiſque morbis ægris ſimulatum ſomnum obrepere, viribus extremè debilibus, ut palpebræ ſe committant; ſive quod humorum ad palpebras fiat decubitus, ſive quod virtus motrix ignavior ſit, quam ut eas attollere & apertas ſervare queat, totali conjuncta ἀγρυπνίᾳ ob morbi vitium: ubi natura quidem ſe componit ad ſomnum; ſed ob cauſſæ morbificæ præſentiam, & quod grata illa ἀναθυμίασιν vaporum cerebrum deſtituatur, ſomni particeps fieri non poteſt. *Galeno 3. epid. comm.1. text. 7.* umbratilis hic ſomnus pro argumento eſt extremæ debilitatis: quod & morientium oculos ſubconnivere videamus: quemadmodum etiam intolerabilibus doloribus, alvi fluoribus, hæmorrhagiâ nimiâ exhauſtis ſpiritibus palpebras committere, ſpeciemque dormientium infirmi præ ſe ferre videntur. Si tamen ita affectos fixa & ſtabili oculorum acie quis intueatur, oculos ſub ipſa palpebra moveri comperiet.

Senſus exteriores præſentis morbi etiam quaſdam notas dabunt: vividus enim & amœnus oculorum color perit, qui ſpirituum penuriâ flacceſcunt, vel torvum tuentur, flammeique ac rubicundi apparent, ut de peſte Attica referunt *Thucydides l. 2. belli Peloponn. & Lucretius lib.6. d. rer. nat.* Hinc eorum qui peſte tenentur, oculos accuratè contemplari *Galenus* jubet *3. d. præſag. pulſ. cap. 4.* quod inter lavandum manifeſtè reddantur calidi & flāmei, talesq; permaneant, quos plane peſte teneri autumat. Iſta vero oculis accidere arbitror, quod purpurati veneni malignitas ſpirituum opticorum ἔκλαμψιν lucemq; extinguat, ac nebuloſos vapores oculis ſuffundat, atque ex ſubjectis retorridis viſceribus maligni atque acres vapores ſurſum expirent, unde oculos torvum tueri, pariterque inflammari

mari, & varias rerum ſpecies, imminentis delirii augurio, iis obverſari contingat. Interdum oculi inviti lachrymantur, caligant, penituſque aliquando cæcutiunt, (quod poſtremum in *Nobiliſſimiq; Viri Dn Johannis Rantzovii, Equitis Holſati ſplendidiſſimi, Hæreditarii in* Netwhauß & Satiewitz villici *VVohnrovii* uxore illis temporibus adverti,) ſi vis veneni humores ſeroſos in canthis oculorum fundat, ſpiritus viſivos conſumat; aut adſcenſu perenni vaporum humorumve decubitu nervi optici obſtruantur.

Frequens his morbis eſt aurium tinnitus ac ſuſurrus, varius, pro irruentis venenati humoris vaporumque diverſa materia, varioque impetu: inde enim modo magis, modo minus aurium tinnitu, ſibilo aut ſuſurris ægri moleſtantur: hi tamen affectus à ſeipſis, aliarum febrium ſymptomatis differunt, quod nulla intervalla præſtent, contumaciſſimeq; ægris adhæreant, cum venenum quadam inclinatione caput petat. Quin ſæpe maligni humoris aut vaporum copia adeo intus luxuriat, ut auditum penitus intercipiat, atque aliquando *βαρηκοΐα* & *κώφωσις* longo poſt tempore maneat morbo aliiſque ſymptomatis univerſis ſublatis, ut in *Johanne VVeida, Conſule Sacri portus*: qui, cum morbo jam exacto plures menſes aurium ſuſurris continuis afficeretur, auxiliis convenientibus adhibitis, inprimis vero crebris ſudoribus, naturæ ſponte excitatis, à moleſtia illa penitus liberatus.

Ita lingua in purpuratis alienos ſapores exprimet, verumq; rerum oblatarum guſtum pervertet, aut nullum plane obducta fuligine percipiet: quod peregrinum humorem jam biberit. Vox clangoſa ſæpe eſt & acuta, dum maligno calore organa vocis ſiccantur: anguſtiore enim effecto larynge, vox acuta redditur & *κλαγγώδης*, ſi ſiccitas organorum intendatur ut ſentit *Galenus in 1 prorrhet. comm. 12. ſect. 2.* Id verum eſſe & ex humidis locis graviorem, ex fervidis locis acutiorem reddi ſonitum ſolidè demonſtravit *Vitruvius lib. 6. architect. cap. 1.* propoſito exemplo *duorum calicum, in una fornace æquè coctorum, ejuſdem ponderis & ſonitus*, ſi pulſentur: quorum alter in aquam dimiſſus, rurſusque extractus, ſi pulſetur, diverſum ab altero ſonitum reddere, neque ejuſdem ponderis eſſe obſervatur. Quam cauſſam idem arbitratur, cur hominum corpora *alia propter regionis*

 ardo-

Digitized by Google

ardorem acutum ſpiritum aeris exprimant: alia propter humoris abundantiam graviſsimas effundant ſonorum qualitates.

Et odoratus ſuas patitur ſæpe noxas, ut vi veneni penitus deſtruatur, aut illæſo adhuc ſentiendi principio, non raro intus genitæ putredinis δυσωδίαν æger percipiat.

In tactu triſtis ille ſenſus, dolor, variis locis percipitur, & univerſa membra corporis quaſi confracta & conquaſſata apparentſimò neque quieſcere, neque minimum moveri poſſunt ſine laſſitudinis perceptione: ut vel ex hoc ſuſpicari medentibus liceat, ſubeſſe altiorem mali cauſſam: cum levi calore, ſymptomatisque cæteris fere contemnendis, ita delaſſari membra contingat: quod virus purpuræ quoquoverſum exhalans inexplicabili ſua qualitate membra labefactet, doloremque in illis, etiam exacto morbo aliquamdiu durabilem, cauſetur. Hinc & febres κοπιώδεις ab *Hippocrate in Coacis* damnantur, quæ ſcilicet non ἐκ πόνων ex laboribus muſculorum oriuntur, ſed quæ κόπον αὐτόματον ſua ſponte obortum conjunctum habent. Capitis vero dolor præcipuus eſt, qui ægros infeſtat; interdum gravativus, quaſi ab incumbente mole quadam premerentur; ſæpe gravis & acutus: ſoletque dolor in ipſo principio, ſecus quàm in aliis febrib⁹ accidit, validè affligere, totoq; perſtare morbo, & inclinata in melius valetudine etiã dum moleſtare, ob halitus pravos ex maligna materià ad caput aſcendentes, quorum deleteria vis aliquamdiu indeleta hæret: namque ad caput vis omnis morbi ſua ſponte ruit, graviſſimisque affectibus illud infeſtat; ut inde Germanam hujus morbi appellationem die Hauptkranckheit diductam arbitrer. Syncipitis autem dolores heic ægri inprimis queruntur, quod illic, ut notat *Palladius Sophiſta comm. in 6. epid. p. m. 154.* meningum partes ſuturis interjectæ ſint, quæ calore, acrimoniâ, copia ac malignâ adſcendentium vaporum qualitate vellicantur, ac diſtenduntur: præterquam quod ſuturæ illic raræ ſint, cranium tenuiſſimum, multisque poris pervium, tenuiumque vaſorum illic deſinentium magnus adſit numerus; (unde à ſyncipite plerumque incipit ſudor,) quamvis & per medias quaſvis corporis regiones ad caput expirare malignus humor poſſit. Lumborum dolor creberrimus pariter in hoc morbo eſt, quod principes venæ illuc decurrant; quæ cum infecto

infecto ac corrupto ſanguine repletæ ſint, ſubjectæ partes maligni humoris pravitate graviter afficiuntur. Hunc lumborum dolorem *Aetius lib.5. de re med. cap. 127.* ferè in malignis febribus à principio contingere, eumque, ſi perſeveret, maximas turbulentias afferre, ſi repente remittat, periculoſiorem adhuc morbum ſignificare docet.

Ex ſymptomatis facultatis motricis inquies membrorum purpuratis maximè familiaris eſt; dum inſtar *Homerici Achillis*, modò proni, modò ſupini in varios habitus ſe componunt, &, (quod proprium alias ægrotantium eſſe *Seneca lib. d. tranquill. anim. cap.2.* dicebat,) nihil diu pati & mutationibus, ut remediis, uti ſolent. Inquies iſta membrorum in peſte *Attica* à *Thucydide* notata, & ab *Avicenna* inter ſigna peſtilentiæ relata *lib. 4. fen. 1. tr. 4. cap.2.* Dicuntur tales ægroti *ἀλύειν Galeno 7. aph. comm. 56.* qui nec decubitum ferunt, nec lecto acquieſcunt, ſed formas mutant, quia præſens ſemper gravis eſt & moleſta: quemadmodum ſecunda valetudine eos dicunt *ἀλύειν*, qui præſentium offenſione & tædio errabunda ſemper ſunt mente & incerta, atque ad alias ſubinde aliasque tranſeunt tum res, tum actiones. Hinc *ἀλύκη Galeno* dicitur quaſi tædium & diſplicentia ſui. Et *ἀλυσμὸς Galeno in exegeſi dict. Hippocr.* vocatur *ἄλυσις ϗ ἀπορία καὶ ῥιπτασμός* animi anxietas, corporis disjectio & inquietudo: ut etſi ad animi anxietatem hæ voces in his aliisque morbis applicentur; ad inquietudinem tamen præſentem eas ſimul accommodare liceat. Sunt quidem ægri in aliis affectibus aliquando inquieti, e. g. in ſtomachi vitio, quando ille pravis acribus & malignis humoribus obſidetur, qui os ventriculi lancinant, ſecundum *Galenum 7. aph. text.56. & 1. progn. comm.16.* quorum ſic affectorum nauſeam ſignum ponit *1. prorrhet. comm. 2. text. 44.* talis enim *ἀλυσμὸς ναυτιώδης* eſt. Et in inſtantibus criticis evacuationibus anxietatem & inquietudinem membrorum præcedere notum eſt medicinam facientibus. Quò reſpexit ſummus Præceptor *2. aph. text. 13.* dum noctem, quæ criſin antecedit, graviorem eſſe dixit, quod natura pravam materiam excluſura, toto corpore humores commoveat; quibus commotis ſimul pravi humores agitantur, unde & turbari corpus, & ægrotos malè moleſtèque habere docuit *Galenus ejuſdem loci commentario.* Inquietudinem quoque membrorum levibus de cauſſis in aliis morbis

patiuntur natura inquieti, molles, nulliſque malis aſſueti, ut pueri, aliique delicatuli: quam & mente mota ægris accidere videmus. Sic inquietari aliquando videmus morti proximos, qui ſeu delirio, ſeu abſque illo ad latera lecti devolvuntur, pedeſque nudare, lecto, inde quaſi ſurrecturi, ſe erigere, ac niſi contineantur, paulo poſt præcipites labi ſolent. Qui ἀλυσμὸς ἀτιμιςὸς eſt, nec vomitum conjunctum habet, ſed, oppreſſa virtute membrorum à corporis gravitate, atq; interiori calore, oboritur; quare ægri & jactare membra, & nudare ſæpius cupiunt. Quo ſpectare videtur *Galeni* locus *com.1, progn. text.16.* ubi & ob virium debilitatem aliquando infirmos inquietari monet. At in febribus purpuratis toto fere morbi tempore non ſolùm, ut dixi, animi anxios laſſitudine quaſi quadam conquaſſata & defatigata membra habere, ſed & inquietos eſſe infirmos, omneſque decubitus moleſtè ferre videmus, non calore, qui inter initia & progreſſo morbo non adeo validus eſt; ſed maligna veneni purpurati qualitate, quæ nervis ac nervoſis partibus ineffabili quodã modo, quem verbis ægri ſatis ſignificare nequeant, infeſta eſt, ut remediũ in loco quærere cupiant. Quo ſpectat proximus *Hippocratis* locus *progn. text.16. Si nudos habeat pedes nec admodum calidos, ac manus collum, crura diſpergat inæqualiter, ἀλυσμὸν σημαίνει.*

Reſpiratio in purpurâ cum difficultate plerumque trahitur, quamvis febris lenis ſatis videatur, nec, præſertim morbi principio, magni incendii notæ tum adſint; nec in pectore viciniſq; partibus reſpirationi ſervientibus noxa deprehendatur, nullaque tuſſis comitetur: ut purpuræ præſentiam hinc conjectare prudens medicus poſſit, quæ facultatem animalem lædat, & interiora maligno calore amburat; ut cor oppreſſum refrigerium ſui poſtulet, malignamq; fuliginem excludere magno reſpirationis conatu allaboret: cui rei cum pro neceſſitate ſatisfacere non poſſit, citra aliquod inſtrumentorum vitium reſpiratio increbreſcit. *Thucydides* in ſui temporis peſtilentiâ per πνεῦμα ἄτοπον, ſpiritum inſolentem, hanc δυσπνοίαν expreſſit, quod nullis, ut dixi, reſpirationis organorum vitiis, nulloque exterius calore inuſitata fieret ſpiratio, magna ſcilicet & crebra. Sic *Avicenna lib. 4. fen. 1. tract. 4. cap. 2.* inter ſigna peſtis dyſpnœam collocavit, *Et eſt*, inquit, *cum eâ magnitudo anhelitus & ejus exaltatio, & con-*

& conſtringitur multum & curtatur multum, & fit frequens. Et *Rhaſes tract.10. ad Almanſ.cap.16.* in febribus, quæ ex peſtilentia accidunt, anhelitum augmentari & ſpiſſum fieri teſtatur. *Hippocrates* noſter talem reſpirationem πνεῦμα θολερὸν videtur appellare, *1. prædict. aph. 36.* i. e. ut *Galenus in exegeſi vocum Hippocratis* explicat μέγα καὶ δεδιωγμένον ſpiritum magnum & concitatum, item turbidum & halituoſum, ut interpretes *Hippocratis* reddidere teſte *Galeno in dicti textûs commentario*: talis enim ſpiritus magnâ & concitatâ expiratione emittitur, viſcerumque incendium & cordis maximam anguſtiam ſpirituumque vitalium impuritatem ſignificat: qui alias lucidi cum ſint & ætherei, in purpura pravâ morbi qualitate corrumpuntur, aliisve noxiis fuliginibus & vaporibus permiſcentur: unde, cor calore maligno æſtuans, atque impuris craſſiſque fuliginibus oppletum ſupremo conatu dum reſpirat, ſpiritus turbidus, craſſus & halituoſus redditur. Reſpirationem frigidam etiam heic in medio morbo nonnunquam advertere licebit, maximo malignitatis argumento, veneni ſcil. deleteria qualitate vitalem calorem in corde jam eſſe extinctum. Sæpius ægri animam male olentem habent: *Thucydides* πνεῦμα δυσῶδες vocat. Quod & *Lucretius* in peſte Attica teſtatus, dum ait,

Spiritus ore foras tetrum volvebat odorem,
Rancida quo perolent projecta cadavera ritu.

Et *Galenus 3. d. præſag. pulſ. cap.4.* fœtentem expirationem ægrotantium tanquam ſignum peſtilentiæ vel à vulgò notari aſſerit. Confirmat *Rhaſes loco allegato*, anhelitum & quicquid à corpore egreditur, valde fœtida ſenitiri memorans. Ego cadaveroſum fœtorem expiratione, ſudore, itemque inſenſili tranſpiratione toto corpore prodeuntem in purpuratis febribus ſæpius obſervavi, clariſſimo documento maximæ putredinis: iſta n. ſi in corde partibusq; vicinis hæreat, (cum δυσωδίαν τῆς σήψεως σημεῖον eſſe conſtet,) fœtorem anhelitus naribus adſtantium ſuffundi videmus. Quem, ut præcipuum peſtiferæ febris indicem, propoſuere *Nicol. Maſſa de febr. peſtil. tract. 1. cap. 6. Petrus Salius Diverſus de febr. peſt. cap. 19. Herc. Saxon. lib. 8. de febr. cap. 37.*

CAPUT

CAPUT XV.

Sign a naturalis facultatis affectæ examinat.

NAturalis œconomia cum in hoc morbo maximè laboret, ejus læſæ τεκμήρια medenti conſtabunt: namque appetitus plane proſtratus eſt, ut quoſvis cibos, etiam ſuaviſſimos, quorum uſu olim maximè oblectabantur, infirmi faſtidiant, ac primis labris receptos expuant; alii ne guſtare quidem eos velint: alii eorum præſentiam pati non poſſint, adeo, ut ad nomen eorum trepidare quaſi, & maximè commoveri videantur. *Hippocrates lib. 3. epid. ſ. 3. text. 58.* in *Aſiatica* graviſsimâ peſtilentiâ hanc ἀποσιτίαν notavit, omnesq; in quos tum incidit, quocunque illic dictorum morborum genere detinerentur, cibum faſtidiviſſe memorat. Idem quoque in diuturnâ peſtilentiâ, cujus aliquoties in ſuis ſcriptis meminit, contigiſſe *commentario loci citati Galenus* teſtatur, adeo ut ex his plurimi mori, quàm comedere, prius duxerint, quod iiſdem vitio ventris accidiſſe ſcribit, cum hujus opus ſit ciborum appetentia. Confirmant *Avicenna lib. 4. fen. 1. tract. 4. cap. 2. P. Salius Diverſus de febre peſt. cap. 17. Thomas Jordanus de peſtis phænom. Zacutus*, qui *lib. 3. prax. admir. obſer. 40.* anno milleſimo ſexcenteſimo quarto plures ex eodem contagio peſtilenti infectos, hoc ſymptomate detentos, intra quartum diem animam efflaſſe narrat. Purpura enim ut in aliis accidentibus, ita & in hoc peſtis peſtilentisque febris æmula eſt; in qua appetitum in ipſo morbi limine languere vidi; ut & ipſi ægri in admirationem ejus rei raperentur, & non niſi inviti toto morbo quid guſtare vellent. Maligni enim vapores purpuræ ad ſuperius ventriculi orificium, in quo omnis appetentiæ ſedes, delati, venenatâ ſuâ qualitate exquitiſsimum ejus ſenſum deſtruunt, ut inanitis venis, atque inſtaurationem ſui poſcentibus, alimenti penuriam non ſentiat, unde vis appetitrix reſolvitur: qua ſublatâ & emortuâ ſequitur ἀνορεξία omnium ciborum, docente *Galeno 2. in 3. epidem. comm. 3.* ut *in Euryanactis* filia, & *3. in 3. epid. comm. 72.* Hæc alimentorum ἀποσιτία etſi aliis in morbis creberrimè accidat; iſtorum tamen princi-

principio affectus hic levior plerumque eſt; ut, nullo fere calore, qui in aliis febribus appetitum deſtruit, levibusque aſpectu ſymptomatis, tantum tamque ſubitarium obrepere omnium eſculentorum faſtidium, mirari, & auguria præſentis jam purpuræ inde accipere, merito quis poſſit.

Sitis inexhauſta, qualis ardentium febrium eſt, purpuratos excruciat, atque nulla ſæpe potione levatur, quod non in ventriculo, ſed corde pulmonibusque, aliisve locis, quo vis refrigerii penetrare non poteſt, delitescat morbi minera; (inde vero expirantes acres & malignæ fuligines orificium ventriculi torrent, ſitimque inexpletam cauſſantur) aut quod maligna purpuræ qualitas, cui calor conjunctus, occulta qualitate operetur, &, ut agendo potentiſſima, ita ubi jam radices mora in corpore nacta fuerit, curatu difficilima, non manifeſtà qualitate alterantibus, quanta quanta demum refrigeratio facta fuerit, tollatur. Hæc ſitis, quæ nullo lenimento nullave humoris ingurgitatione remittit, medico ſuſpecta eſſe, eumque præſentis morbi commonefacere debet: quod partes exteriores moderatè calentes, aut ſubfrigidæ, appareant, aut certe tantum calorem, qui tam magnam refrigerationem deſideret, non obtineant: ut circa cor atque interiora viſcera abſconſum hærere malignum calorem, qui ſe ad partes exteriores non diffundat, ſitis intolerabilis luculenter demonſtret. *Thucydides* de peſte *Attica* refert, infectos admodum ſitiviſſe, & jucundiſſimum ægris fuiſſe, in gelidam aquam & puteos ſeipſos abjicere, cuſtode remoto, ſiti inexpleta adductos. Idem confirmat *Lucretius lib. 6. de rer. nat.* ſequentibus.

Multi præcipites lymphis putealibus altè
Inciderunt, ipſo venientes ore patente:
Inſedabiliter ſitis arida corpora merſans
Æquabat multum parvis humoribus imbrem.

Et paulò poſt.

Multa ſiti proſtrata viam per, proq; voluta
Corpora ſilanos ad aquarum ſtrata jacebant
Interclusa animâ nimia ab dulcedine aquài.

Interdum in tanto viſcerum incendio ſitis nulla excruciat, morbo jam progreſſo, quamvis lingua ſiccitate areſcat, & fuligine obducta

rimas agat, ut *Hermocrati* contigit *lib. 3. epid. ſect. 1. ægroto 2.* emortuâ jam facultate naturali, quâ cibum & potum appetimus, juxta mentem *Galeni in loci adducti commentariis*. Hinc *lib. 1. epid. ſ. 2. text. 75.* inter ſigna mire exitialia ab *Hippocrate* relatum, ægros ſitim nullam in febribus ardentibus habere, ſi antea æſtuarint: quod virtus extincta præſentia mala non amplius ſentiat, ut arbitratur *eodem loco Galenus*. Sitis enim, quæ παραλόγως, non ſecundum rationem, in acutis morbis tollitur, mala eſt, authoribus *Hippocrate & Gal. 2. in 1. prorrhet. text. 22.*

Degluttiendi vis morbo præſertim jam adulto laborioſa eſt, ut ne potum quidem ſine difficultate in fauces transmittere poſſint, ob ſcabritiem linguæ & fuligines faucibus obductas; Germani die Breune vocant. Quin & membraneæ æſophagi fibræ à calore maligni hujus cauſonis aliquando exiccantur, ut inter deglutiendum conſtringi nequeant, nullo aſpectabili in faucibus graviori vitio: quod ſymptoma die Hertzbrenn Germanis dicitur, antiqua vocis uſurpatione, quâ orificij ventriculi noxæ cordi imputantur. Sed quis, niſi extremi ingenij medicus, non obſtupeſcat, tantam flammam hærere in viſceribus, ut lingua fauceſque amburantur, levi, aut nullo aut ne comparando, in ambitu corporis calore: ut non ſimplicem, ſed malignam febrem vel ſolo hoc indicio conjectare valeat. Quis nullo aut levi in faucibus impedimento, ne potum quidem ſine difficultate demitti poſſe, imò & reſpirationem difficulter trahi, non ſuſpicetur, gravius quid, quam quod ſenſibus comprehendi queat, heic ſubeſſe; quod, vergente in deterius morbo, omnem cibi potuſque, imo & liberioris aeris, aditum penitus intercipiat?

Vomitus in purpura frequens eſt, ut non tantum corruptos humores, ſed & quicquid eſtur, bibiturve, quemadmodum in peſte, nauſeabundus ſtomachus reddat: an quia vitioſi humores in ventriculo collecti, aut in hepate venisque meſaræi reſtagnantes & in ventriculum effuſi, eum ſtimulant ad excretionem? Qua in re, quia cum aliis morbis, in quibus iſta copia humorum exuperat, lues hæc convenire videatur, & in aeris vitio obortâ purpurâ humores noxij non ſemper intus reſtagnent, alia quærenda cauſſa eſt, cui vomitus crebrior imputari poſſit. Quare & hujus, ut cæterorum præſentis

morbi

Digitized by Google

morbi ſymptomatum, originem ex pernicioſa morbi purpurati qualitate, quæ, quocunque repit, partium ſolidarum temperamentum totamque ſubſtantiam corrumpit, deducemus: ut, cum variorum venenorum æmula ſit, e. g. antimonij, hellebori, virtute iſtâ emeticâ humores corrumpat, prolectet, & ad vomendum ventriculum impellat: quem prava qualitas veneni ſæpe adeo convellit, ut contracta imbecillitas plures dies perduret, nulliſque humoribus propulſis, inrito vomendi conatu ſe liberare ab iſta malignitate ſtomachus conetur. Fellis & humorum χολικαθάρσεις cum ingenti cruciatu in peſte Attica Thucydides obſervavit. In peſte enim ut omnia magis ſæva ſunt; ita vomitus pariter invaleſcit: qui tamen, ſuperato per alexipharmaca veneno, utrobique remittere ſolet.

Singultus vomitus conſectarius plerumque eſt in hoc morbo, quamvis & ſine eo creberrime heic occurrat, non ſola inanitione aut repletione productus, quæ veterum ſententia fuit, ut notum ex *Hippocrate lib. 6. aph. 39.* Cum authore *Galeno 8. med. ſec. loc. cap. 3.* etiam aliis cauſſis, ventriculi refrigeratione, acribus ſeroſis humoribus ac medicamentis ſtomachum rodentibus, ſingultus interdum oriatur, illiſque vomitû rejectis fere ceſſare ſoleat. Confirmat *Avicenna lib. 3. fen. 13. tract. 5. cap. 19.* Quo authore & cerebro ejusq; membranis vulneratis ſingultus accidit. Sic *Hippocrates de fractur: pag. m. 775.* In fracturis oſſium femoris & brachij, ſi os fractum eminens appareat, nec reponatur, *πυρετοὺς λυγγώδεας* cum nigritie partis ſupervenire dixit. Ubi pro λυγγυώδεας, λυγ[ſ]ώδεας, aut λυγμώδεας, aut λυγγώδεας *Foeſius* cum interpretibus legit. In ſyderatione quoque calcis Hippocrates *eodem de fracturis libro pag. m. 759.* præter alia ſymptomata febres λυγ[ſ]ώδεας ſingultuoſas ſupervenire retulit. Febris autem ſingultuoſa ex mente *Galen. 4. de diæta acut. text: 69.* ea dicitur, in quo ſingultus permanet, vel toto morbo cum febre exacerbatur. Qualis ſingultus in his malignis febribus frequens eſſe ſolet: quod maligni & acres humores & vapores ex parte quadam certa ac determinata aut toto corpore ad ventriculi orificium delati, firmiterque impacti, illud vellicent, naturamq; ad excretionem ſtimulent: cum & conſimilia venena dentur, quæ continentes ſingultus efficiant; quemadmodum de *Doryenio Dioſcorides lib. 6. cap.*

 6. &

6. & *P. Ægineta lib. 5. cap. 50.* ſuere teſtati. Ita inter alia peſtis Atticæ ſymptomata ſingultus, acrem excitantis ſpaſmum, qui in quibuſdam protinus, in quibuſdam ſerius, ſedaretur, Thucydides meminit. Unde *Lucretius.*

> *Singultusq́ frequens noctem per ſæpe diemq́,*
> *Corripere aſſiduè nervos & membra coactans,*
> *Diſſolvebat eos deſeſſos ante, fatigans.*

Cardialgiam hoc loco interponere mihi liceat de ventriculi affectibus agenti, quod ut plurimum eos comitari ſoleat. Cardialgiam autem voco orificij ventriculi dolorem, qui graviſſimus eſt in hoc morbo, ob inſignes ſexti paris nervos: quorum communione cum cerebro & corde, noxa cum dictis partibus facile communicatur. Unde non ſolum veteres partem illam *καρδίαν* vocarunt, eoque loco dolentes *καρδιαλγεῖν* dixerunt teſte *Galeno 4. aph: comm: 17.* & *65.* item *5. loc. aff: 6.* & *3. prog. comm: 30.* qui *loc: prog: cit:* ex Thucydide probat vocabuli hujus ſignificationem; ſed &, recepto jam loquendi more, vulgus *καρδιωγμὸς*, ſuperioris orificij ventriculi dolores, roſiones, & anguſtias, vocat, & locum affectum non cordis regionem, ſed eam, quæ ſub cartilagine enſiformi poſita eſt, vicinasque partes, digito medicinæ conſulto monſtrare ſolet: quem dolorem à vomitu ad tempus aliquantulum remittere infirmi ſentiunt. In peſte Attica detentis hunc cordis dolorem ac ſubverſionem cum fellis & humorum ἀποκαθάρσεις accidiſſe retulit *Thucydides.* Ubi notandum, affectum hunc orificij ventriculi à *Thucydide* pectori fuiſſe attributum, recepto illo ſeculi loquendi more, quo, quicquid intra coſtas continetur, in thorace ſitum dicebatur. Quo ſenſu *Hippocrates lib. de arte* jecur in thorace concludi ſcribit. Ut, cum ſub oſſe ξιφοειδεῖ ſit poſitum orificium ventriculi, illud vero ad thoracem pertineat, affectus hic ventriculi thoraci propterea deferatur. Quo ſenſu & hodie rude vulgus malè affecto ſtomacho in pectore mali noxam hærere, queri, & digito monſtrare, ſolet. Atque ita τὸ στῆθος metonymicè heic uſurpatur, contentum orificium ventriculi pro continente oſſe ξιφοειδεῖ accipiendo. Sic apud *Hippocratem Coac. 43.* περὶ στῆθος δῆξις καὶ πικρότης, κακόν, comitantibus bilioſis dejectionibus. Qui & στῆθος πόνους in epidemiis, & περὶ στήθεα πόνους in prorrhet: notavit. Sed

& τὸ

& τὸ σῆθος pro στέρνῳ ab *Hippocrate* accipitur, ut *lib. 1. περὶ ἄρθρων.* Μικρὰς δὲ κιγκλισμὸς τοῦ ἄρθρου τοῦ ἐν στήθει. Gingliſmus enim parvus eſt dearticulationis, quæ in pectore. Ut propterea *Thucydides* cum *Hippocrate* etiam partem, cartilaginem ſcilicet enſiformem, pro toto, ſtèrno ſcilicet, (quod pectoris nomine aliquando venit,) ſynecdochicè appellaſſe videri poſſit. Sed ad cardialgiam redeo, quam in lue Pannonicâ affectis pariter obſervavit *Thomas Jordanus de peſtis phænom: tract: 1. cap. 19.* ut manu quoque admotâ oſtenderint doloris regionem ſub ſterno, ad cartilaginem ξιφοειδῆ. *Ibi omnibus certe ἀντίτυπον quiddam* (verba ſunt authoris) *tenſentia & durities obſervabatur: quem locum ſi paulo ſummis digitis comprimeres, etiam ejulatu edito dolorem vehementem teſtabantur.* Cauſſam hujus ſymptomatis eandem cum vomitu, nauſea & ſingultu reperio, acres ſcilicet & bilioſos humores, ſeu illi longa die in corpore collecti ac ſubito in languentem ventriculum effuſi fuerint, ſeu venenata morbi qualitate corrupti contumacem cardialgiam excitarint, malignitatis charactere firmiter illi parti impreſſo: cum in hoc morbo ſæpe pauca materia vomitu rejiciatur, & tamen καρδιαλγία maximâ parte morbi perſeveret, nec convenientibus remediis adminiſtratis, quod alias fieri ſolet, facilè removeatur.

CAPUT. XVI.

In quo ſigna ab excretis accepta explicantur.

ALterum purpuræ ſymptomatum genus ab excretis deducendum; quæ variis locis effluunt, & vel quantitate, vel qualitate, vel utraq; peccantia, interdum toto genere aliena efferuntur: quamvis illa, quæ excerni conveniebat, dum ſuppreſſa retinentur, morbi hujus indolem pariter nobis ſignificare ſoleant.

Quin re ab excrementis alvi ordiar, quæ per *inferiorem gutturem* (ut loquitur *Plautus in Aulular:*) varia & copioſiſſima heic ex-

ardorem acutum ſpiritum aeris exprimant: alia propter humoris abundantiam graviſſimas effundant ſonorum qualitates.

Et odoratus ſuas patitur ſæpe noxas, ut vi veneni penitus deſtruatur, aut illæſo adhuc ſentiendi principio, non raro intus genitæ putredinis δυσωδίαν æger percipiat.

In tactu triſtis ille ſenſus, dolor, variis locis percipitur, & univerſa membra corporis quaſi confracta & conquaſſata apparent, imò neque quieſcere, neque minimum moveri poſſunt ſine laſſitudinis perceptione: ut vel ex hoc ſuſpicari medentibus liceat, ſubeſſe altiorem mali cauſſam: cum levi calore, ſymptomatisque cæteris ferè contemnendis, ita delaſſari membra contingat: quod virus purpuræ quoquoverſum exhalans inexplicabili ſua qualitate membra labefactet, doloremque in illis, etiam exacto morbo aliquamdiu durabilem, cauſetur. Hinc & febres κοπώδεις ab *Hippocrate in Coacis* damnantur, quæ ſcilicet non ἐκ πόνων ex laboribus muſculorum oriuntur, ſed quæ κόπον αὐτόματον ſua ſponte obortum conjunctum habent. Capitis vero dolor præcipuus eſt, qui ægros infeſtat; interdum gravativus, quaſi ab incumbente mole quadam premerentur; ſæpe gravis & acutus: ſoletque dolor in ipſo principio, ſecus quàm in aliis febrib⁹ accidit, validè affligere, totoq; perſtare morbo, & inclinata in melius valetudine etiã dum moleſtare, ob halitus pravos ex maligna materiâ ad caput aſcendentes, quorum deleteria vis aliquamdiu indeleta hæret: namque ad caput vis omnis morbi ſua ſponte ruit, graviſſimisque affectibus illud infeſtat; ut inde Germanam hujus morbi appellationem **die Hauptkranckheit** diductam arbitrer. Syncipitis autem dolores heic ægri inprimis queruntur, quod illic, ut notat *Palladius Sophiſta comm. in 6. epid. p. m. 154.* meningum partes ſuturis interjectæ ſint, quæ calore, acrimoniâ, copia ac malignâ adſcendentium vaporum qualitate vellicantur, ac diſtenduntur: præterquam quod ſuturæ illic raræ ſint, cranium tenuiſſimum, multisque poris pervium, tenuiumque vaſorum illic deſinentium magnus adſit numerus; (unde à ſyncipite plerumque incipit ſudor,) quamvis & per medias quaſvis corporis regiones ad caput expirare malignus humor poſſit. Lumborum dolor creberrimus pariter in hoc morbo eſt, quod principes venæ illuc decurrant; quæ cum infecto

Digitized by Google

nfecto ac corrupto ſanguine repletæ ſint, ſubjectæ partes maligni humoris pravitate graviter afficiuntur. Hunc lumborum dolorem *Aetius lib.5. de re med. cap.127.* ferè in malignis febribus à principio contingere, eumque, ſi perſeveret, maximas turbulentias afferre, ſi repente remittat, periculoſiorem adhuc morbum ſignificare docet.

Ex ſymptomatis facultatis motricis inquies membrorum purpuratis maximè familiaris eſt; dum inſtar *Homerici Achillis*, modò proni, modò ſupini in varios habitus ſe componunt, &, (quod proprium alias ægrotantium eſſe *Seneca lib. d. tranquill. anim. cap.2.* dicebat,) nihil diu pati & mutationibus, ut remediis, uti ſolent. Inquieta membrorum in peſte *Attica* à *Thucydide* notata, & ab *Avicenna* inter ſigna peſtilentiæ relata *lib.4. fen.1. tr.4. cap.2.* Dicuntur tales ægroti ἀλύειν *Galeno 7. aph. comm.56.* qui nec decubitum ferunt, nec lecto acquieſcunt, ſed formas mutant, quia præſens ſemper gravis eſt & moleſta: quemadmodum ſecunda valetudine eos dicunt ἀλύειν, qui præſentium offenſione & tædio errabunda ſemper ſunt mente & incerta, atque ad alias ſubinde aliaſque tranſeuntium res, cum actiones. Hinc ἀλύκη *Galeno* dicitur quaſi tædium & diſplicentia ſui. Et ἀλυσμὸς *Galeno in exegeſi dict. Hippocr.* vocatur ἄλυσις καὶ ἀπορία καὶ ῥιπτασμὸς animi anxietas, corporis disjectio & inquietudo: ut etſi ad animi anxietatem hæ voces in his aliiſque morbis applicentur; ad inquietudinem tamen præſentem eas ſimul accommodare liceat. Sunt quidem ægri in aliis affectibus aliquando inquieti, e.g. in ſtomachi vitio, quando ille pravis acribus & malignis humoribus obſidetur, qui os ventriculi lancinant, ſecundum *Galenum 7. aph. text.56. & 1. progn. comm.16.* quorum ſic affectorum nauſeam ſignum ponit *1 prorrhet. comm.2. text.44.* talis enim ἀλυσμὸς ναυτιώδης eſt. Et in inſtantibus criticis evacuationibus anxietatem & inquietudinem membrorum præcedere notum eſt medicinam facientibus. Quò reſpexit ſummus Præceptor *2. aph. text.13.* dum noctem, quæ criſin antecedit, graviorem eſſe dixit, quod natura pravam materiam excluſura, toto corpore humores commoveat; quibus commotis ſimul pravi humores agitantur, unde & turbari corpus, & ægrotos malè moleſtèque habere docuit *Galenus ejuſdem loci commentario.* Inquietudinem quoque membrorum levibus de cauſſis in aliis morbis

patiuntur natura inquieti, molles, nulliſque malis aſſueti, ut pueri, aliique delicatuli: quam & mente mota ægris accidere videmus. Sic inquietari aliquando videmus morti proximos, qui ſeu delirio, ſeu abſque illo ad latera lecti devolvuntur, pedeſque nudare, lecto, inde quaſi ſurrecturi, ſe erigere, ac niſi contineantur, paulo poſt præcipites labi ſolent. Qui ἀλυσμὸς δύσμε(?) eſt, nec vomitum conjunctum habet, ſed, oppreſſa virtute membrorum à corporis gravitate, atq; interiori calore, oboritur; quare ægri & jactare membra, & nudare ſæpius cupiunt. Quo ſpectare videtur *Galeni* locus *com.1, progn. text.16.* ubi & ob virium debilitatem aliquando infirmos inquietari monet. At in febribus purpuratis toto fere morbi tempore non ſolum, ut dixi, animi anxios laſſitudine quaſi quadam conquaſſata & defatigata membra habere, ſed & inquietos eſſe in infirmos, omneſque decubitus moleſte ferre videmus, non calore, qui inter initia & progreſſo morbo non adeo validus eſt; ſed maligna veneni purpurati qualitate, quæ nervis ac nervoſis partibus ineffabili quodã modo, quem verbis ægri ſatis ſignificare nequeant, infeſta eſt, ut remediũ in loco quærere cupiant. Quo ſpectat proximus *Hippocratis* locus *progn. text.16. Si nudos habeat pedes nec admodum calidos, ac manus collum, crura diſpergat inæqualiter, ἀλυσμὸν σημαίνει.*

Reſpiratio in purpurâ cum difficultate plerumque trahitur, quamvis febris lenis ſatis videatur, nec, præſertim morbi principio, magni incendii notæ tum adſint; nec in pectore viciniſq; partibus reſpirationi ſervientibus noxa deprehendatur, nullaque tuſſis comitetur: ut purpuræ præſentiam hinc conjectare prudens medicus poſſit, quæ facultatem animalem lædat, & interiora maligno calore amburat; ut cor oppreſſum refrigerium ſui poſtulet, malignamq; fuliginem excludere magno reſpirationis conatu allaboret: cui rei cum pro neceſſitate ſatisfacere non poſſit, citra aliquod inſtrumentorum vitium reſpiratio increbreſcit. *Thucydides* in ſui temporis peſtilentiâ per πνεῦμα ἄτοπον, ſpiritum inſolentem, hanc δυσπνοίαν expreſſit, quod nullis, ut dixi, reſpirationis organorum vitiis, nulloque exterius calore inuſitata fieret ſpiratio, magna ſcilicet & crebra. Sic *Avicenna lib. 4. fen. 1. tract. 4. cap. 2.* inter ſigna peſtis dyſpnœam collocavit, *Et eſt*, inquit, *cum eâ magnitudo anhelitus & ejus exaltatio, & con-*

Digitized by Google

& conſtringitur multum & curtatur multum, & fit frequens. Et *Rhaſes tract. 10. ad Almanſ. cap. 16.* in febribus, quæ ex peſtilentia accidunt, anhelitum augmentari & ſpiſſum fieri teſtatur. *Hippocrates* noſter talem reſpirationem πνεῦμα θολερὸν videtur appellare, *1. prædict. aph. 36.* i. e. ut *Galenus in exegeſi vocum Hippocratis* explicat μέγα καὶ ἐπειγόμενον ſpiritum magnum & concitatum, item turbidum & halituoſum, ut interpretes *Hippocratis* reddidere teſte *Galeno in dicti textus commentario*: talis enim ſpiritus magnâ & concitatâ expiratione emittitur, viſcerumque incendium & cordis maximam anguſtiam ſpirituumque vitalium impuritatem ſignificat: qui alias lucidi cum ſint & ætherei, in purpura pravâ morbi qualitate corrumpuntur, aliiſve noxiis fuliginibus & vaporibus permiſcentur: unde, cor calore maligno æſtuans, atque impuris craſſiſque fuliginibus oppletum ſupremo conatu dum reſpirat, ſpiritus turbidus, craſſus & halituoſus redditur. Reſpirationem frigidam etiam heic in medio morbo nonnunquam advertere licebit, maximo malignitatis argumento, veneni ſcil. deleteria qualitate vitalem calorem in corde jam eſſe extinctum. Sæpius ægri animam male olentem habent: *Thucydides* πνεῦμα δυσῶδες vocat. Quod & *Lucretius* in peſte Attica teſtatus, dum ait,

Spiritus ore foras tetrum volvebat odorem,
Rancida quo perolent projecta cadavera ritu,

Et *Galenus 3. d. præſag. pulſ. cap. 4.* fœtentem expirationem ægrotantium tanquam ſignum peſtilentiæ vel à vulgò notari aſſerit. Confirmat *Rhaſes loco allegato*, anhelitum & quicquid à corpore egreditur, valde fœtida ſenitiri memorans. Ego cadaveroſum fœtorem expiratione, ſudore, itemque inſenſili tranſpiratione toto corpore prodeuntem in purpuratis febribus ſæpius obſervavi, clariſſimo documento maximæ putredinis: iſta n. ſi in corde partibuſq; vicinis hæreat, (cum δυσωδίαν τῆς σήψεως σημεῖον eſſe conſtet,) fœtorem anhelitus naribus adſtantium ſuffundi videmus. Quem, ut præcipuum peſtiferæ febris indicem, propoſuere *Nicol. Maſſa de febr. peſtil. tract. 1. cap. 6. Petrus Salius Diverſus de febr. peſt. cap. 19. Herc. Saxon. lib. 8. de febr. cap. 37.*

CAPUT

CAPUT XV.

Signa naturalis facultatis affectæ examinat.

NAturalis œconomia cum in hoc morbo maximè laboret, ejus læſæ πλημμέλεια medenti conſtabunt: namque appetitus plane proſtratus eſt, ut quoſvis cibos, etiam ſuaviſſimos, quorum uſu olim maximè oblectabantur, infirmi faſtidiant, ac primis labris receptos expuant; alii ne guſtare quidem eos velint; alii eorum præſentiam pati non poſſint, adeo, ut ad nomen eorum trepidare quaſi, & maximè commoveri videantur. *Hippocrates lib. 3. epid. ſ. 3. text. 58.* in *Aſiatica* graviſsimâ peſtilentiâ hanc ἀποσιτίαν notavit, omneſq; in quos tum incidit, quocunque illic dictorum morborum genere detinerentur, cibum faſtidiviſſe memorat. Idem quoque in diuturnâ peſtilentiâ, cujus aliquoties in ſuis ſcriptis meminit, contigiſſe *commentario loci citati* *Galenus* teſtatur, adeo ut ex his plurimi mori, quàm comedere, prius duxerint, quod iiſdem vitio ventris accidiſſe ſcribit, cum hujus opus ſit ciborum appetentia. Confirmant *Avicenna lib. 4. fen. 1. tract. 4. cap. 2. P. Salius Diverſus de febre peſt. cap. 17. Thomas Jordanus de peſtis phænom. Zacutus*, qui *lib. 3. prax. admir. obſer. 40.* anno milleſimo ſexcenteſimo quarto plures ex eodem contagio peſtilenti infectos, hoc ſymptomate detentos, intra quartum diem animam efflaſſe narrat. Purpura enim ut in aliis accidentibus, ita & in hoc peſtis peſtilentiſque febris æmula eſt; in qua appetitum in ipſo morbi limine languere vidi; ut & ipſi ægri in admirationem ejus rei raperentur, & non niſi inviti toto morbo quid guſtare vellent. Maligni enim vapores purpuræ ad ſuperius ventriculi orificium, in quo omnis appetentiæ ſedes, delati, venenatâ ſuâ qualitate exquitiſsimum ejus ſenſum deſtruunt, ut inanitis venis, atque inſtaurationem ſui poſcentibus, alimenti penuriam non ſentiat, unde vis appetitrix reſolvitur: qua ſublatâ & emortuâ ſequitur ἀνορεξία omnium ciborum, docente *Galeno 2. in 3. epidem. comm. 3.* ut *in Euryanactis* filia, & *3. in 3. epid. comm. 72.* Hæc alimentorum ἀποσιτία etſi aliis in morbis creberrimè accidat; iſtorum tamen

princi-

Digitized by Google

principio affectus hic levior plerumque eſt: ut, nullo fere calore, qui in aliis febribus appetitum deſtruit, levibusque aſpectu ſymptomatis, tantum tamque ſubitarium obrepere omnium eſculentorum faſtidium, mirari, & auguria præſentis jam purpuræ inde accipere, merito quis poſſit.

Sitis inexhauſta, qualis ardentium febrium eſt, purpuratos excruciat, atque nulla ſæpe potione levatur, quod non in ventriculo, ſed corde pulmonibusque, aliisve locis, quo vis refrigerii penetrare non poteſt, deliteſcat morbi minera; (inde vero expirantes acres & malignæ fuligines orificium ventriculi torrent, ſitimque inexpletam cauſſantur) aut quod maligna purpuræ qualitas, cui calor conjunctus, occulta qualitate operetur, &, ut agendo potentiſſima, ita ubi jam radices mora in corpore nacta fuerit, curatu difficilima, non manifeſtâ qualitate alterantibus, quanta quanta demum refrigeratio facta fuerit, tollatur. Hæc ſitis, quæ nullo lenimento nullave humoris ingurgitatione remittit, medico ſuſpecta eſſe, eumque præſentis morbi commonefacere debet: quod partes exteriores moderatè calentes, aut ſubfrigidæ, appareant, aut certe tantum calorem, qui tam magnam refrigerationem deſideret, non obtineant: ut circa cor atque interiora viſcera abſconſum hærere malignum calorem, qui ſe ad partes exteriores non diffundat, ſitis intolerabilis luculenter demonſtret. *Thucydides* de peſte *Attica* refert, infectos admodum ſitiviſſe, & jucundiſſimum ægris fuiſſe, in gelidam aquam & puteos ſeipſos abjicere, cuſtode remoto, ſiti inexpleta adductos. Idem confirmat *Lucretius lib. 6. de rer. nat.* ſequentibus.

Multi præcipites lymphis putealibus altè
Inciderunt, ipſo venientes ore patente:
Inſedabiliter ſiti arida corpora merſans
Æquabat multum parvis humoribus imbrem.

Et paulò poſt.

Multa ſiti proſtrata viam per, proq; voluta
Corpora ſilanos ad aquarum ſtrata jacebant
Intercluſa animâ nimia ab dulcedine aquai.

Interdum in tanto viſcerum incendio ſitis nulla excruciat, morbo jam progreſſo, quamvis lingua ſiccitate areſcat, & fuligine obducta

 rimas

reddere ſoleat, tantâ interdum veneni veternoſi malitiâ, ut ægri expergiſci poſtea nunquam poſſint, dum tandem rerum omnium penitus obliti ſomnum nimis longum dormiant. Veneni hujus natura priori contraria eſt, & ut illud humores ac ſpiritus incendit, ac ferocire facit; ita hoc eoſdem cogit, coagulat, refrigerat, & in ſomnum proclives facit, ut aſpidis, quæ propterea *hypnale* à *Solino* vocata *cap. 40.* peremptoriam vim referre videatur: quam *Cleopatra Ægypti Regina*, mori jam certa, præ cæteris dilegit venenis, (quorum illa teſte *Plutarcho* vim compertiſſimam habebat) quod cætera venena majore ſymptomatum atrocia, has ſine convulſione, (*ſi ontem tamen aſidue convelli* docet *Actuarius lib. 6. m. m. cap. ult.*) dolore aut gemitu, ſomno obnoxios, ex quo ne excitari quidem cupiant, interimere cognoviſſet: admotis enim ad venas ſerpentibus, quaſi ſomno ſoluta, teſte *Floro lib. 4. cap. 11. Æliano lib. 9. hiſtor. cap. 11.* & *62. Plutarcho in M. Antonio. Galeno d. theriaca ad Piſonem cap 8.* qui Alexandriæ receptum morem fuiſſe ſcribit, ut capitis damnatos, quos humanius tractare, nec lenta morte excarnificare vellent, appoſitâ pectori aſpide interimerent. Namque celerrimum hujus eſt venenum, quod ſanguinem in arteriis ſuo frigore coagulet, ut inter levia ſymptomata mors prehendat, ne diei quidem tertia parte interpoſita, ut teſtatur *Actuarius loco allegato*.

Singulare huic ſymptomati eſt, & quod idem à ſe ipſo in aliis morbis oborto diſcernere poſſit, non per acceſſiones febriles obrepere, iisq; levatis ceſſare; quale quid in febrium quarundam paroxyſmis contingere interdum ſolet, ſed toto perſtare morbo, ut etiam eo ſublato diu poſtea mens priſtinum vigorem reciperare non valeat. Equidem in hac conſtitutione epidemica vim iſtam narcoticam plures dies ac ſeptimanas reſtibilem durare memini, manifeſta licet morbi remiſſione, ut ſui ipſorum, rerumque agendarum immemores facti longo tempore iſtum mentis ſtuporem non inviti teſtarentur: quod ex truculentiſſima peſte Attica eluctatis obtigiſſe conſtat ex *Thucydide*, ut omnium rerum, neceſſariorum quoque, & ſui ipſorum fuerint obliti. Et *Lucretius lib. 6. de rerum nat.*

Atq; etiam quoſdam cœpere oblivia rerum
Cunctarum, neq; ſe poſſent cognoſcere ut ipſi.

Aliqnan-

Digitized by Google

Aliquando ægros prehendit κῶμα συνεχὲς οὐχ ὑπνῶδες ſopor perpetuus non ſomnolentus, ut in illa peſtilenti conſtitutione apud *Hippocratem 3. epid. ſ. 3. t. 39.* Græcis κῶμα ἄγρυπνον dicitur, teſte *Tralliano lib. 1. cap. 13.* quo authore, itemq; *Ægineta lib. 3. de re med. cap. 6.* & *Galeno 1. in 1. prorrhet. comm. 1.* affectus hic ex bile & pituita inter ſe commixtis oritur: quarum illa ægros continuo excitet, hæc ad ſomnum pronos efficiat, ita ut clauſis oculis dormire videantur, cum tamen vigilent. *Galenus* ex phrenitide & lethargo mixtam affectionem eſſe, & *Hippocrati* aliiſque *Typhomaniam* dictam exiſtimat. Hinc ſigna lethargo & phrenitidi quodammodo communia eſſe voluit *Ægineta l. 3. d. re med. cap. 10.* ita tamen, ut juxta prædominantem materiem varient. Vigilant enim ſimul, ut *Trallianus loco allegato* docet, & in altum ſoporem deferuntur, rurſumque paulatim delirant, & ſomno alto ſoporoſoque preſſi cum tumultu excitantur & illis, qui ipſis loquuntur; inordinata verba & inſaniam teſtantia reſpondent.

Symptoma hoc aliis morbis infrequens, heic aliquoties mihi viſum veneni purpurati malignitatem oppido demonſtravit, cujus admirandæ operationi id potiꝰ adſcribemus, quam bilis & pituitæ inter ſe remixtarum conjunctis operationibus: quod affectus iſte etiã in illis obſervatus fuerit, in quibꝰ nulla peccantis bilis aut pituitæ excuſatio adferri poterat. Quare in re obſcura inveſtiganda ἀναλογισμῷ commodè utemur conſimilium aliorum venenorum, quorum aliqua in profundum ſomnum conjiciunt, qui tamen inquietus ſit, variiſq; ſpectris turbetur; ut in hyoſciamo, ſolano manico, lolio &c. id fieri videmus: illa n. præterquam quod deliros homines faciant, ſomno profundo eoſdem ſimul gravant: quod, cum natura ſua καρηβαρικὰ ſint, impuros craſſoſque ac frigidos vapores ad cerebrum effundant, ſpiritus offuſcent, & impuritate ſua inquinent, variiſque ſpectris mentem inquietent. Cujus rei exemplum in *Ægyptiis* videre licet, qui referente *Proſpero Alpino lib. 4. de medicina Ægyptiorum cap. 1. & 2.* opium, item electuarium bernavi ex proximis Indiis delatum, ut & Bers Boſa, & cannabem accipere ſolent: quorum beneficio pulcherrima viridaria, formoſiſſimas laſcivienteſq; puellas, militibus bella in ſomniis offerri dicunt. Sic *de ſimilace hortenſi Dioſcorides*

ſcorides lib.2 cap.140. memoriæ prodidit, ſiliquam ejus coctam cum ſemine tumultuoſa ſomnia facere. Pari modo & purpuræ venenum interdum ægros κωματώδεις efficit, ſimulque παραφρονοῦντας, ut exterius quidem ſpeciem dormientium referant; oblatarum tamen ſpecierum vis phantaſiam quieſcere non ſinat: Quapropter ut veneni purpurati qualitas magis fuerit narcotica; ita decumbentes ſopor magis detinebit: quod ſi majorem analogiam ad παραφροσύνην habeat, in ſoporatis deliramenta magis elucebunt.

Accidit etiam non raro in his aliiſque morbis ægris ſimulatum ſomnum obrepere, viribus extremè debilibus, ut palpebræ ſe committant; ſive quod humorum ad palpebras fiat decubitus, ſive quod virtus motrix ignavior ſit, quam ut eas attollere & apertas ſervare queat, totali conjuncta ἀκαμπτίᾳ ob morbi vitium: ubi natura quidem ſe componit ad ſomnum; ſed ob cauſſæ morbificæ præſentiam, & quod grata illa ἀναθυμιάσει vaporum cerebrum deſtituatur, ſomni particeps fieri non poteſt. *Galeno 3. epid. comm. 1. text. 7.* umbratilis hic ſomnus pro argumento eſt extremæ debilitatis: quod & morientium oculos ſubconnivere videamus: quemadmodum etiam intolerabilibus doloribus, alvi fluoribus, hæmorrhagiâ nimiâ exhauſtis ſpiritibus palpebras committere, ſpeciemquè dormientium infirmi præ ſe ferre videntur. Si tamen ita affectos fixa & ſtabili oculorum acie quis intueatur, oculos ſub ipſa palpebra moveri comperiet.

Senſus exteriores præſentis morbi etiam quaſdam notas dabunt: vividus enim & amœnus oculorum color perit, qui ſpirituum penuriâ flacceſcunt, vel torvum tuentur, flammeique ac rubicundi apparent, ut de peſte Attica referunt *Thucydides l. 2. belli Peloponn. & Lucretius lib. 6. d. rer. nat.* Hinc eorum qui peſte tenentur, oculos accuratè contemplari *Galenus* jubet *3. d. præſag. pulſ. cap. 4.* quod inter lavandum manifeſtè reddantur calidi & flāmei, talesq; permaneant, quos plane peſte teneri autumat. Iſta vero oculis accidere arbitror, quod purpurati veneni malignitas ſpirituum opticorum ἔκλαμψιν lucemq; extinguat, ac nebuloſos vapores oculis ſuffundat, atque ex ſubjectis retorridis viſceribus maligni atque acres vapores ſurſum expirent, unde oculos torvum tueri, pariterque inflammari

mari, & varias rerum ſpecies, imminentis delirii augurio, iis obverſari contingat. Interdum oculi inviti lachrymantur, caligant, penitusque aliquando cæcutiunt, (quod poſtremum in *Nobiliſsimiq; Viri Dn Johannis Rantzovii, Equitis Holſati ſplendidiſsimi, Hæreditarii in* Newhauß & Satieswitz villici *VVohnrovii* uxore illis temporibus adverti,) ſi vis veneni humores ſeroſos in canthis oculorum fundat, ſpiritus viſivos conſumat; aut adſcenſu perenni vaporum humorumve decubitu nervi optici obſtruantur.

Frequens his morbis eſt aurium tinnitus ac ſuſurrus, varius, pro irruentis venenati humoris vaporumque diverſâ materiâ, varioque impetu: inde enim modo magis, modo minus aurium tinnitu, ſibilo aut ſuſurris ægri moleſtantur: hi tamen affectus à ſeipſis, aliarum febrium ſymptomatis differunt, quod nulla intervalla præſtent, contumaciſſimeq; ægris adhæreant, cum venenum quadam inclinatione caput petat. Quin ſæpe maligni humoris aut vaporum copia adeo intus luxuriat, ut auditum penitus intercipiat, atque aliquando *βαρηκοΐα* & *κώφωσις* longo poſt tempore maneat morbo aliisque ſymptomatis univerſis ſublatis, ut in *Johanne VVeida, Conſule Sacri portus:* qui, cum morbo jam exacto plures menſes aurium ſuſurris continuis afficeretur, auxiliis convenientibus adhibitis, inprimis vero crebris ſudoribus, naturæ ſponte excitatis, à moleſtiâ illâ penitus liberatus.

Ita lingua in purpuratis alienos ſapores exprimet, verumq; rerum oblatarum guſtum pervertet, aut nullum plane obducta fuligine percipiet: quod peregrinum humorem jam biberit. Vox clangoſa ſæpe eſt & acuta, dum maligno calore organa vocis ſiccantur: anguſtiore enim effecto larynge, vox acuta redditur & *κλαγγώδης*, ſi ſiccitas organorum intendatur ut ſentit *Galenus in 1 prorrhet. comm. 12. ſect. 2.* Id verum eſſe & ex humidis locis graviorem, ex fervidis locis acutiorem reddi ſonitum ſolidè demonſtravit *Vitruvius lib. 6. archite. cap. 1.* propoſito exemplo *duorum calicum, in una fornace æquè coctorum, ejuſdem ponderis & ſonitus,* ſi pulſentur: quorum alter in aquam dimiſſus, rurſusque extractus, ſi pulſetur, diverſum ab altero ſonitum reddere, neque ejuſdem ponderis eſſe obſervatur. Quam cauſſam idem arbitratur, cur hominum corpora *alia propter regionis*

ardorem acutum ſpiritum aeris exprimant: alia propter humoris abundantiam graviſsimas effundant ſonorum qualitates.

Et odoratus ſuas patitur ſæpe noxas, ut vi veneni penitus deſtruatur, aut illæſo adhuc ſentiendi principio, non raro intus genitæ putredinis δυσωδίαν æger percipiat.

In tactu triſtis ille ſenſus, dolor, variis locis percipitur, & univerſa membra corporis quaſi confracta & conquaſſata apparent; imò neque quieſcere, neque minimum moveri poſſunt ſine laſſitudinis perceptione: ut vel ex hoc ſuſpicari medentibus liceat, ſubeſſe altiorem mali cauſſam: cum levi calore, ſymptomatiſque cæteris ſere contemnendis, ita delaſſari membra contingat: quod virus purpuræ quoquoverſum exhalans inexplicabili ſua qualitate membra labefactet, doloremque in illis, etiam exacto morbo aliquamdiu durabilem, cauſetur. Hinc & febres κοπώδεις ab *Hippocrate in Coacis* damnantur, quæ ſcilicet non ἐκ πόνων ex laboribus muſculorum oriuntur, ſed quæ κόπον αὐτόματον ſua ſponte obortum conjunctum habent. Capitis vero dolor præcipuus eſt, qui ægros infeſtat; interdum gravativus, quaſi ab incumbente mole quadam premerentur; ſæpe gravis & acutus: ſoletque dolor in ipſo principio, ſecus quàm in aliis febrib⁹ accidit, validè affligere, totoq; perſtare morbo, & inclinata in melius valetudine etiã dum moleſtare, ob halitus pravos ex maligna materiâ ad caput aſcendentes, quorum deleteria vis aliquamdiu indeleta hæret: namque ad caput vis omnis morbi ſua ſponte ruit, graviſſimisque affectibus illud infeſtat; ut inde Germanam hujus morbi appellationem die Hauptkranckheit diductam arbitrer. Syncipitis autem dolores heic ægri inprimis queruntur, quod illic, ut notat *Palladius Sophiſta comm. in 6. epid. p. m. 154.* meningum partes ſuturis interjectæ ſint, quæ calore, acrimoniâ, copia ac malignâ adſcendentium vaporum qualitate vellicantur, ac diſtenduntur: præterquam quod ſuturæ illic raræ ſint, cranium tenuiſſimum, multiſque poris pervium, tenuiumque vaſorum illic deſinentium magnus adſit numerus; (unde à ſyncipite plerumque incipit ſudor,) quamvis & per medias quaſvis corporis regiones ad caput expirare malignus humor poſſit. Lumborum dolor creberrimus pariter in hoc morbo eſt, quod principes venæ illuc decurrant; quæ cum

infecto

infecto ac corrupto ſanguine repletæ ſint, ſubjectæ partes maligni humoris pravitate graviter afficiuntur. Hunc lumborum dolorem *Aetius lib. 5. de re med. cap. 127.* ferè in malignis febribus à principio contingere, eumque, ſi perſeveret, maximas turbulentias afferre, ſi repente remittat, periculoſiorem adhuc morbum ſignificare docet.

Ex ſymptomatis facultatis motricis inquies membrorum purpuratis maximè familiaris eſt; dum inſtar *Homerici Achillis*, modò proni, modò ſupini in varios habitus ſe componunt, &, (quod proprium alias ægrotantium eſſe *Seneca lib. d. tranquill. anim. cap. 2.* dicebat,) nihil diu pati & mutationibus, ut remediis, uti ſolent. Inquies iſta membrorum in peſte *Attica* à *Thucydide* notata, & ab *Avicenna* inter ſigna peſtilentiæ relata *lib. 4. fen. 1. tr. 4. cap. 2.* Dicuntur tales ægroti ἀλύειν *Galeno 7. aph. comm. 56.* qui nec decubitum ferunt, nec lecto acquieſcunt, ſed formas mutant, quia præſens ſemper gravis eſt & moleſta: quemadmodum ſecunda valetudine eos dicunt ἀλύειν, qui præſentium offenſione & tædio errabunda ſemper ſunt mente & incerta, atque ad alias ſubinde aliasque tranſeunt tum res, tum actiones. Hinc ἀλύκη *Galeno* dicitur quaſi tædium & diſplicentia ſui. Et ἀλυσμὸς *Galeno in exegeſi dict. Hippocr.* vocatur ἄλυσις καὶ ἀπορία καὶ ῥιπτασμὸς animi anxietas, corporis disjectio & inquietudo: ut etſi ad animi anxietatem hæ voces in his aliisque morbis applicentur; ad inquietudinem tamen præſentem eas ſimul accommodare liceat. Sunt quidem ægri in aliis affectibus aliquando inquieti, e. g. in ſtomachi vitio, quando ille pravis acribus & malignis humoribus obſidetur, qui os ventriculi lancinant, ſecundum *Galenum 7. aph. text. 56. & 1. progn. comm. 16.* quorum ſic affectorum nauſeam ſignum ponit *1. prorrhet. comm. 2. text. 44.* talis enim ἀλυσμὸς ναυτιώδης eſt. Et in inſtantibus criticis evacuationibus anxietatem & inquietudinem membrorum præcedere notum eſt medicinam facientibus. Quò reſpexit ſummus Præceptor *2. aph. text. 13.* dum noctem, quæ criſin antecedit, graviorem eſſe dixit, quod natura pravam materiam excluſura, toto corpore humores commoveat; quibus commotis ſimul pravi humores agitantur, unde & turbari corpus, & ægrotos malè moleſtèque habere docuit *Galenus ejuſdem loci commentario.* Inquietudinem quoque membrorum levibus de cauſſis in aliis morbis

 patiun-

Digitized by Google

patiuntur natura inquieti, molles, nulliſque malis aſſueti, ut pueri, aliique delicatuli: quam & mente mota ægris accidere videmus. Sic inquietari aliquando videmus morti proximos, qui ſeu delirio, ſeu abſque illo ad latera lecti devolvuntur, pedesque nudare, lecto, inde quaſi ſurrecturi, ſe erigere, ac niſi contineantur, paulo poſt præcipites labi ſolent. Qui ἀλυσμὸς ἀνέμετος eſt, nec vomitum conjunctum habet, ſed, oppreſſa virtute membrorum à corporis gravitate, atq; interiori calore, oboritur; quare ægri & jactare membra, & nudare ſæpius cupiunt. Quo ſpectare videtur *Galeni* locus *com. 1, progn. text. 16.* ubi & ob virium debilitatem aliquando infirmos inquietari monet. At in febribus purpuratis toto fere morbi tempore non ſolùm, ut dixi, animi anxios laſſitudine quaſi quadam conquaſſata & defatigata membra habere, ſed & inquietos eſſe infirmos, omnesque decubitus moleſtè ferre videmus, non calore, qui inter initia & progreſſo morbo non adeo validus eſt; ſed maligna veneni purpurati qualitate, quæ nervis ac nervoſis partibus ineffabili quodã modo, quem verbis ægri ſatis ſignificare nequeant, infeſta eſt, ut remediũ in loco quærere cupiant. Quo ſpectat proximus *Hippocratis* locus *progn. text. 16. Si nudos habeat pedes nec admodum calidos, ac manus collum, crura diſpergat inæqualiter, ἀλυσμὸν σημαίνει.*

Reſpiratio in purpurâ cum difficultate plerumque trahitur, quamvis febris lenis ſatis videatur, nec, præſertim morbi principio, magni incendii notæ tum adſint; nec in pectore viciniſq; partibus reſpirationi ſervientibus noxa deprehendatur, nullaque tuſſis comitetur: ut purpuræ præſentiam hinc conjectare prudens medicus poſſit, quæ facultatem animalem lædat, & interiora maligno calore amburat; ut cor oppreſſum refrigerium ſui poſtulet, malignamq; fuliginem excludere magno reſpirationis conatu allaboret: cui rei cum pro neceſſitate ſatisfacere non poſſit, citra aliquod inſtrumentorum vitium reſpiratio increbreſcit. *Thucydides* in ſui temporis peſtilentiâ per πνεῦμα ἄτοπον, ſpiritum inſolentem, hanc δυσπνοίαν expreſſit, quod nullis, ut dixi, reſpirationis organorum vitiis, nulloque exterius calore inuſitata fieret ſpiratio, magna ſcilicet & crebra. Sic *Avicenna lib. 4. fen. 1. tract. 4. cap. 2.* inter ſigna peſtis dyſpnœam collocavit, *Et eſt*, inquit, *cum eâ magnitudo anhelitus & ejus exaltatio, & con-*

& conſtringitur multum & curtatur multum, & fit frequens. Et *Rhaſes tract.10. ad Almanſ.cap.16.* in febribus, quæ ex peſtilentia accidunt, anhelitum augmentari & ſpiſſum fieri teſtatur. *Hippocrates* noſter talem reſpirationem πνεῦμα θολερὸν videtur appellare, *1. prædict. aph.* 36. i. e. ut *Galenus in exegeſi vocum Hippocratis* explicat μέγα καὶ δεδιωγμένον ſpiritum magnum & concitatum, item turbidum & halituoſum, ut interpretes *Hippocratis* reddidere teſte *Galeno in dicti textûs commentario*: talis enim ſpiritus magnâ & concitatâ expiratione emittitur, viſcerumque incendium & cordis maximam anguſtiam ſpirituumque vitalium impuritatem ſignificat: qui alias lucidi cum ſint & ætherei, in purpura pravâ morbi qualitate corrumpuntur, aliisve noxiis fuliginibus & vaporibus permiſcentur: unde, cor calore maligno æſtuans, atque impuris craſſisque fuliginibus oppletum ſupremo conatu dum reſpirat, ſpiritus turbidus, craſſus & halituoſus redditur. Reſpirationem frigidam etiam heic in medio morbo nonnunquam advertere licebit, maximo malignitatis argumento, veneni ſcil. deleteria qualitate vitalem calorem in corde jam eſſe extinctum. Sæpius ægri animam male olentem habent: *Thucydides* πνεῦμα δυσῶδες vocat. Quod & *Lucretius* in peſte Attica teſtatus, dum ait,

Spiritus ore foras tetrum volvebat odorem,
Rancida quo perolent projecta cadavera ritu.

Et *Galenus 3. d. præſag. pulſ. cap.4.* fœtentem expirationem ægrotantium tanquam ſignum peſtilentiæ vel à vulgo notari aſſerit. Confirmat *Rhaſes loco allegato*, anhelitum & quicquid à corpore egreditur, valde fœtida ſenitiri memorans. Ego cadaveroſum fœtorem expiratione, ſudore, itemque inſenſili tranſpiratione toto corpore prodeuntem in purpuratis febribus ſæpius obſervavi, clariſſimo documento maximæ putredinis: iſta n. ſi in corde partibusq; vicinis hæreat, (cum δυσωδίαν τῆς σήψεως σημεῖον eſſe conſtet,) fœtorem anhelitus naribus adſtantium ſuffundi videmus. Quem, ut præcipuum peſtiferæ febris indicem, propoſuere *Nicol. Maſſa de febr. peſtil. tract. 1. cap. 6. Petrus Salius Diverſus de febr. peſt. cap. 19. Herc. Saxon. lib. 8. de febr. cap. 37.*

principio affectus hic levior plerumque eſt; ut, nullo fere calore, qui in aliis febribus appetitum deſtruit, levibusque aſpectu ſymptomatis, tantum tamque ſubitarium obrepere omnium eſculentorum faſtidium, mirari, & auguria præſentis jam purpuræ inde accipere, merito quis poſſit.

Sitis inexhauſta, qualis ardentium febrium eſt, purpuratos excruciat, atque nulla ſæpe potione levatur, quod non in ventriculo, ſed corde pulmonibusque, aliisve locis, quo vis refrigerii penetrare non poteſt, deliteſcat morbi minera; (inde vero expirantes acres & malignæ fuligines orificium ventriculi torrent, ſitimque inexpletam cauſſantur) aut quod maligna purpuræ qualitas, cui calor conjunctus, occulta qualitate operetur, &, ut agendo potentiſſima, ita ubi jam radices mora in corpore nacta fuerit, curatu difficilima, non manifeſtà qualitate alterantibus, quanta quanta demum refrigeratio facta fuerit, tollatur. Hæc ſitis, quæ nullo lenimento nullave humoris ingurgitatione remittit, medico ſuſpecta eſſe, eumque præſentis morbi commonefacere debet: quod partes exteriores moderatè calentes, aut ſubfrigidæ, appareant, aut certe tantum calorem, qui tam magnam refrigerationem deſideret, non obtineant: ut circa cor atque interiora viſcera abſconſum hærere malignum calorem, qui ſe ad partes exteriores non diffundat, ſitis intolerabilis luculenter demonſtret. *Thucydides* de peſte *Attica* refert, infectos admodum ſitiviſſe, & jucundiſſimum ægris fuiſſe, in gelidam aquam & puteos ſeipſos abjicere, cuſtode remoto, ſiti inexpleta adductos. Idem confirmat *Lucretius lib. 6. de rer. nat.* ſequentibus.

Multi præcipites lymphis putealibus altè
Inciderunt, ipſo venientes ore patente:
Inſedabiliter ſitis arida corpora merſans
Æquabat multum parvis humoribus imbrem.

Et paulò poſt.

Multa ſiti proſtrata viam per, proq; voluta
Corpora ſilanos ad aquarum ſtrata jacebant
Interclusa animâ nimia ab dulcedine aquai.

Interdum in tanto viſcerum incendio ſitis nulla excruciat, morbo jam progreſſo, quamvis lingua ſiccitate areſcat, & fuligine obducta

rimas agat, ut *Hermocrati* contigit *lib. 3. epid. ſect. 1. ægroto 2.* emortuâ jam facultate naturali, quâ cibum & potum appetimus, juxta mentem *Galeni in loci adducti commentariis*. Hinc *lib. 1. epid. ſ. 2. text. 75.* inter ſigna mire exitialia ab *Hippocrate* relatum, ægros ſitim nullam in febribus ardentibus habere, ſi antea æſtuarint: quod virtus extincta præſentia mala non amplius ſentiat, ut arbitratur *eodem loco Galenus*. Sitis enim, quæ παρὰ λόγον, non ſecundum rationem, in acutis morbis tollitur, mala eſt, authoribus *Hippocrate* & *Gal. 2. in 1. prorrhet. text. 22.*

Deglutiendi vis morbo præſertim jam adulto laborioſa eſt, ut ne potum quidem ſine difficultate in fauces transmittere poſſint, ob ſcabritiem linguæ & fuligines faucibus obductas; Germani die Breune vocant. Quin & membraneæ æſophagi fibræ à calore maligni hujus cauſonis aliquando exiccantur, ut inter deglutiendum conſtringi nequeant, nullo aſpectabili in faucibus graviori vitio: quod ſymptoma die Herzbreune Germanis dicitur, antiqua vocis uſurpatione, quâ officij ventriculi noxæ cordi imputantur. Sed quis, niſi extremi ingenij medicus, non obſtupeſcat, tantam flammam hærere in viſceribus, ut lingua fauceſque amburantur, levi, aut nullo aut ne comparando, in ambitu corporis calore: ut non ſimplicem, ſed malignam febrem vel ſolo hoc indicio conjectare valeat. Quis nullo aut levi in faucibus impedimento, ne potum quidem ſine difficultate demitti poſſe, imò & reſpirationem difficulter trahi, non ſuſpicetur, gravius quid, quàm quod ſenſibus comprehendi queat, heic ſubeſſe; quod, vergente in deterius morbo, omnem cibi potuſque, imo & liberioris aëris, aditum penitus intercipiat?

Vomitus in purpura frequens eſt, ut non tantum corruptos humores, ſed & quicquid eſtur, bibiturve, quemadmodum in peſte, nauſeabundus ſtomachus reddat: an quia vitioſi humores in ventriculo collecti, aut in hepate venisque meſaræi reſtagnantes & in ventriculum effuſi, eum ſtimulant ad excretionem? Qua in re, quia cum aliis morbis, in quibus iſta copia humorum exuperat, lues hæc convenire videatur, & in aëris vitio obortâ purpurâ humores noxij non ſemper intus reſtagnent, alia quærenda cauſſa eſt, cui vomitus crebrior imputari poſſit. Quare & hujus, ut cæterorum præſentis

morbi

Digitized by Google

morbi ſymptomatum, originem ex pernicioſa morbi purpurati qualitate, quæ, quocunque repit, partium ſolidarum temperamentum totamque ſubſtantiam corrumpit, deducemus: ut, cum variorum venenorum æmula ſit, e. g. antimonij, hellebori, virtute iſtâ emeticâ humores corrumpat, prolectet, & ad vomendum ventriculum impellat: quem prava qualitas veneni ſæpe adeo convellit, ut contracta imbecillitas plures dies perduret, nullisque humoribus propulſis, irrito vomendi conatu ſe liberare ab iſta malignitate ſtomachus conetur. Fellis & humorum χολοκαθάρσεις cum ingenti cruciatu in peſte Attica Thucydides obſervavit. In peſte enim ut omnia magis ſæva ſunt; ita vomitus pariter invaleſcit: qui tamen, ſuperato per alexipharmaca veneno, utrobique remittere ſolet.

Singultus vomitus conſectarius plerumque eſt in hoc morbo, quamvis & ſine eo creberrime heic occurrat, non ſola inanitione aut repletione productus, quæ veterum ſententia fuit, ut notum ex *Hippocrate lib. 6. aph. 39.* Cum authore *Galeno 8. med. ſec. loc. cap. 3.* etiam aliis cauſſis, ventriculi refrigeratione, acribus ſeroſis humoribus ac medicamentis ſtomachum rodentibus, ſingultus interdum oriatur, illisque vomitu rejectis fere ceſſare ſoleat. Confirmat *Avicenna lib. 3. ſen. 13. tract. 5. cap. 19.* Quo authore & cerebro ejusq; membranis vulneratis ſingultus accidit. Sic *Hippocrates de fractur: pag. m. 775.* In fracturis oſſium femoris & brachij, ſi os fractum eminens appareat, nec reponatur, *πυρετοὺς λυγγώδεας* cum nigritie partis ſupervenire dixit. Ubi pro λυγγυώδεας, λυγ[illegible]ώδεας, aut λυγμώδεας, aut λυγγυώδεας *Foeſius* cum interpretibus legit. In ſyderatione quoque calcis Hippocrates *eodem de fracturis libro pag. m. 759.* præter alia ſymptomata febres λυγγώδεας ſingultuoſas ſupervenire retulit. Febris autem ſingultuoſa ex mente *Galen. 4. de diæta acut. text: 69.* ea dicitur, in quo ſingultus permanet, vel toto morbo cum febre exacerbatur. Qualis ſingultus in his malignis febribus frequens eſſe ſolet: quod maligni & acres humores & vapores ex parte quadam certa ac determinata aut toto corpore ad ventriculi orificium delati, firmiterque impacti, illud vellicent, naturamq; ad excretionem ſtimulent: cum & conſimilia venena dentur, quæ continentes ſingultus efficiant; quemadmodum de *Dorycnio Dioſcorides lib. 6. cap.*

6. & *P. Ægineta lib. 5. cap. 50.* fuere teſtati. Ita inter alia peſtis Atticæ ſymptomata ſingultus, acrem excitantis ſpaſmum, qui in quibuſdam protinus, in quibuſdam ſerius, ſedaretur, Thucydides meminit. Unde *Lucretius.*

Singultusq́, frequens noctem per ſæpe diemq́,
Corripere aſſiduè nervos & membra coactans,
Diſſolvebat eos defeſſos ante, fatigans.

Cardialgiam hoc loco interponere mihi liceat de ventriculi affectibus agenti, quod ut plurimum eos comitari ſoleat. Cardialgiam autem voco orificij ventriculi dolorem, qui graviſſimus eſt in hoc morbo, ob inſignes ſexti paris nervos: quorum communione cum cerebro & corde, noxa cum dictis partibus facile communicatur. Unde non ſolum veteres partem illam *καρδίαν* vocarunt, eoque loco dolentes *καρδιαλγεῖν* dixerunt teſte *Galeno 4. aph: comm: 17.* & *65.* item *5. loc. aff: 6.* & *3. prog. comm: 30.* qui *loc: prog: cit:* ex Thucydide probat vocabuli hujus ſignificationem; ſed &, recepto jam loquendi more, vulgus *καρδιογμὸς*, ſuperioris orificij ventriculi dolores, roſiones, & anguſtias, vocat, & locum affectum non cordis regionem, ſed eam, quæ ſub cartilagine enſiformi poſita eſt, vicinasque partes, digito medicinæ conſulto monſtrare ſolet: quem dolorem à vomitu ad tempus aliquantulum remittere infirmi ſentiunt. In peſte Attica detentis hunc cordis dolorem ac ſubverſionem cum fellis & humorum *ἀποκάθαρσι* accidiſſe retulit *Thucydides.* Ubi notandum, affectum hunc orificij ventriculi à *Thucydide* pectori fuiſſe attributum, recepto illo ſeculi loquendi more, quo, quicquid intra coſtas continetur, in thorace ſitum dicebatur. Quo ſenſu *Hippocrates lib. de arte* jecur in thorace concludi ſcribit. Ut, cum ſub oſſe *ξιφοειδεῖ* ſit poſitum orificium ventriculi, illud vero ad thoracem pertineat, affectus hic ventriculi thoraci propterea deferatur. Quo ſenſu & hodie rude vulgus male affecto ſtomacho in pectore mali noxam hærere, queri, & digito monſtrare, ſolet. Atque ita *τὸ στῆθος* metonymice heic uſurpatur, contentum orificium ventriculi pro continente oſſe *ξιφοειδεῖ* accipiendo. Sic apud *Hippocratem Coac. 43.* *περὶ στῆθος δῆξις καὶ πικρότης, κακόν,* comitantibus bilioſis dejectionibus. Qui & *στῆθος πόνος* in epidemiis, & *περὶ στήθεα πόνος* in prorrhet: notavit. Sed

& τὸ

& τὸ στῆθος pro στέρνῳ ab *Hippocrate* accipitur, ut *lib. 1.* περὶ ἄρθρων. Μικρὸς γὰρ κιγκλισμὸς τοῦ ἄρθρου τοῦ ἐν στήθει. Ginglisſmus enim parvus eſt dearticulationis, quæ in pectore. Ut propterea *Thucydides* cum *Hippocrate* etiam partem, cartilaginem ſcilicet enſiformem, pro toto, ſtèrno ſcilicet, (quod pectoris nomine aliquando venit,) ſynecdochicè appellaſſe videri poſſit. Sed ad cardialgiam redeo, quam in lue Pannonicâ affectis pariter obſervavit *Thomas Jordanus de peſtis phænom: tract: 1. cap. 19.* ut manu quòque admotâ oſtenderint doloris regionem ſub ſterno, ad cartilaginem ξιφοειδῆ. *Ibi omnibus certe ἀντίτυπον quiddam* (verba ſunt authoris) *renitentia & durities obſervabatur: quem locum ſi paulo ſummis digitis comprimeres, etiam ejulatu edito dolorem vehementem teſtabantur.* Cauſſam hujus ſymptomatis eandem cum vomitu, nauſea & ſingultu reperio, acres ſcilicet & bilioſos humores, ſeu illi longa die in corpore collecti ac ſubito in languentem ventriculum effuſi fuerint, ſeu venenata morbi qualitate corrupti contumacem cardialgiam excitarint, malignitatis charactere firmiter illi parti impreſſo: cum in hoc morbo ſæpe pauca materia vomitu rejiciatur, & tamen καρδιαλγία maximâ parte morbi perſeveret, nec convenientibus remediis adminiſtratis, quod alias fieri ſolet, facilè removeatur.

CAPUT. XVI.

In quo ſigna ab excretis accepta explicantur.

Alterum purpuræ ſymptomatum genus ab excretis deducendum; quæ variis locis effluunt, & vel quantitate, vel qualitate, vel utrâq; peccantia, interdum toto genere aliena eſſeruntur: quamvis illa, quæ excerni conveniebat, dum ſuppreſſa retinentur, morbi hujus indolem pariter nobis ſignificare ſoleant.

Quâ in re ab excrementis alvi ordiar, quæ per *inferiorem gutturem* (ut loquitur *Plautus in Aulular:*) varia & copioſiſſima heic ex-

cernuntur, ut *Hippocrates 3. epid. ſ. 3. text. 57.* teſtetur, longis aut acutis morbis in illa peſtilenti conſtitutione detentos, ventris vitio omnes præcipue mortuos fuiſſe: Quod idem *Galenus* de ſui temporis peſtilentia *in commentario loci citat.* aliisq; libris affirmat. *Avicenna l. 3. f. 14. tract. 1. cap. 14.* dejectiones nigras, craſſas, fœtidas in febribus peſtilentialibus, & *lib. 4. fen. 1. tr. 4. cap. 2.* in iisdem fluxus cholericos, egeſtiones fœdas, melancholicas, ſpumoſas, accidere docet. Symptomatis hujus cauſſam agnoſco copiam pravorum humorum, qui malà victus ratione & alimentis corruptis generati fuere: unde hi ſeu copia luxuriantes, ſeu mala qualitate naturæ adverſi, eam ſtimulantes, aut ſpontaneo fluxu ἀθρόως in alvum effuſi, diarrhœas varij coloris & ſubſtantiæ excitant: quales *Galenus* in illa fame, quæ multis annis plurimas Romano imperio ſubditas gentes affecit, accidiſſe memorat *lib. de ſucc: bon. & vit. cap. 1.* Cum vero dejectiones tales etiam in illis, qui, antequam hoc morbo afficerentur, ſecundum communia vota ſani degebant, contingere totiens ſit obſervatum, nulla præcedente annonæ caritate, ut pravis ac corruptis cibis ſaburrare ventres neceſſum habuerint, præter jam dictam alia quærenda hujus ſymptomatis cauſſa, eaque ex purpurati veneni proprietate πολυμόρφῳ eruenda: quæ imitatione aliorum venenorum helleborinam & antimoniatam naturam ſubit, humoresq; inquinat & corrumpit, qui fermentati turgeſcunt, &, qua datur via, ad alvum abducti, dejectiones ſpumoſas, flavas, virides, lividas, nigras, ſanguinolentas, verſicolores, quovis morbi tempore, interdum ineunte, interdum aucto morbo, eoque jam inclinante, cauſſantur: quæ aliquando fœtorem inſignem, interdum nullum, conjunctum habent, & nullo aut levi dolore ægros moleſtant, interdum gravi cruciatu ventris eoſdem afficiunt.

Hæc vis purpurati veneni ſæpe tanta eſt, ut non ſolùm humores corrumpat, ſed & eoſdem, item pinguedinem, carnem, aliasque ſolidas partes fundat & colliquet. Hinc *Galenus 3. epid ſ. 3. comm: 57.* quæ in peſte Hippocratis tempore graſſante per alvum evacuata, colliquationem fuiſſe exiſtimat: quæ eodem authore ſymptoma videtur eſſe perpetuum febris, quam peſtilentem privatim vocant, cum vel citra peſtem mortales corripiat. Et *comm: 72.* In peſte longiſſima

giſſima noſtræ ætatis colliquationes cuncti prope excreverunt, quidam mere fulvas, quidam moderatius, omnes certe putidas: qui *4. aph: comm: 21.* fluxus peſtilentialis colliquativi pariter meminit, & *10. m. m. cap. ult*: colliquationes à febribus malignis fieri docuit. *Hippocrates* pariter hanc colliquationem peſtilentem indicavit *lib. 3. epid. ſ. 3. text: 55.* dum alvum ægrotantium pinguem fuiſſe memorat. Sic *Aetius tetrabibl: 3. ſerm: 2. cap. 1. Avicenna loco proximè allegato, Pet. Salius Diverſus de febr. peſt cap. 17. Fernelius lib. 6. de part. morb. & ſympt. Hollerius l. 1. de morb. intern. cap. 46.* ejuſque Scholiaſtes *Duretus, Jordanus de peſt. phænom: tract: 2. c. 5.* & alij, fluxus alvi colliquantes febribus peſtilentialibus admodum familiares eſſe teſtantur: quibus & ego aſſentior, ingenua atteſtatione, purpura peſteque epidemiis multos ſyntectico alvi fluxu correptos fato conceſſiſſe.

Colliquationis vero nomen huic ſymptomati impropriè tribuitur, quod ea ſolum liquari dicantur, quæ à frigore concreta ſunt, ut humida & fluida reddantur. At partium noſtri corporis ſubſtantia non frigore denſata; nec partes ipſæ, ſed ipſarum partium alimentum humidumque primigenium σύντηξις abſumitur. Neq; enim ut *Galenus loco proximo* fatetur, poſſibile eſt, ſingularum partium fibras à malignis febribus liquari, ſicut carnes; quando animal prius, quam hæ prorſus ſint ſiccatæ, interemerint. Hinc *idem 3. de cauſſis ſympt: cap: 2* non ſimpliciter dicit colliquationem eſſe, ſed fieri quandam veluti ἀναστοιχείωσιν reelementationem, ſive reſolutionem aut diſſolutionem, ſive quocunque modo aliter appellare liceat, cum ex uno fiant duo, ichor ſcilicet & pars craſſa.

Colliquatio autem non una ſaltem cauſſa oritur, ſed interdum à retorrido febrium ardentium calore, ut in *Sileno lib. 1. epid. ſ. 3. Ægroto 2.* à quo quinto die morbi dejectiones meræ, bilioſæ læves, perquam pingues redditæ: quod de ardentium febrium colliquatione repetit *Galenus 10. m. m. cap. ult. 3. d. diæta acut. comm. 12. & 13. & 3 epid. ſect. 3. comm: 34.* cui adſtipulantur *Oribaſ. lib. 6. ſynopſ. cap. 30. Aetius ſerm: 9. ca. 38. Ægineta lib. 2. cap. 41.* Ut enim, carnes dum in craticulis ſubjectis prunis torrentur, humiditates & pinguedo earum calore colliquatæ defluunt: ita & febrium ardentium igneus calor humores ac recens compactam pinguedinem carnemque fundit & colliquat

quat;

quat; ut diutius perſeverante malo, ex ſolidis partibus aliquid abſcedat. Interdum σύντηξις fluxusque συντηκτικοὶ oriuntur ex mente *Galeni 8. med. loc. cap. 6.* & *Aetii ſermon. 10. cap. 1.* ubi calida intemperies hepar occupavit, (ita tamen ut imbecillitas viſceris ſit conjuncta: quo pertinet locus *Galeni 4. d. vict. rat. acut: comm: 17.* alias enim excrementa potius ſicca, ac ſtercori caprarum ſimilia redduntur,) & tum primum quidem humorum, deinde etiam carnoſæ ipſius hepatis ſubſtantiæ fiet corruptio & colliquatio: bilis quoque per ventrem evacuabitur fœtens, craſſa & abunde colorata. Sic *Aretæus lib. 1. de cauſſ. & ſign. diut. morb. cap. 13. in fine,* eos colliquatos appellari refert, qui poſt ulcera hepatis tabefacti moriuntur. Quid? quod cachexiam aliquando generare σύντηξιν idem author *libro allegato cap. 16.* ſtatuat, impropria admodum nominis appellatione, dum atrophiam & conſumptionem corporis pro colliquatione habet.

Verum in purpurata febre altius cauſſa deducenda erit, non ab æſtuante calore, qui hîc plerumque non adeo ſævus eſt; ſed prava & maligna purpuræ indole, quæ citra inſignem calorem vi ſua tabifica humores & ſolida corporis corrumpit, diſſolvit & colliquat: ut hac ſola caloris abſentia præſens colliquatio maligni morbi indolem demonſtrare videatur: quæ modo ad ventrem, modo ad renes decumbit, modo per ſudores evacuatur. Colliquamentum enim omne cum præter naturam ſit, etiam locus ſecundum naturam ei nullus datus eſt; ſed fluit, quocunque ferri poteſt, teſte *Ariſtot. lib. 1. de gener. anim. cap. 18.* Qua de re *Galenus 3. de ſympt. cauſſ. cap. 2.* ex colliquata materia, ſubitarios hydropum ſtatus aliquando produci ſcribit, ſi renes illam ſeroſam faniem ad ſe trahere præ imbecillitate nequeant; aut venæ materiem colliquatam in ventrem aut totum corpus effundant. Nec mirari quis poterit, tantos effectus veneno purpurato tribui, qui ſtupendas aliorum venenorum ἐνεργείας penſius æſtimaverit, quorum imitamento tot tamque graviſſima accidentia purpura poſt ſe trahit. Unde & σύντηξιν æmulari videtur lethale Circæi montis venenum, quod, ſi fides ſummo Philoſophorum *lib. de mirab. auſcult:* adhibenda, tantarum perhibetur virium, ut ſumptum mox pilis totum corpus nudet, ac ſolvat adeo membra cuncta, ut velut liqueſcentia cadaverum ſpeciem miſerabilem

Digitized by Google

lem tota ſuperficie præbeant. Quo ferunt *Pemeſtium Gajumq; Cleonymo Spartiatæ* inſidiatos eſſe, verum deprehenſos examinatosq; à *Tarquiniis* ſupplicio affectos.

Vis autem veneni purpurati συντηκτικὴ (quod de cæteris colliquationibus dicebat *Galenus 3. in 6. epid. text.29.*) interdum per ἄδηλον διαπνοὴν, inſenſilem tranſpirationem, corpus ægrum diſſolvit: interdum manifeſta ac ſenſibili evacuatione humores ac ſolida corporis colliquat & tabefacit, ut per alvum, urinam aut ſudores, quemadmodum jam dixi, σύντηγμα effundatur: cujus craſſior pars, ut docet *Galenus loc. cit. d. ſympt. cauß.* per ventrem ſecedit; imo ex mente *Ruffi* apud *Oribaſium lib.6. ſynopſ. cap.25.* in peſtilentia venter colliquationes partim ſurſum partim deorſum mittit. Dejectione, ſic contabeſcentium ſolent eſſe *pingues*, ut conſtat ex *Hipp. 3. epid. ſ. 3. text.55. Galeno in hujus loci comm.* & *2. progn. comm.2.* item *de decret. Hipp. & Platon. lib.8. cap.6. in fine, Oribaſ. lib.6. ſynopſ. cap.30. Æginetæ lib.2. cap.41. alba & ſubalbicantes ex Hippocrate 2. progn. text 21.* ubi pinguedo ab igneo aut maligno calore, ex ſententia *Galeni* in dicti loci explicatione, non tamen nimis vehementi abſumitur; *ſubcroceæ*, calore maligno majori abſumpta pinguedine, aut quia pinguedo ipſa vetuſta, ac velut ſemiputris exiſtat. Sic enim exterius non ſolum pinguedinem, ſed etiam ſebum diuturnitate temporis priorem colorem mutare, ac perſpicuè ſubcroceum reddi videmus. Idem *Galen. lib. de decret. Hipp. & Platon. adducto* colliquationem carnis ſimilem eſſe colore pallidæ bilis ad albedinem quandam tendente; ſæpenumero tamen eſſe craſſiorem pallidà bile, & putidiorem dixit: unde fuſis liquatisq; carnibus & aucto malo, *pravæ, bilioſæ, ſinceræ*, dejectiones in febribus colliquativis eſſe ſolent, eodem authore *3. d. dict. acut.12.* qui meras bilioſas dejectiones non ſolum in cauſis, ſed & in febribus malignis, quæ ſitim, & calorem moderatum habent contingere fatetur *3. in 3. epid. comm.34.* Confer *8. med. ſec. loc.6.* ubi in colliquationibus febrium peſtilentium evacuari bilem craſſam, graveolentem & abundè coloratam, & *4. aph. comm.21.* in longiſſima illa peſtilentia initio flava, tum fulva colore, tandem, ſanguine aduſto & putredinem extraneam adepto, colliqueſacta ramenta nigra fuiſſe memorat. Talis enim color excrementis colliquatis adeſt,

ſi colliquans vis vehementior fuerit, humoresque magis aduſti, quibus de cauſſis etiam ſubvirides aliquando prodeunt juxta *Galenum 2. progn. comm. 21.* Differunt tamen hæ dejectiones à flava bile fœditate odoris, colore, cum magis ruſæ ſint, & craſſitie, cum ſtrigmenti quandoque & olei ſubſtantiam referant, ut docent *Oribaſ. lib. 6. ſynopſ. cap. 30. Galenus d. decret. Hipp. & Plat. loco allegato, Ægineta l. 2. cap. 41. Aetio ſerm. 9. cap. 38. Sinceræ* etiam hæ dejectiones ſunt, quod nulla aquoſa humiditate ſunt permixtæ, ut explicat *Galenus 7. aph. comm. 6.* (quin etiam quæ nullum alienum humorem permixtum habent meracæ dicuntur) & maximam intemperiem & corruptionem demonſtrant, ſi principio morbi appareant, ut docuit idem *comm. 21. lib. 4. aph.* Nam dejectiones ſyncerae ſi declinante morbo, ſignis πεπασμοῦ præſentibus, appareant, ſalutares eodem loco cenſentur. Quò textum *Hippocratis Coac. ult.* ſpectare arbitror *Excrementum alvi ſyncerum febrem acutam ſolvit cum ſudore. Spumoſæ* quoque in purpura hæ dejectiones interdum cernuntur, propter inſignem calorem *3. d. diæta acut. 12. 2. progn. comm. 20. & 1. de criſ. cap. 11.* interdum propter ſpirituum in viſcido humore contentorum copiam. Dejectiones colliquantes præterea *leves* ſunt *& æquales*; quod materia colliquata æqualem alterationem à maligno calore paſſa fuerit; item *lentæ & glutinoſæ*, quod humidum vi συντήξεως abſumptum ſit ſecundum *Galenum 2. progn. cap. 21.* Viſcida enim excrementa, niſi ex qualitate eſculentorum talia generentur, calorem inſignem *loco eodem* ſignificant; quæ & à malignitate veneni colliquantis talia reddi poſſunt, abſumptis aut aliò decumbentibus humoribus. Unde pro colliquationis indicus habentur *lib. 1. d. criſ. cap. 11.* Siquidem quod pingue eſt ex pinguedine fit liquefacta; quod vero viſcoſum, ex ipſis ſolidis animalis partibus contabeſcentibus; quare multo gravius. Confirmat *3. in 3. epid. comm. 72.* ubi dejectiones pingues pravas quidem eſſe *Galenus* ſentit, ſed non adeo exitiales, ut aliæ dejectiones colliquantes eſſe ſolent: quod non perinde ſit carnē colliqueſcere ac adipem. Nam calor eſt ferventiſſimus qui carnem, mitior qui adipem fundit: ut & medici colliquationes, quæ per ventrem excernuntur, à pinguibus dejectionibus differre exiſtimaverint. Firmat *Gal.* exemplo, dum in peſte longiſſima ſuę ætatis cunctos prope colli-

qua-

liquationes excreviſſe refert, quoſdam mere fulvas, quoſdam moderatius, omnes putidas: quas & lethales fuiſſe, ſubitoq; intermiſſe ibidem narrat. *Avicennæ lib.3. Fen.16. tract.1. cap.3.* fluxus alvi ex liquefactione humorum eſt virulentus & aquoſus: & qui eſt ex liquefactione adipis eſt virulentus groſſus, ſicut in ulceribus, cum pinguedine & colore diverſo &c. Et ſimiliter eſt diſpoſitio liquefactionis carnis rubeæ, niſi quia ſine pinguedine, & eſt poſtremû ejus fæculenti coloris. Etſi vero priſcorum medicorum conſtans ſit ſententia dejectiones colliquativas peſtilentialium febrium eſſe paucas craſſas, læves, æquales & viſcidas, atque experientia atteſtetur, tales efferri; necquicquam tamen dubitandum cenſeo, fluxus colliquativos in purpuratis febribus aliquando eſſe tenues, crudas & multas, ſi colliquata materia tenuior fuerit, ejusque ichor non ad renes & veſicam aut habitum corporis ſed ad alvum deferatur, valida cum primis *συντήξει*, quæ à gravi malignitate producta, copioſum colliquamentû efficit. Tandem dictis fluxibus colliquativis fœtor plerûq; adeſt, ob inſignem putredinem conjunctam: cum teſte *Galeno 2. progn. comm. 22.* fœtor putredinis indicium præbeat: qui etiam retorrido ardentium febrium calore fuſis colliquamentis ſemper conjungitur, ut fœditate odoris hæc à bile & viſcidis excrementis à ſimilibus alimentis genitis diſtinguantur, ut ex ſupra allegatis locis cuivis conſtare poteſt. Obſervavi tamen in purpuratis peſtilentibusq; colliquationibus, excrementa alvi nullo fœtore interdum reddita fuiſſe, nec calorem aut putredinem vehementer ſe exeruiſſe, ſola malignitate morbi tam ſævi ſymptomatis effectrice; quæ non ſimplici manifeſto calore, ſed venenata pernicie humores ſolidasque partes tabefaceret.

Hos alvi fluxus *συντηκτικοὺς* quò expeditiùs cognoſcere liceat, alia conferenda ſigna: præterquam enim quod urina & ſudor expreſſum colliquationis characterem referant, facies etiam ægrotantium liveſcit, & inter principia morbi *Hippocratica* apparet, deſcripta in prognoſticis *text. 6 & 7.* in qua, ut *Lucr.* verbis *lib 6. d. rer. natura* loquar,

Compreſſæ nares, naſi primoris acumen
Tenue, cavati oculi, cava tempora, frigida pellis,
Duraq; inhorrebat rictum, frons tenta minebat.

quod ſpiritus vitales humidumque primigenium partium ſolidarum purpuræ malignitate conſumantur, ut propterea facies vividum ac naturalem colorem amittat, diffuſo per ejus partes maligno calore; cujus etiam caro, ut & totius corporis ſubtegmen, ob colliquationem, cũ miraculo fere ſubito extenuatur, cutisq; relaxatur paulo ante ſucciplena, quæ aucta συντήξει mox tenditur. Quod ſi quantitatem excreti humoris per ſimplices diarrhœas cum iis quæ συντήξει efferuntur, conferas, differre has dejectiones ab illis cognoſces; namque illic humor quidem copioſior, ſed minore cum damno, interdum nullo manifeſto incommodo; ſæpe bonis ægrorum rebus corpore effertur: at in purpura paucis plerumq; excrementis profuſis nulla ſublevatio morbi apparet, & præterquam quod corpus conſumatur, cuncta in pejus certo ruunt: vires pariter, levibus ſpecie ſymptomatis, proſtratæ languent, ut corpus mole gravatum ſua eas amplius ſuſtinere non poſſe, adſtantes atque ipſe æger admirentur: Pulſus quoque parvus eſt ac languidus, qui interdum intercalari ἀσφυγμίας penitus concidat: cor enim, cum fons ſit & ſcaturigo omnium ſpirituum vitalium heic inſigniter laborat, corruptum & exhauſtum veneni φθοροποιῷ pernicie: quō alterato ſpiritus vitales diſſipantur, nec tanta copia regenerantur, qui explicandæ arteriæ ſufficiant. Quin & retractione ſpirituum vitalium ob venenatam qualitatem, cordi jam inquilinam, dicta ἀσφυγμία contingere poterit: unde & extrema refrigerata apparent, recurſu ſpirituum ad cor, quod & maligno calore incenſum cucurbitulæ inſtar ad ſe innatum calorem retrahit, qui ad habitum corporis inopiâ ſpirituum etiam ſe diffundere nequit; quod ſpiritus colliquatione reſolvantur ac conſumantur. Ungues crinesque ſæpe decidunt, effuſa ad radices eorum maligno humore, qui extincto calore livere ungues facit. Moriuntur 4. 7. 9. morbi die: excretiones enim hæ lethales ſunt, nec tempus perferunt, ut teſtatur *Galenus 3. in 3. epid. t. 72.* interdum prolato hoc mortis termino lêntâ tabe defluente corpore ſenſim conficiuntur, ſi pauca, ſi lenta colliquatio ſit, ſolidasq; partes morbus occuparit, febrium μαρασμωδῶν æmulus. Rariſſimi ex hoc periculoſo ſymptomate reſtituti priſtinam recepere ſanitatem.

Porro

Digitized by Google

Porro de fluxu colliquativo dubitatur, an ſit ſymptoma inſeparabile febris, quam peſtilentem privatim vocant, quæ mortales vel citra peſtem corripit, ut ſentit *Galenus 3. in 3. epid. text. 57.* quod peſtem peſtilentesque febres ſæpe graſſatas fuiſſe compertum ſit, in quibus non omnes ægrotos colliquatione correpti fuere. Cui rei explicandæ notari velim, in peſte ſæpiſſime hos fluxus quidem contingere, ut ex authorum diverſis locis jam allegatis jam demonſtratum; non tamen perpetuo in eadem reperiri, ob ſummam veneni peſtilentis in agendo celeritatem, qua infecti citius mortem oppetunt, quam diſſolutio illa partium ſolidarum humorumque colliquatio contingat: at in febre peſtilente privata, quæ citra peſtem homines nonnunquam afficit, qualem purpuram eſſe ſuo loco demonſtravi, cum minore pernicie morbus lædat, nec adeo celeriter infirmos perimat, ſpiritus, humores ſolidæque partes labe inquinantur, ſenſimq; ſepticô purpuræ venenô funduntur ac diſſolvuntur: hinc colliquatus ἰχὼρ, quoquoverſum patet via, præcipue vero ad alvum, quo craſſior ejus pars decumbit, delabitur. & fluxus colliquativos efficit: idq; in his purpuratis febribus ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ contingit: nam perpetuum iſtos hunc morbum comitari experientia negat, & *Galenus 3. in 3. epid. comm. 72.* in peſte ſuæ ætatis longiſſima *cunctos propè* colliquationes excreviſſe, fatetur. Et interdum in ipſo principio, interdum adulto ac in vigore conſtituto, aut in ſpeciem declinante morbo funeſta hæc alvi colliquamenta erumpere, interdum & morbi maligni pravitate feſtinatam mortem iſtos fluxus anteverte re, ſæpe eoſdem alio curſum ſuum flectere videmus, ad urinas, ad habitum corporis; quod poſtremum in peſte longiſſima Galeni accidit, in qua etſi colliquationes excernerentur, ut *loco allegato & text. 57.* idem author memorat: quibuſdam tamen excretionem non per alvum fuiſſe factam; ſed puſtulas nigras, quæ exanthematis ſimiles eſſent, emerſiſſe *lib. d. atra bile cap. 4.* & alibi teſtatur.

Ex iiſdem quoque cauſſis, ex quibus increbreſcere alvi fluxum dixi, & teneſmus in his morbis oboriri ſolet: cuj⁹ *Hippocrates l. 3 text. 13.* in peſtis illius ſæviſſimæ hiſtoria meminit, & pueris inprimis familiarem fuiſſe teſtatur, quem etiam in peſte *Galenus d. cib. euchym. & caco-*

catochym. cap.1. obſervavit. Hunc affectum dolorificum & moleſtum idem dixit: dolorificum propter tenſionem & continui ſolutionem ab acribus humoribus factam, moleſtum vero propter aſſiduitatem ſurgendi & deſidendi: utroque vires jam ante maligno morbo affectas exolvi extra controverſiam eſt.

In tanta pravorum humorum corruptione ac putredine vermes ſæpe ſuccreſcunt, & teſtatur *Balthaſar Conrad. d. febr. miſc. Ungar. cap. 11.* ~~vermes in hoc morbo non ſolum in alvo, ſed & in~~ capite ~~natos qui per nares ſibi egreſſum paraverint, unde intolerabiles~~ capitis dolores obortos fuiſſe ſcribit: ut febrem Ungaricam propterea θηριώδη appellarit; vulgus patrio ſermone den Hirnwurm. *Herc. Saxon. lib. 10. d. plica cap. 28.* Anno cIↄ Iↄ XLIX. in Pannonica illa peſtilenti conſtitutione paſſim in humanis corporibus viperas & lacertos natos fuiſſe narrat. Sic *Foreſtus lib. 6. obſerv. med. 4. & 5.* febris cujuſdam epidemiæ peſtilentis & malignæ meminit, in qua copioſi vermes excreti. Idem facit *Zacutus Luſitanus*, qui *lib. 4. med. princ. hiſtor. 46. quæſt. 42.* in peſte ſæviſſimâ quæ totam Luſitaniam, & in ea Olyſipponem depopulata, principio morbi omnibus vermium rotundorum nigrorum copiam per nares ſolùm emanaſſe obſervavit. Et *lib. 3. prax. admir. obſ. 90.* in febre maleficentiſſima, deterrimis comitata ſymptomatis cum angore ſummo, tribus diebus continuis 62. lumbricos per os expulſos refert. Unde πυρετοὺς θηριώδεις has febres poſſe vocari cum Balthaſare Conradino ſtatuo: quemadmodum *Hippocrates 2. epid. & 6. epid. ſ. 1.* φθινόπωρον θηριῶδες dixit, quod in autumno maxime vermes in morbis generentur & expellantur: ita enim vertit *Foeſius: autumnus ſua feritate & malignitate interaneorum animalia maximè gignit*, ſecutus ea in re *Plinium lib. 20. hiſtor. nat. cap. 6.* quo vocem θηρίων aliqua ex parte aſſequeretur. Per θηρία enim *Galenus in Exegeſi vocum Hippocratis* ea animalia intelligit. Sic 4. *epid. in Eumenis uxore* autumno decumbente lumbricum vomitu rejectum author *4. libr. epidemiorum* refert, qui dum ibidem autumni morbos recenſet, eos θηριώδεες ἐν τῇσι κρίσεσι fuiſſe ſcribit, ubi febres intelligit, in quarum ſolutione & declinatione vermes excernuntur. Pariter & *Avicenna lib. 1. fen. 2. doct. 2. cap. 6.* vermes in autumno in ventribus multiplicari docuit propter debilita-

tem

tem virtutis in digerendo & expellendo, aut propter fructuum copioſam comeſtionem, eorumque putrefactionem ut *lib.13. fen.16 tract. 5. cap 2.* autumat. Niſi πυρετοὺς θηριώδεις has febres quis vocet, quas *Hippocrates 6. epid. ſ. 1. text.17.* appellavit δεινοὺς ἰδεῖν aſpectu truces, ob vultum tetricum ægrotantium, aut ob earum malignitatem & truculentiam, quemadmodum *Hippocrates de loc. in hom.* ἄγριον ἕλκος θηρεῖον appellavit, & *Aretæus lib. 2. d. cauſ. & ſign. acut. morb.* φαγεδαινικὰ θηριώδεα dixit, quod exitiales & valde maligni morbi in eo generentur, ut de autumno confirmat *Hippocrates l. 2. epid.* & *3. aph. 9.* Hoc experientiæ & clariſſimornm medicorum teſtimoniis certum eſt, in purpuratis peſtilentibusque febribus creberrime vermes ſubnaſci ex maligna humorum putredine productos. De quibus ex *Æginet a lib.4. cap.57. Aetio ſerm 9. cap. 39.* referre placet, lumbricos circa morborum initia generatos naſci ex ſubjecta præſenti corruptione; circa vigorem ex morbi malitia, in declinatione morbo in melius vergente, qui etiam citius ſeparantur, quod natura illos reliquorum excrementorum inſtar foras propellat. Unde *Hippocrates* lumbricos rotundos cum alvi excretione prodire morbo ad judicationem tendente bonum eſſe teſtatur, *2. progn. t.18.* Firmat *Avicenna lib.3. tract.5. fen.16. cap. 2.*

Urina non ſemper eadem eſt in hoc morbo, nec ſubſtantiâ, contentis, colore, aliiſque accidentibus ſibi ſemper ſimilis effluit, vulgo incerta indicio; ſagaci ac prudenti medico, cui & maxime tuta in purpuratis ſuſpecta ſunt, magnas notas dabit, quocunq; modo excernatur. Interdum copia excedit, & ceu jugis aquæ fons larga mictione ægrum exhaurit, ut diabetæ ſimilis affectus videatur, refertq; *P. Salius Diverſus de febr. peſtil, cap.17.* nobilem quendam ſpatio quinque horarum lotium colore venetum, odore fœtidum, ad libras pluſquam viginti excreviſſe, indeq; ægrum ſæpius in ſyncopen incidiſſe, ſubitoque emaciatum, ut videretur non per quatuor dies, ſed per quatuor menſes ægrotaſſe: qui ſceleto ſimilis factus ſequenti nocte expiravit. *Hippocrates noſter 3. epid. ſ. 3 text.41.* & 62. in ſæviſſimâ illâ peſtilentiâ urinas multas citra commodum infirmorum redditas memorat: quod & in noſtra purpura factum, ut in quibuſdam ægrotis, inprimis *Bernhardi Frieſen* uxore, toto morbi

decurſu

decurſu copioſiſſimas, conſiſtentia aquoſas excerni urinas adverterim, nullo ſublevamento morbi; quod non criticè evacuarentur, (namque illo modo copioſas ſalutariter interdum emiſſas, eadem tempeſtate ab Hippocrate obſervatum) ſed ſymptomaticè, copiâ ſeroſorum humorum, (quod largus ichorum proventus fieret cœlo pluvio) aut acrimonia, à maligno calore producta & vaſa urinaria ſtimulante: quales etiam à colliquatione redduntur ut docuit *Hippocrates* noſter *3. epid. ſ. 3. text. 61.* Equidem cauſſam tam ſubiti ac pertinacis profluvii ex eodem ſtatuo colliquationem humorum carnis atque adipis a pernicioſa purpurati veneni qualitate factam, quæ humores maligno ac retorrido calore fundat & colliquet. Cum enim authore *Ariſtotele lib. 1. de gener. anim. cap. 18.* σύντηγμα τὸ ἀποκριθὲν ἐκ τοῦ αὐξήματος, ὑπὸ τῆς παρὰ φύσιν ἀναλύσεως, colliquamentum, quod ex incremento ſecernitur, reſolutione præter naturam fiat, &, eodem docente, colliquamento locus nullus ſecundum naturam ſit, ſed fluat, quocunque facilius ferri poteſt, accidit, ut venarum ſuccis in ſeroſam ſaniem reſolutis, renes ad ſe ejuſmodi liquamentum trahant, præſertim ubi integra valetudine conſtant; tum enim ſerum à venis expurgant, & continenter veſicæ tranſmittunt fluxionem, ut ait *Galenus 3. d. ſympt. cauſſ. cap. 2.* Quod ſi renes imbecilli tantam colliquati ſeri copiam trahere nequeant, aut craſſitie humorum præterfluentium obſtruantur, aut malignus purpuræ calor eos nondum occupet, prolapſu colliquatæ materiæ in cavitatem abdominis, aut refluxu in habitum corporis ſubitarios hydropum ſtatus aliquando generari *Galenus* ſcribit.

Interdum urinæ paucæ redduntur, quod malignus calor ſerum ſanguinis abſumat: acres etiam, ut cum dolore exilient, corruptis atque inquinatis acrimonia maligna ſeroſis humoribus: quod ut peſſimum ſignum in *Sileno* notavit *Hippocrates lib. 1 epid. ſ 3 Ægr. 2.* qui ante mortem paucas & mordaces minxit. Imo ſupprimi aliquando penitus urinam in principiis peſſimarum febrium obſervavit *Aetius lib. 5. cap. 126.* & inter ſigna periturorum hoc morbo ἰσχουρίαν repoſuit *Fracaſt. lib. 2. d. morb. contag. cap. 6.* quod in *Henrici Venzeri* nautæ uxore, aliiſque verum eſſe experientia docuit. Quis vero non extimeſcat ſuſpectam hanc ἰσχουρίαν, cum nullis exulceratæ

veſicæ

veſicæ indiciis, tam leni purpuratæ febris calore ſerum & conſumatur & acrimoniam acquirat, ut ad crebrius mejendum ægros ſollicitet? Quis non miretur *ἰσχουρίαν* oboriri, atque intus reſtagnare urinam, nullis veſicæ aut renum morbis, ſeu raptu humorum ad caput, quod turbatum ſtimulantem urinam non percipit; ſeu emortua ſentiendi facultate, ut arbitratur *Galenus in 1. epid. ſ. 2. comm. 75.* & exemplis *mulieris Cyzici 3. epid. ſ. 3. t. 84. anginoſæ apud Bitonem 3. epid. ſ. 2. text. 4.* quibus urinæ ſuppreſſæ, confirmari poteſt.

Tenues crudæ & aquoſæ urinæ ſi primis diebus effluant, cruditatem morbi indicant; ſecundum *Galenum 1. de criſ. cap. 5.* quales in aliorum morborum principiis reddi frequenter videmus: illud tamen in his ſingulare eſt, quod & malignam indolem oppido atteſtari poteſt, crudas in tam miti, ac vulgo cōtempto inter initia morbo effundi, taleſque plurimis diebus perſtare, quibus nullam alterationem recipiant, facultatis coctricis languidæ ac proſtratæ argumento, eodem *Galeno* teſte *lib. cit. cap. 12. & 2. progn. comm. 32.* præſertim, ſi cætera ſymptomata hunc languorem ſimul demonſtrent: quum in aliis morbis facultas naturalis nō tam ſubitò, ut in maligna febre, ſuccumbere ſoleat. Cæteroquin, cum in purpura maligni humores ſua ſponte caput petant, illudque graviter infeſtent, crudæ & aquoſæ aliquando minguntur urinæ, & raptum humorum ad caput atque inſtans delirium ſimul prænunciare ſolent, bilioſis & acribus humoribus, qui urinas colore inficere ſolebant, alio abductis.

Urinæ craſſæ, turbatæ, confuſæ ac rubicundo colore ſaturatæ frequentiores in purpuratis febribus apparent, maximamque humorum turbationem ac fermentationem ſignificant, cum facultatis naturalis debilitate, quæ ſeparare à ſe invicem homogenea nequeat. Hæ aliis ſignis ſimul collatis purpuratæ febris indicia dare ſolent: quas etiam ſæpiſſime non levem fallacis hujus morbi ſuſpicionem mihi præbuiſſe fateor; etſi febris hæc foris quieta appareret, nulluſque ſæpe calor ſe proferret: quod interiora turbarentur, atque muſti adinſtar efferveſcerent, (ut urinæ turbidæ manifeſtò docebant) nullaq; alia cauſſa eſſet, cui tanta turbatio humorum deferri poſſet. Hujus rei memorabile exemplum videre licet apud *Johan Thomam Minadoum lib. 1. d. febre malign. cap. 22.* Quemadmodum in-

Cc nobili

nobili virgine Rantzovia auguria malignæ febris, nulla populari tum purpura, ex talibus urinis primùm adveniens accepi.

Quod ſi urinæ virides, lividæ, aut nigræ excernantur, majus adhuc ſubeſſe periculum portendunt; ex quibus illæ æruginoſæ vel porraceæ bilis permixtione generari dicuntur ab *Actuario lib. 1. d. cauſ. urin. cap. 11.* atque ſic interiora uri maligno calore oppidò teſtantur: niſi quis dicere malit vi purpurati veneni corrumpi atque diſſolvi humorum ſubſtantiam extincto calore nativo; ut inde tales urinæ reddantur; quemadmodum venenis acceptis aut foris illatis corpus rubeis, buxeis, nigris coloribus ac maculis ſuffundi videmus: illæ à frigiditate produci ſolùm dicuntur *Galeno 2. progn. comm. 29.* & *1. d. criſ. cap. 12.* hæ igneum calorem, aut ex frigiditate extinctionem caloris demonſtrant loco adducto; quo authore diſci poteſt, urinæ ſubſtantiam denigratam adeo feralem indiciò eſſe, ut nullum viderit ſervatum, qui talem minxerit: unde & urinam nigram lethalem pronunciavit *1. de criſ. c. 5. in fine* quod & exẽplis *Philiſci 1. epid. ſ. 3. ægro 1. & adoleſcentuli, qui in Mendacium foro decumbebat l. 3. epid. ſ. 2. text. 5* firmari poteſt. Id autem de tali urina intelligendum cenſeo, quæ ob ſerum atræ bilis admixtum, aut ob calorem nativum penitus emortuum nigra effunditur: extincto enim ſpirituum ſplendore humores in venis corrumpuntur & nigreſcunt, unde conſimilis color urinæ communicatur: cæteroquin ex his, qui ſedimentum, aut enæorema aut nebulam nigra habuere, nigramque urinam minxere, quoſdam ſervatos fuiſſe, & quartanarios, melancholicos, ſpleneticos inclinante jam malô urinas craſſas nigras cum εὐφορίᾳ profudiſſe vidi, admixtione ſeri melancholici: quod inſtar fuliginis colore ſuo urinam inficit ac decolorat, ut docuit *Theophilus lib. de urina cap. 6.*

Urinæ ſæpe pingues prodeunt, quibus, inſtar telæ aranearùm, pinguedo concreta innatat, eæque colliquationem & conſumptionem pinguedinis ſignificant, docente *Hippocrate 2. progn. text. 35. & 7. aph. 35.* ſpumoſæ pariter ſunt, ut conſtat ex *Galeno lib. 1. d. criſ. cap. 11.* Quod ſi colliquatio gravior fuerit, ut caro ſolidæve partes diſſolvantur, farinæ hordei aut orobi craſſioris, aut ſquamularum aut furfurum ſpeciem urinarum ſedimenta referent, ex ſententia *Galen. com. 2. progn.*

Digitized by Google

2. progn. text.28. 5. in 6. epid. text. 15. lib. de Urinis Galeno adſcripto cap. 26.27.28. & ſeq. & 1. d. criſ.cap.12. Ut enim colliquationes, quæ per ventrem excernuntur, putant medici à pinguibus dejectionibus diſtare: ita & colliquantia lotia à pinguibus *Galenus* manifeſto diſtinxit *3. in 3. epid. text.72.* illaque ut pejora his & maxime exitialia damnavit, quod non perinde ſit carnem colliqueſcere atque adipem: cum calor ferventiſſimus ſit, qui carnem fundit, moderatior qui pinguedinem; is vero in hoc morbo exiſtat maligniſſimus: cujus κακοήθειαν etiam hæ urinæ profuſæ arguunt, atq; humorum, ſolidarumque partium ſubſtantiam non valido febrili æſtu per totum corpus diffuſo, ſed miti in ſpeciem, & circa viſcera abſtruſo maligno calore diſſolvi indicant.

Sæpe urinæ prodeunt ſubſtantia colore ac ſedimento laudatiſſimæ, ut inſtantis, aut jam præſentis morbi nulla ſollicitudo ægrum, adſtantes, interdum & ignaros medicos teneat, hosque inſigniter ludat. *Galenus 3. de præſag. pulſ. cap.4.* ſexcentos in diuturna illa peſtilentia obſervavit, in quibus urina colore ac ſedimento ſimilis eſſet naturali. Quod pariter teſtantur *Avicenna lib.4. f.2.tract. 1. cap.8. & lib. 4. f. 1. tract. 4. cap. 2. Scaliger exerc. 32. Nicol. Maſſa procem. tract. d. febr. peſtil. Boccang. cap.11. Fracaſtor. l.2. d. morb. contag. cap.8. P. Salius Diverſ. d. febr. peſt. cap.16 Herc Saxon. lib.8. d. feb. c.37. Mercurialis lib.5 d. febr. cap.17.* An *Hippocrates 1. prorrhet. ſ.2. text.24.* idem ſignificare voluit, dum urinas coctas malas eſſe dixit in rubris [illegible], i. e. in pulicari hac febre? Tales vero effundi urinas arbitror, non, quod putredinis magnitudine, aut veneni virulentiâ deterrita natura coctionem materiæ pravæ aggredi non audeat: (cum coctio urinæ ſit actio naturalis facultatis, quæ non agit conſultò, & electione; ſed more aliorum agentium naturalium, quæ ex neceſſitate operantur circa proximam materiam: unde fit, ut natura, quantum per materiæ conditionem præſtare licet, coctioni pravorum humorum ſemper operetur, eosque in meliorem ſtatum reducere conetur;) ſed quod materia purpuræ in venenatâ potius qualitate conſiſtat, quam in gravi largaque putredine, per quam etiam magis operatur, quàm manifeſta qualitate: unde nec coctionem aliis morbis conſuetam recipit, nec ejus indicia ex urinis peti

Digitized by Google

poſſunt, quod eæ intemperiem, cruditatem, coctionem ſolum; non vero exceſſum venenoſæ qualitatis demonſtrare ſoleant. Præterea cum deleteria purpuræ qualitas cordi ſit adverſiſſima, & admodum exigua quantitate poſſit contineri, ſæpe abſque humorum putredine, cujus nulla ſigna ex pulſu, urinis aut ſanguine extracto obſervantur, excitare morbum poterit certo loco abſtruſa, unde cum venenum certis ac manifeſtis qualitatibus in cor nondum fecerit impreſſionem, nec humores in venis adhuc dum putreſcant, ut urina mutari inde queat, ſanorum ſimillima conſpicitur. Sic nec in lue veneria in extracto ſanguine aut urinis illius affectus obſervare ſigna licebit, niſi morbus admodum inveteraverit: & in rabido cane demorſis, dum nondum toti corpori communicata labes, urina à ſanorum lotio parum aut nihil differt. Quin in puris tertianis à prima acceſſione ad tertiam ſæpe urina ſatis naturalis apparet, niſi aliquis error externus interveniat: idemque in aliis putridis contingere interdum medici obſervant, dum ſubjecta putredinis materia benignior eſt, & remedia tempori exhibita latius diffundi putredinem haud patiuntur: Non tamen negaverim, ubi febris valida ſuis comitata ſymptomatis infirmum attinuerit, ac putredo humorum late per venas diffuſa, hujus ſigna in urinis manifeſtari, eaſque rubras, craſſas, turbidaſque effundi.

Interdum deſperatis ægrorum rebus, victâ ſuperatâque naturâ, non in peſtilentibus ſolum febribus; ſed & aliis morbis, ubi mors in propinquo, urinæ ſanorum ſimillimæ fluunt: quod nihil craſſæ & morboſæ materiæ per illas partes imbellis natura trajicere poſſit; unde & clariores urinæ apparent, quarum tamen coctioni reſtibilis calor nativus, quantum poteſt, adhuc incumbit. Sic diuturna ulcera, fonticulos ſaneſcere, & exiccari in morti proximis videmus, dum robore naturæ nihil noxiæ materiæ ad partem affectam amplius expelli poteſt. Quæ res ignaris facile imponere ſolet, ut meliorem ſpem votivæ ſanitatis ægris affulgere autument; medicum ſuſpicacem gravioris mali reddunt, ut, cunctis aliis ſignis perniciem morbi teſtantibus, ſolas urinas ſimulata illa bonitate ludere, ſtatuat.

Illud

Digitized by Google

Illud denique, ut maximè hujus loci, monere conſultum factu cenſeo, urinas laudatas aliquando in purpuratis reddi cum ſignis manifeſtæ coctionis, ſuperata ſcilicet putredine, ſymptomatisque inde natis manifeſto remittentibus. Quibus tamen necquicquam temere fidendum, niſi maligna qualitas alexiteriis ſimul penitus victa fuerit: quod hæc, ceu princeps morbi cauſſa, & coctionis expers ſit, & propterea illius notæ in urinis non deprehendantur, & ſolis alexipharmacis domari poſſit: quæ ſi vel invaleſcat, vel imprudenter negligatur, victâ putredine, urinisque coctionem ac ſalutem promittentibus, non raro ægrotos abripere ſolet, ut obſervarunt *P. Salius Diverſus de febr. peſtil. cap. 16. Lud. Mercatus lib. 7. d. febr. peſtil. malign. cap. 2.*

Hæmorrhagia purpuræ admodum familiaris eſt, ut propterea ad ſanguinem analogiam præcipue habere videatur, qui veneni malignitate corruptus & acrior factus extremitates venarum erodit ac reſerat, variisque locis effunditur. An quod cum aliis venenis hæmagogis, ut crocodilio, analogiam habere videatur: hujus enim radice in aqua fervefacta & pota ſanguinem copioſum per nares pelli *Dioſcorides lib. 3. cap. 10. Plinius lib. 27. hiſtor. nat.* tradidere? Et nota eſt hiſtoria venefici apud *Galenum d. purg. med. fac. cap. 4.* qui peculiari quadam herba primum ſanguinem, mox vitam hominibus auferebat. Sic Hæmorrhois, ſerpentis genus ex eo dictum, quod morſu ſanguinem eliciat, & diſſolutis venarum commerciis, quicquid animæ eſt, per cruorem evocet, teſte *Solino cap. 40.* Unde *Lucanus Pharſal. lib. 9.*

At non ſtare ſuum miſeris paſſura cruorem
Squamiferos ingens hæmorrhois explicat orbes

De hæmorrhoo ſerpente retulere *Aetius lib. 3. cap. 32.* & *Paulus Ægineta lib. 5. cap. 16.* quod, qui hæmorrhoi ictum ſenſere, iis multus ex plaga ſanguis erumpat, & ſi cicatrix toto corpore inducta ſit, rumpatur, fundatque ſanguinem, cruenta excernantur recrementa, ſanguis qui defluit, in grumum concretus ſit: ægri pulmone ſanguinem rejiciant, quem evomentes etiam ſine remedio intereant.

Hæmorrhagiam narium in peſte Attica frequenter erupiſſe præter *Thucydidem Lucretius lib. 6. de rer. natura* ſequentibus teſtatus

multus capitis cum ſæpe dolore
Corruptus ſanguis pletis ex naribus ibat:
Huc hominis totæ vires corpusq; fluebat.

Idem de hac lue memorant *Hier. Fracaſt. l. 2. d. morb. contag. cap. 7. Nicol. Maſſa de febr. peſtil.* illis ſcilicet annis, quibus lues hæc per Italium debacchata, funeſtas hæmorrhagias obſervatas fuiſſe. Quemadmodum & ego frequentes hac tempeſtate obortas hæmorrhagias, nullumque prope ægrotantium largiore ſanguinis fluxu ſervatum fuiſſe adverti.

Sed nec ſolùm è naribus ſanguis copioſus exit, ſed & per uterum & hæmorrhoides ani ſe effundit: quin puellis utero menſes anticipantes profluere, vetulasque, queis jam naturæ lege menſes ceſſarent, hæmorrhagiam uterinam pati memini, inrito ac infelici naturæ conatu, aut potius acrimonia corrupti ſanguinis vaſis reſeratis. *Thucydides l. 2. belli Peloponneſ.* ſui temporis peſtilentes morbos ad uterum ſæpe deſiiſſe, eumque graviter & cum aſſiduo profluvio concuſſiſſe memorat. Et, ut cætera exempla taceam, *Georgii Bulovii Nobilis Megapolitani*, uxori, petechiis, mox variolis laboranti, funeſta hæmorrhagia uteri interitum attulit.

Ut vero nimia hæmorrhagia ægro pernicioſa eſt; ſæpiusque heic apparet; ita non minus frequens his morbis ſubſtillum ſanguinis, quocunque efferatur loco, periculoſum, oraculo Divini Senis *Coac. aph. 57. Quæcunq; abſq; judicationis ſignificatione diſparent, male decernunt.* Ita ſtillas meri ſanguinis ex naribus quinto die in *Philiſco* apparentes *lib. 1. epid. ſ. 3 hiſtoria 1.* item in *Thaſo Pario* cuidam, qui ſupra *Dianæ* ædem decumbebat, octavo parū ex naribus ſtillaſſe *3. epid. ſ. 3. ægroto 1.* & in graviſſima peſtilentia *libro allegato* ægros paucum ſtillaſſe ſanguinem *Hippocrates* notavit: quod omnis de naribus ſtilla pravum ſit ſignum, & exitium impendere ſignificet, ut docuit *Galenus* in dictorum locorum commentariis. Acrimoniam enim, & ex maligna qualitate corruptionem ſanguinis ſtillæ ſignificant, quod is propriis locis contineri nequeat; aut naturæ effœtas vires quaſi digito monſtrant, quæ incepta hac vacuatione ſe liberare conetur, ſed gravitate morbi oppreſſa in ipſo opere deficiat.

Dum

Dum autem maligna purpuræ vis menſes ciet, crebriores abortus ut plurimum efficit, non ſolùm, quod gravidam morbo acuto corripi perniciolſum ſit ex mente *Hipprocratis 3. aph. 31.* ſed etiam quod defraudato fœtus genio, ac pabulo per hæmorrhagiam ſubtracto ſuccreſcere is non poſſit, maxime vero, quod cauſſis ἀπὸ τῶν ἔξωθεν aut τῶν ἐνεόντων maligna qualitate infectus & corruptus ſanguis ipſum fœtum ſimili labe inquinet ac corrumpat.

Sudores præſenti morbo ſignificando etiam ſuum invenere locum, qui interdum ſua ſponte primis morbi diebus, aut durante morbo confertim erumpunt, ægro necquicquam inde ſublevato, ut de *Eraſino* ſcripſit *Hippocrates lib.1. epid. ſ. 3. hiſtor. 8.* qui febre correptus διὰ πλείονος ſudavit, i. e *ſemper, ſeu per totum morbum ſine judicio*, ut explicat *Galenus in comm.* Ita in Henrico Winhagen/febre maligna detento, profuſiſſimi ſudores toto corpore manabant, poſtquam primùm ægrotare occœperat, qui usque ad extremum vitæ terminũ continuantes verè ſuſpecti erant, quod principio morbi, ubi cruditatum alias referta ſunt omnia, & toto decurſu morbi, viribus indies labentibus, perenni madore corpus diffluerer: cum illud non robore naturæ fieret, ſed vi morbi, cujus ſævitia fuſi humores, ac reſoluti in vapores, delatiq; ad habitum corporis continuò foras pro manabant: aut quod maligna febris analogiâ quadam in tenuiorem humorum partem feciſſet impreſſionem, quemadmodum id ſuperiori ſeculo in hydropyreto Anglico patres noſtri obſervarunt. *Galenus 3. in 3. epid. comm. 41.* copioſos ſudores corpore efferri aſſerit, ſi ſeroſi humores nimia copia luxurient, aut eorum acrimonia naturam ad excretionem ſtimulet: hæc enim caloris exceſſu ac pravitate malignæ febris in nobis generari poteſt: iſti vero, ſi corpus ad eorum generationem fœtum ſit, cumprimis vero ab aeris humida & pluvioſa conſtitutione in nobis produci ſolent. Cum enim teſte *Hippocrate lib. 3. aph. text. 1.* mutationes temporum potiſſimùm pariant morbos, ſi eorum naturæ & temperamenti alterationes contingant, ut ait *Galenus in comm.* idque confirmat *3. in 3. epid. t. 9. & 3. aph. comm. 7.* multos in his morbis effundi ſudores par erat, quod totius anni cIↄ Iↄc XXXVIII. & ſequentis conſtitutio nebuloſa humida ac pluvia eſſet. Namque aeris ambientis humiditas pituitoſos hu-

ſos humores colligit & non parvam copiam aqueæ humiditatis cumulat, ut docet *Galenus lib.3. aph. comm.7.* Quod fidiſſima obſervatione ſummi Præceptoris nobis conſtare poterit, qui *1. epid ſect. 2. text.10. & 11.* in conſtitutione anni humida & frigida ſudores & multam ſuperfluam humiditatem conſecutam refert. Firmat *2. epidem. ſect.2. & 3. aph.6.* Quum æſtas ſimilis fuerit veri, ſudores in febribus multos expectare oportet. Sic in peſtilenti conſtitutione febre ardente detentos ſoporoſos fuiſſe *3. epid. 3. text.34. & text 48.* lippitudines humidas, longas, laborioſas, *text.66.* tabes plurimis obortas narrat, quod, ut dictis locis explicat *Galenus*, ſtatus anni eſſet auſtrin°, pluvius, ventis in totum ſilens, qui caput multa humiditate impleret. In hydropyreto Anglico, priuſquam is affectus autumno ac circa hyemem affligere inciperet, totius anni, præcedentis præſertim, conſtitutio valde humida fuit, pauco admodum calore; & in quibuſdam Belgii locis hæc peſtis invaſit cum craſsâ ac fœtente nebulâ, atque debacchata ſpirante auſtro calido ac humido, & copioſa pluvia, ut referunt *VVierus d. morb. in cogn. cap. de ſudore Anglico pag. m. 89. Tyengius medicus Amſtelredamenſis apud Foreſtum lib. 6. obſerv.7. in ſchol. & obſerv.8.*

Interdum vi purpuræ συντηκτικῆ humores corporisque ſubtegmen colliquantur, ac in ichoroſam ſubſtantiam reſolutâ diaphoreticis ſudoribus materiem præbent, ſi ad habitum deferantur, authore *Galeno 3. d ſympt. cauſ. cap. 2.* qui graviſſimi morbi malitiam oppido demonſtrant, quod nō niſi maximis cauſſis tam grave ſymptoma provenire ſoleat: cujus colliquationis ſigna jam recenſui, quibus etiam ab alio communi ſudore colliquantes diſtingui poſſunt.

Sudor autem multus ſi cum febribus acutis fiat inutilis habetur *Hippocrati 2. porrhet. text.23. & 4. aph.42. Sudor multus frigidus calidusve ſemper fluens, frigidus graviorem, calidus minorem morbum ſignificat.* Item *Febricitanti ſudor ſuperveniens febre non deficiente, malum. Prorogatur enim morbus, & plus humiditatis ineſſe ſignificat* eodem authore *4. aph.56.* Cujus rei, qui volet, exemplum petere poteſt ex principio *lib.7. epid.* quo loco febres poſt caniculam viguiſſe, in quibus ægri ſudoribus diffluerent, longasque fere fuiſſe, & difficilem habuiſſe judicationem refertur. Quæ ratio etiam *Galeni* eſt, cur imbribus

bus aſſiduis longiores eſſe febres dixerit *Hippocrates 3. aph. text. 16.* quod multa humiditas largis imbribus collecta, ſimilique introducta intemperie generata, non niſi longo tempore à natura ſuperari, atque contracta intemperies emendari poſſit.

Interdum paucus ſudor ἐφίδρωσις *Hippocrati* dictus, ſeu, ut explicat *Galenus comm. 3. in 1. prorrhet. text. 33.* ſudor circa thoracem & caput, aut circa frontem & cervicem, aut etiam univerſo corpore proveniens, ſed qui paucus ſit, & morbum non levet, in purpura obſervatur. Qui pariter copiam ſeroſorum humorum, ſed & ex iis natam naturæ oppreſſionem, ejuſque debilitatem arguit, quæ excretionem quidem facere conetur, verum perficere nequeat; cum nec per totum corpus calor innatus ſe æqualiter diffundat, nec propterea per poros univerſi corporis ſudorem copioſè expellat; ſed ſolito imbecillior illis partibus, in quibus inſignes venæ, ut circa collum, aut venarum extremitates, ut circa frontem & manus, & ubi ſeroſæ materiæ copia ſubſiſtit, ſudorem effundit, ſed qui paucitate ſua parum prodeſſe poſſit. Sæpe etiam hic ſudor paucus morbo jam provecto naturæ extremam debilitatem oſtendit, retentrice adeo effœta, ut partium ſolidarum humorem alimentalem continere amplius non poſſit, unde roſcido ac benigno humore partes ſpoliatæ mortem in propinquo, aut inſtantem ſyncopen prænunciare ſolent, ut *docet Gal. 1. progn. comm. 26.* Qui ſudor eo magis in hoc morbo ſuſpectus eſt, hujusq; malignitatem oſtendit, quod, levibus aſpectu cæteris ſymptomatis, emergat, cum purpuræ malignitas cæteris cauſſis multo potentius operetur. Qua de re etiam *πυκνὰ ἐφιδρῶντες Coac. prænot: text. 32. 42. & alibi* malignè habere dicuntur. Damnantur certe ἱδρῶτες κεγχροειδέες ſudores miliiformes, & ſolùm circa caput & cervicem apparentes *loco prognoſticorum citato.* Qui volet, damnatæ ἐφιδρώσιος loca parallela adeat, *1 porrhet. 39. 42. & 115.* quemadmodum *Coac. text. 12. πυκνὰ ἐφιδρῶντες* ut & *text. 41. 46. 66.* item *1. prorrhet. text. 74.* improbantur.

Sudores in purpura interdum nullo fœtore moleſti, nondum latè diffuſa putredine, interdum graviter fœtentem ſpirant odorem, ut de febribus peſtilentialibus tradidere *Avicenna lib. 4. fen. 1. tract. 4. cap. 2, Rhaſes tract. 10. cap. 16.* ob pravam ac ſordidam putredinem,

 dum

dum vi ſepticâ purpurati ac peſtilentis veneni cuncta corrumpuntur & diffluunt. Quivis cadaveroſum iſtum fœtorem olfaciet, ſi familiarius iſto tempore cum ægrotis converſetur, interdum robore naturæ atque alexiteriorum virtute profuſo tali ſudore, interdum extremæ putredinis ſyllogiſtico argumento.

Purpura provecta etiam ſpecioſos colore flores, purpureas ſcilicet maculas profert, unde & nomen præſenti morbo datum in loco dixi: quamvis hæ non ſemper erumpant, ſed in interioribus deliteſcant, atque ob materiæ craſſitiem pororum adſtrictionem, (qua de re in his Arctois locis infrequentiores ſunt, frigore ambientis adſtricta cute,) ſæpe ob virtutis expultricis debilitatem, ut prius morbo ſuccumbat æger, quàm per ambitum corporis diffundantur, in cute efflreſcere nequeant.

Verum cum alia exanthemata aliquando emergant, quæ vicina eſſe videntur purpuratis maculis; qua ratione à ſe invicem diſtinguantur, explicare operæ pretium duco. Ex illis quædam ſunt, quæ *culicum morſibus* plane reſpondent, ſæpius mihi obſervata, tum alias, tum præcipue in epidemia hac conſtitutione, ut in *Petro Mejero*, hujusque & *Petri Magen* uxoribus, item aliis: in quibus poſt cordis compreſſionem & anxietatem τρηχύσματα κνησμώδεα, aſpredines prurientes, copioſiſſimè pullulare vidi, ſymptomatis gravibus aliquot dies continuantibus, quod ex ſanguinis fervore, ejusque corruptione, tum temporis conſtitutione, maligniore, naſcerentur. Noſtrates mulieres ex pravi halitus afflatu, aut loco, in quo ſe gallinæ ad plumam pinnasque emundandas pulvere perfuderunt, (*ut enim ſues cœno, ita cohortales aves pulvere vel cinere lavari ex Heracleto Epheſio retulit Columella lib. 8. de re ruſt. cap. 4.*) calcato, culicularibus his efflореſcentiis quoſdam perfundi autumant. Hæc ἐξανθήματα eadem eſſe arbitror cum τρηχύσμασι κεγχρώδεσι ab *Hippocrate lib. 2. epid. ſ. 3. in initio* deſcriptis, quorum ſuperius memini. Sunt enim, ut *Galenus in exegeſi* explicat, νύξεις λίαν κνησμώδεις, οἷαι καὶ ἀπὸ κνίδης γίνονται, velut urticæ uredines quædam, ac, ut verbis *Plinii lib. 9. nat. hiſt. cap. 45.* utar, puncturis ab urtica affines, & ὥσπερ κνησμὸν pruritum aliquem habent: qualem in coitu attrito pudendo & commotis uteris mulieres in ſe ipſis ſentire ajebat *Hippocrates lib. de genitura.*

Com-

Corn. Celſus lib. 5. de re med. cap. 28. aſpredinem vocat, eamque ſimilem eſſe his puſtulis, quæ ex urtica vel ſudore naſcuntur, ac maxime vernis temporibus oriri dixit. Confer *Proſperum Martianum comm. in 2. epid. ſ. 3. t. 20.* Cæterum à culicularibus illis puſtulis maculæ purpuratæ quomodo diſtinguantur ſuo, loco jam docui.

Ab hoc macularum cenſu etiam *rubeolam* excludo, quæ, ut vult *Haly Abbas lib. 8. theor. cap. 14.* ex ſanguine fit calido & non multum malo, & hæc ſpecies cum ad ſtatum pervenerit, ſimilis fit milii granis, aut paulo major, & ejus color rubeus, nec aperiuntur puſtulæ, ſed fluunt, i. e. inſibiliter diſcutiuntur, & evaneſcunt. An eadem cum eſſere *Avicennæ 3. 4. tract. 1. cap. 13?* quæ eſt puſtula parva ſuperficialis ſicut veſica, & ad aliquantulam tendens rubedinem, & pruritum faciens & anguſtiam, & eveniens ſubito, & accidit quandoque, ut ab ea currat humiditas. Nec refert quod *Haly Abbas* inſenſibiliter evaneſcere, *Avicenna* quandoque effluere humiditatem dicat: illud enim ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, & de pleriſque verum eſt. Eandem faciem referunt, quæ *C. Celſi* ſudamina *lib. 5.* ſeu *ἱδρῶα Hippocratis 3. aph. 21.* quæ propter multos ſudores bilioſiores vel mordaciores oriri dicuntur *Galeno in comm.* non tamen ut culiculares maculæ plures puſtulæ in unum cumulum congeſtæ, ſed diſtinctæ apparent, nec cutem adeo, ut illæ, attollunt. Hæ puſtulæ cutis pruritu & tumore à maculis diſtinguuntur: prætera minus ſæva ſymptomata habent: quamvis aliquando periculoſe laborent ægrotantes, ut in *Nobiliſſima Anna Margareta Brocktorfia* obſervavi, & ejus rei exempla apud *Zacutum lib. 3. prax. admir. obſerv. 16.* & *Foreſtum lib. 7. obſerv. med. 61.* leguntur, ex peſtilenti conſtitutione his puſtulis factis malignioribus.

Qua vero ratione purpuratæ maculæ à *Roſſania aut Roſalia Joh. Philippi Ingraſiæ de tumoribus p. n. tom 1. Proſperi Martiani comm. in 2. epid. ſ. 3. text. 20. Sennerti lib. 4. de febribus cap. 12.* diſtinguantur, lector ex *Roſaliæ* apud eoſdem deſcriptione facile cognoſces: Hæc ſemel mihi obſervata in *Rev. & Clariſſimi Viri Dn: Stolterfothi* ex ſorore nepote; etſi *Proſper Martianus loco allegato Roſaliam* variolarum inſtar pueris admodum familiarem dicat: quas locorum iſtorum calidiorum, corporumque peculiari conſtitutione, illis locis increbreſcere cenſeo.

Ab aliis item maculis quivis has facile diſcernet febri, aliorumque ſymptomatum gravitate, macularum figura & magnitudine. Ut enim illæ raro febrem, nunquam tanta tamque tremenda ſymptomata, quæ etiam ſuo cuiq; morbo propria & vernacula ſunt, conjuncta habent, varioque ſchemate viſuntur: ita petechiæ cum prava corruptione ac putredine humorum naſcantur, febrem aliaq; gravia ſymptomata purpuræ familiaria comitata habent, ac pulicum morſibus ferè ſimiles viſuntur, ut ſub horum ſpecie imperitos quandoque decipiant. A quibus tamen eas diſtinguere licebit, quod in pulicum morſibus, præſertim recentioribus, in medio tanquam punctum morſus veſtigium adſit, quodque compreſſione non deliteſcat, etiam reliquo rubore circumquaque evaneſcente. Petechiæ vero ſi digito comprimantur, evaneſcant quidem, ſed ut nullum puncturæ veſtigium in medio relinquatur, authore Clariſſimo, ac de Republicâ Medica optime merito *Daniele Sennerto lib. 4. de feb. cap. 12.* Addit *Zacutus* celeberrimus *lib. 3. prax. admir. obſerv. 13.* pulicum morſus appoſitâ farinâ lupinorum cum aceto, aut oxymelite ſubacta ſtatim evaneſcere: peſtiferas vero maculas, quum à cauſâ internâ eâque vehementi, at magis radicatâ ac fixa, ortum ducant, nequaquam.

Maculæ autem hæ ſanguinem maligni morbi vi penitus corruptum arguunt: cujus ichores per ſumma corporis diffuſi hæc ſtigmata exhibent. Ut enim corpus, quod toxico morti datum fuit, inter alia ſigna livens aut nigricans aut varium eſt, docente *Galeno lib. 6. loc. aff. cap. 5.* Et ut ille, qui ab Echidna ſeu maruſſio ictus, trium horarum ſpatio ab ictu vitam cum morte commutavit, totus infectus eſt maculis luteis, violaceis, nigris, apud *Braſavol. lib. 4. aph. comm. 64.* Et ut apud *Amatum Luſitanum cent. 1. curat. 1.* ruſticæ puellæ à viperâ demorſæ tibia maculis variis rubris & lividis colorata: ita & heic (cum purpurati veneni maligna qualitas, cæterorum venenorum more calorem noſtrum innatum tota ſubſtantia mortificet, corrumpat, humoreſque ſeptica vi diſſolvat, ut ſuis vaſis contineri amplius nequeant, unde & creberrimas hæmorrhagias excitari jam docui, cum ad ſanguinem analogiam purpura præcipue habeat,) tenuiorem ſanguinis corrupti partem, ſeu ichores ſanguinis, quos heic venenata qualitate infectos ac corruptos eſſe conſtar,

(quos

Digitized by Google

(quos etiam *Galenus 2. in 6. epid. text. 38. & Aetius lib. 9. cap. 10.* venenatos eſſe voluerunt) iſtos inquam ichores per capillamenta venarum inæqualiter effundi, eutemque σπίλοις hiſce infici contingit, ut pro effuſi ichoris corrupti quantitate aut qualitate majores aut minores, variiq; coloris maculæ producantur. Sic ſcorbuto corp᷑ variis maculis pingi videmus, quem tamen peculiari malignitate, & ἀῤῥήτῳ corruptione huic morbo propriâ, provenire demonſtrat vis contagii conjuncta, malignitas item propriis curanda alexipharmacis, & quod in aliis corporibus, in quibus melancholicorum ac tartáreorum humorum colluvies reſtagnat, maculæ aliaq; ſymptomata non eſſloreſcant.

Ut autem motus alii ſunt opera naturæ morboſâ irritatæ; alii, à morbô, naturâ necquicquam conferente, eveniunt, alii, natura ac morbo ſimul concurrentibus fiunt, ut docuit *Galenus lib. 2. d. ſympt. cauſſ. cap. 1.* ita & in his maculis accidit aliquando, ut robore naturæ, die critico, cum manifeſtâ ægri εὐφορίᾳ maculæ erumpant: dum per ἐκχύμωσιν (quam etiam oris vaſorum apertione interdum fieri aſſerebat *Galenus lib. 4. m. m. cap. 1.*) & per ναυτιώσεις τῶν φλεβῶν, ut *Hippocrates lib. de fracturis* loquitur, (dum venæ more eorum, qui nauſeam patiuntur, & propterea evomunt, ſanguinem expuunt ac quaſi evomunt, ut interpretatur *Galenus in comm. 2. libri allegati text. 24. & exegeſi,*) materia noxia ſub cutem effunditur. Quamvis raro hoc accidat, cum infidæ criſes plerumque in hoc morbo eveniant, & macularum talis eruptio leve aliquod ſublevamentum, non ſolidam ſanitatem promittat. Quid enim tantilla evacuatio tanto tamque gravi morbo conferre poſſet, cum nullum paucum criticum bonum eſſe ſoleat: qua de re etiam papulæ parvæ, & quæ excernendo morbo non ſufficerent *lib. 1. epid. ſ. 2. text. 38.* damnatæ. Quin, etiamſi morbus parum levari videatur, temeraria εὐφορίᾳ arbitranda, quod, ut verè teſtatus *Johan. Thomas Minadous*, ſolâ macularum expulſione nemo fuerit ſervatus. Sæpius maculæ merè ſymptomaticæ ſunt, damniſque ægrotum augent, dum copiâ aut malignâ qualitate materiæ ſtimulata natura eas ante tempus protrudit, quæ tum venenati corrupti humoris undiq; ſe effundêtis characterem exprimunt. Quo ſpectat *Aetii* locus *lib. 5. de re med. cap. 130.* ubi maculas has in febribus, quæ à multum depravatis humoribus accendun-

[illegible], in univerſo corpore aut pleriſque membris apparere ſcribit. Cæterum hoc in caſu nec æger ab eruptione macularum levatur, nec ſymptomata fiunt remiſſiora, ſed inexplicabilis cordis anxietas, viriumque extrema debilitas, & omnium membrorum laſſitudo, capitis dolor, vigiliæ, deliriã, pulſus inæqualis comitantur. Aliquando medio fere motu maculæ foras prodeunt, & nec ægrum penitus morbo liberant, nec tamen feſtinatâ morte abripiunt: quotiens, naturâ non penitus victâ, materia jam aliqualem παπασμὸν paſſa expellitur: quæ excretio ut ægro non multum profutura, ita nec valde obeſſe ſolet.

Porro in macularum eruptione conſideranda earum quantitas, color, tempus excretionis, locus, qualitas: ex quibus auguria quædam proſperæ aut adverſæ curationis medicus accipere poterit. Magnitudine maculæ variant; etſi ὡς ἐπὶ τὸ πλὺ pulicum morſus quantitate referant: aliæ enim majores, aliæ mediocres, aliæ minimæ. Ex quibus magnæ plerumque minus periculum portendunt: quod, teſte *Galeno 3. in 3. epid. ægroto nono* magni morbi etiam quærant, quæ ſe judicent, egregia. Sic numeroſas ac toto corpore copioſe effuſas ſalutares fuiſſe memorat *Fracaſtorius lib. 2. d. morb. contag.* Quod tamen cum grano ſalis accipiendum cenſeo, ſi ſcilicet unà εὐφορία allucescat, cæteraque ſint paria: alioquin, ut monent *Ludov. Mercatus lib. 7. de febr. peſtil. & malign. cap. 2. q. 287. Daniel Sennertus d. febr. lib. 4. cap. 13. Zacutus lib. 4 prax. hiſtor. cap. ultimo prope finem.* potius indicium præbent luxuriantis venenati humoris, toto corpore late diffuſi, cujus pars etſi per hæc ſtigmata evacuetur, nequicquam tamen comparanda ad molem peccantis materiæ, unde & increbreſcere ſymptomata, vireſque imprimis affici tum videmus. Ut autem macularum copia infidum ſalutis ſignum exhibet; ita paucitas earundem nihilo meliorem ſpem bonæ valetudinis dare perpetuo poteſt: quod ea non tam paucam pravæ materiæ copiam, quam virium languorem ac in expellendo defectum arguat: qua de cauſſa etiam maculæ aut plane deliteſcunt, aut mox retrocedunt ab eruptione: ut, niſi ab exteriore frigore fiat, periculum minari hic retroceſſus macularum ſoleat, teſtè *Aetio loco proximè citato,* παλινδρομῇ humoris venenati ad partes nobiles, quarum officio vita carere nequit. Non

enim

enim maculas ſolùm, ſed *& alium quemcunq; affectum ex profundis & principibus partibus ad cutem traduci & bonum ſignū & bonam cauſſam eſſe exiſtimandū eſt*, docente *Gal 6. aph. com. 25.* Poſt hunc enim infelicem maculatum recurſum graviſſimorum ſymptomatū συλλογὴ oborta medentem non vano metu percellit: cum tam pauca ac mox deſitura evacuatio, ut omnis imminuta, totiens à *Galeno & Hippocrate* damnata, & tollendo huic morbo impar ſit futura.

Color macularum varius eſt, pro corrupti humoris varietate, colorq; rubicundus frequentior eſt, (quod ad ſanguinem analogiam morbus habere videatur,) minusque periculi præſagit; deterior citrinus ac cineritius: at plumbeus, puniceus, viridis, lividus, niger deterrimus. Lenticulis latis & rubentibus pleroſq; evaſiſſe; at nigris & minutis, quas vulgus à ſimilitudine Pepercorn appellavit, pleroſq; periſſe ſcribit *Foreſtus lib. 4. obſerv. med. cap. 35.* Maculas lividas & valde puniceas inter ſigna periturorum retulit *Fracaſtorius lib. 2. d. morb. contag. cap. 6.* Et nullum fere eorum, qui maculas virides, violaceas aut nigras habuerunt, evaſiſſe teſtatur *Nicolaus Maſſa tract. 3. d. febr. peſt. cap. 4. & tract. 1. cap. 6.* Confer *P. Salium Diverſum d. febr. peſt. cap. 14. Ludov. Mercatum lib. 7. d. febr. maligna cap. 2. q. 287. Joannem Thom. Minadoum lib. 1. d. febr. malign. cap. ult.* qui in peſte Syriaca ſui temporis peticulas notavit rotundas, unguium magnitudine, & ſcriptorii atramenti in modum nigras: à quibus nemo evaſerit, ſi illæ vel faciem, vel thoracem anteriorem, vel ſimul utramque regionem occupaſſent. Maculæ verſicolores, lethales: quemadmodum in *Henrici Schervvebeſii, Bibliopolæ Lubecenſis* hoſpite, Norwego, rubras, pallidas, citrinas, ſubvirides, lividas eodem tempore adverti: quæ, & diverſos humores infectos, & extreme corruptos mihi ſignificabant, ut propterea ægrum tam gravi morbo eluctari poſſe penitus deſperaverim. Sed nec rubris maculis plurimum fidendum arbitror: quod, etſi à benigniori materiâ, ſanguine ſcilicet puriore, colorem illum ducant: cum tamen à pravâ corruptione humorum oboriantur, atque iſtâ excretione parum juvare queant; ſymptomata inde plerumque exacerbentur, firmam ſanitatem ſpondere nequeunt. Maculas vero rubras meliores ab authoribus dici arbitror reſpectu cæterorum colorum, quemadmodum *Galenus* ichoroidem ſangui-

ſanguinem comparatione ad bonum ſanguinem, malum; at, comparatione alterius ichoris cæterorum ſuccorum, bonum dicebat, *2. in 6. epid. comm. 38.* Rubræ enim maculæ principio ſuo concolores corruptionem leviorem, ut lividæ, nigræ, extremam corruptionem, exceſſum à naturali ſtatu, & innati caloris extinctionem ſignificant. Hinc morituris puniceæ, lividæ, nigræ maculæ emergere interdum ſolent, quas vulgus die Todtplacken appellare conſuevit, quaſi victæ naturæ trophæum jam erigat hoſtis infenſiſſimus, cunctis fœda putredine diſſolutis: aut quod natura acerrimo illo conflictu, qui agone mortis peragitur, noviſſimo conatu materiam noxiam propellere conetur, ſed ſub onere fatiſcat.

Maculæ non ſemper eodem tempore effloreſcunt: harum quæ principio ac primo morbi acceſſu apparent, pro malis habendæ oraculo *lib. 2. epid. Quæ in melius decernunt, non ſtatim apparere debent;* ſed & τὰ προκρινόμενα, ſeu quæ maturam judicationem antevertunt, morborum ὑποστροφὰς & ἀκρισίας minantur: quod natura materiæ copiâ, acrimoniâ aut malignitate irritata noxiam materiam adhuc crudam inter principia morborum expellat: quo in caſu etiam quæ bona ſunt, ſimul expelli, cum nondum vitioſa ab his ſequeſtrata ſint, naturamque copiâ aut pravâ qualitate humoris venenati maximè gravari credendum, quæ tanto oneri, morbo ſcilicet graviſſimo, ferundo impar futura penitus ſuccumbet. *Ut enim, ventriculus dum naturali habitu fruitur, perfectæ coctionis tempus ipſius recrementorum expulſionis terminus eſt: quem neq; prævertit, neq; præſentem adhuc moratur: ſic & in ſingulis corporis partibus alienorum expultrix facultas eſt, quæ & criſin in morbis efficit: atq; propterea optimæ fiunt, cum jam omnia in animantis corpore concocta fuerint.* Quæ verba cedro digna ex communis Præceptoris *lib. 3. de dieb. decretor. cap. 9.* huc tranſcribere volui. Et certe nunquam primo morbi inſultu maculæ apparent, niſi peſſimis ægrorum rebus. Quæ quarto die erumpunt ab illâ cruditatis nota ſe plane vindicare non poſſunt. Quæ ſeptimo aut nono die prodeunt, cæteris paribus allucere aliquid ſpei ſolent: quod die critico & facta aliqua coctione expellantur. Quæ tardius emergunt, ſuo merito ſuſpectæ, quod indicio ſint, naturam in expellendo eſſe debilem, vias ab obſtructione intercluſas,

per

Digitized by Google

per quas in περιφέρειαν corporis permeare malignus humor debebat, humoremque nimis craſſum, qui diutius quam par eſt, retentus, calorem innatum, ſpiritus & humores ulterius corrumpere ſolet: dum tandem ſua ſponte, aut ultimo naturæ conatu maculæ prope momentum, quod inter vitam mortemq; intercurrit, cuti ſuffundantur. Quemadmodum enim quævis præcipitata ante tempus coctionis excretio calamitoſa eſt: ita eadem ſerius dilata noxiæ futura: ut cibus peracta coctione diutius in ventriculo reſtagnans, ſegniore virtute expultrice, mora tandem corrumpitur.

Diffunduntur in purpura maculæ per totum fere corpus, præſertim per dorſum & lumbos, propter principes venas, eò decurrentes, in quibus ut plurimum minera morbi delitet, & quod tepore lecti rarefactis poris corporis, corrupti vapores & humores illic facilius emergant: collum quoque, brachia, itemque crura his exanthematis crebro picta videntur, ob inſignes iſtarum partium venas. In facie, voliſq; manuum, ac ſub plantis pedum infrequentes admodum ſunt, rariusque videntur, quod in illis partibus inſignes venarum propagines non reperiantur, ſeu quod cutem harum partium ob denſitatem penetrare nequeant ἐξανθήματα; per cutem vero faciei teneram raramque vis veneni facile exhalet. Quæ pariter ratio eſt, cur in membranis viſcerum, diſſectis cadaveribus, hoc morbo defunctis, maculæ hæ non niſi raro reperiantur, ſecus quàm in variolis & morbillis accidit, in quibus humor craſſior eſt, & ubiq; per corpus diffuſus hæret; qua de re tam intra quam extra in cadaveribus reperiuntur, ut ſentit *Minadous lib.1. d. febr. malign. cap. 18.* qui, ſi maculæ in facie appareant, admodum prodigioſas, pariterq; argumento eſſe, luis nimis latè ſe diffundentis, & multæ pravitatis inſolentiſſimè naturam vexantis, vel importunè ſe multiplicantis, eodem loco teſtatur.

Maculæ purpuratæ febris pruritus plerumque expertes ſunt, nulliſque ſtigmatis cutem fœdant, ichore ſanguinis dilutiori ſub cutem effuſo: interdum vero inſigniter pruriunt, & vi ſua cauſtica, quoquoverſum eruperint, cutem exulcerant: quod præter malignitatem acrimoniam ex ſale corrodenti conjunctā habeant, cantharidū, flammulæ, euphorbii inſtar: quod ſi ichor venenatus acris craſſiorq;

fuerit, ſub cute hæret, bullasque excitat veneni pari proprietate cum inſectis, veſpis, apibus, culicibus. Generantur vero ichores copioſi in tempeſtate auſtrinâ, pluviâ continuâ, ac rapido æſtu, ut patet ex *2. epid ſect. 2.* ſed & prava victus ratione venenati ichores toto corpore circumfluunt: quibus cauſſis & ipſas petechias aliaque exanthemata hac conſtitutione ſolito frequentius apparere memini. Sic in *Cranone* ob ichores, ſub cute concluſos, pruriginem ac puſtulas ambuſtis ſimiles Hippocrates loco adducto emerſiſſe refert: in quibus tantus ardoris ſenſus ægros afficit, ut iidem uri viderentur. *Aetius lib. 5. de re med. cap. 130.* maculas in quibuſdam malignioribus & peſtilentialib⁹ febribus exulcerari, omnesq; depravatorum ac habitum erodentium humorum multitudinem indicare teſtatur. Hæ a. quæ exulcerant maculæ magnitudine pariter variant: ſolidi Lubecenſis magnitudine mihi viſæ in *Johanne VVeida, Conſule Sacri portus in Holſatiâ*, quæ toto corpore diſperſæ, cutem, quaſi ab igne, aut oleo fervente ambuſta foret, exulcerabant, majore tædio, quam vitæ periculo, quod veneni virulentia per ſumma corporis effuſa vacuaretur. Eandem ob cauſſam maculæ aliquando νομώδεις fiunt, malo purpuræ atrociori, ut non ſolum cutem ſubjectam, carnem; ſed & membranas, ipſaque oſſa exedant & corrumpant. Quod non ſimplici ſanguinis ſero aut ichore fieri credendum, ſed tali, qui venenosâ & malignâ qualitate præditus vim ἀλκυώδη mordacem & erodentem habet ex ſententia *Galeni 2. in 6. epid. comment. 38.* Serpentini cujusdam ſanguinis tam malefica vis eſt, ut quaſcunque partes attigerit, veſicis rubris fœdet, quæ maligna ſua virulentia ſubditas partes ad oſſa usq; depaſcat, ut notavit *Barthol. Carrichter lib. 2. prax. cap. 7.* Ita Attica lues ad verenda, oculos, ſummas manus, ſummosq; pedes prorumpens, quibuſdam jacturam pedum, manuum, oculorum ac pudendorum attulit. Quam calamitatem graphice deſcripſit *Lucretius lib. 6. de rer. nat.* ſeq. verſibus

Profluvium porro qui tetri ſanguinis acre
Exierat, tamen in nervos huic morbus & artus
Ibat, & in parteis genitaleis corporis ipſas.
Et graviter partim metuentes limina lethi
Vivebant ferro privati parte virili,
Et manibus ſine nonnulli pedibusq; manebant
In vita tamen, & perdebant lumina partim.

Hip-

Digitized by Google

Hippocrates noſter *lib.3. epid. ſ.3. text.22.* in graviſſima illa peſtilentia, (qualem poſteris temporibus ad ſuam usque ætatem nunquam graſſatam fuiſſe autumat *Avenzoar lib.3. theiſir. tract.3. cap.1. de epid.*) ſacrum ignem ex parvis quibuſdam ulcuſculis accidiſſe memorat, qui multum celeriterq; circumjectas partes exederit, ut multum carnis, oſſium, nervorumq; fuerit abſumptũ. Idem *text.25.* multis inde brachium vel cubitum totum corruptum defluxiſſe, aliis totum femur, tibias, pedemve totum denudata fuiſſe ſcribit, malumque cum pubem & pudenda urgeret, graviſſimum fuiſſe, *text.26.* teſtatur. *Galenus 3. d. uſu part. cap.6.* peſtis ſævæ meminit, quæ in ſummos pedes graſſata, eos putrefaciebat, uſumque deambulandi tollebat, non aliter ac crudeliſſimus prædo circa *Coraciſium Pamphiliæ*, abſciſſis extremis pedibus, homines multabat, ut ſine adminiculo baculi ingredi poſtea non poſſent. *Alexandro Kockert*, ut *Temenei nepti, lib.2. epid.* hoc morbo fere jam eluctato vis purpurati mali in digitos detonuit, excitatis in ſingulis digitis parvis veſicis: quæ, cum cutis in pollice & indice pure ſuffuſa ſerius incideretur, membranas & ſubjectos nervos ad oſſa uſque paucarum horarum ſpatio penitus corruperunt.

Huc quoque referi debere arbitror defluxiones illas in febribus malignis obſervatas, quæ partem, in quam decumbunt, ſponte aut naturæ conatu eo delatæ, ocius corrumpunt, vitaque ac ſenſu ſpoliant, abdita ac venenata ſua pernicie, qua calori noſtro penitus adverſantur, quem tota ſua ſubſtantia corrumpit, quod de venenis dicebat *Avicenna l.1. f.2. doct.2. cap.15.* quorum actiones ut potentiſſimæ, ita plerumque ſubito emergunt, teſte eodem *lib.3. fen.15. tract.1. cap.3.* Harum defluxionum exempla proferunt *Victor Trincavel. comm. in l. fen. 4. Can. Avic. cap.2. Balthaſar Conradinus de febr. miſcell. Ungar. cap.27. Gregor. Horſtius lib.4. part.2. obſ.25. Guil. Fabritius Hildanus lib. d. gangræna cap.4.* Et ego decubitus iſtius maligni ſubitarii tria exempla populari hac lue notavi: quorum duo quod malum negligenter tractaretur, amputatione pedis facta grallâ incedunt: tertius maturo ſatis conſilio avertit morbi περιβολὴν ſalutaribus remediis.

CAPUT XVII.

Signa à qualitatibus corporis mutatis accepta continet.

TErtium ſymptomatum genus qualitates corporis mutatæ nobis exhibent, non illæ, quæ actiones corporis lædere ſolent, quod eæ ad morborum claſſem ſint reducendæ, omniſque morbus qualitas mutata appellari poſſit, ſed tales, quæ affectus ſimplices alias dicuntur, nec actiones corporis offendunt. Horum ſymptomatum quatuor differentias *Galenus de diff. febr. cap. 5.* propoſuit, pro ſenſuum, quibus accidunt, numerô ac diverſitate: quibus ex *Galeno capite adducto*, vocem, ſonum, murmura, ſtridores &c conjungere licet, quæ auditui offeruntur judicanda. Quæ hujus loci fore arbitrabor, referam, primum colorem corporis & faciei contemplaturus, qui aliquando flavus eſt, ut in vipera demorſis: ſæpe rubris, purpureis, alteriuſve coloris maculis cutis corporis ſuffunditur. Præcipue vero in facie malignæ febris elucent notæ, quod illa humorum corporis conſtitutionem inprimis indicet, cum cute careat. Hinc *1. progn text. 5. Hippocrates, & 3. in 1. epid. comm. 1. Galenus* in acutis morbis vultum ægri conſiderare jubent, an bene valentium atque ſui ipſius ſimilis ſit: quod optimus vultus ægri ſit, quotiens ſimillimus ſui permaneat: è contrario deterrimus, ſi quam maxime in contraria vertatur. Et *Galenus 3 d. præſag. pulſ. cap. 4.* ex faciei colore peſte affectos vel vulgo cognoſcere licuiſſe teſtabatur; quod alii colorem eryſipelatoſum, alii depaſcentibus herpetibus ſimilem, per plures partes diffuſum haberent: oculos etiam eorum inter lavandum manifeſto calidos & flammeos reddi dicebat, qui tales poſtea permanerent. Adeſt purpuratis quod in peſte correptis notavit *Lucretius*.

Triſte ſupercilium, furioſus voltus & acer,

ut ad earum febrium cenſum, quas aſpectu terribiles eſſe *Hippocrates lib. 6. epid. ſ 1. text. 17.* referebat, malignæ febres ſuo jure transferri poſſint.

poſſint. Cum enim vis purpurati veneni totâ ſubſtantiâ naturæ noſtræ adverſa ſit, calorem innatum corrumpit, & non temperiem modo partium contentosque humores, qui corrupti conſimilem colorem faciei communicant, verum ipſam etiam partium formam immutat, ut æger alius à ſeipſo eſſe videatur. Præterea cum raptu malignorum ac calidorum humorum ad caput facies rubore ex ſanguine, aut pallore ex bile ſuffundatur, ut patet ex *Galeno 2. in 1. epid. comm.14.* oculi ægrorum intenti, fixi minacesque fiunt, ac torvum tuentur, ob inſtantis delirii feritatem, trucesque aſpectu fiunt ægroti, &

Triſtia taurinos obvertunt nubila vultus.

Hinc vultus tetricus & ſuperciliosus, quamvis bene coloratus, malus *Hippocrati 1. prorrhet. 49.* quod mentis alienationem indicet *Coac. 1. 213.* Dicitur autem locis allegatis προσώπου σκυθρωπὸν & σκυθρωπί-της *vultus Scythicus* torvus, auſterus & inamœnus aſpectu, fronte caperata, qualem Scythæ, homines feri, bellis, latrociniis, venationibus aſſueti habere videntur. Quod ſi quis has febres, ut jam notavi, aſpectu terribiles dixerit, ob faciem illam *Hippocraticam*, cadaveroſam Terentii, quam *Galenus* πρόσωπον νεκρῶδες in prognoſticis vocavit, non inconſultò fecerit, cum heic, & in ipſa peſte non raro talis appareat. Deſcribitur iſta facies ab *Hippocrate in progn. text. 6. & 7.* & *Coac. aph. 212.* Cujus hæ notæ ſunt *Naſus acutus, oculi concavi, collapſa tempora, aures frigidæ & contractæ imòq; ſuis fibris inverſæ, cutis circa frontem dura, intenta & reſiccata, totius faciei color ex viridi palleſcens, aut niger, aut lividus, aut plumbeus.* Hanc in peſte Attica frequentem admodum tribus ſcitiſſimis verſibus expreſſit *Lucretius*, quos paulo ante recitavi. Cauſſam ejus rei Galenus ſtatuit immodicam aliquam exacuationem *3. in 6. epid. comm. 29. & comm. 1. progn. in text. 7. & 8.* ſenſibilem aut ſenſus latentem. Quarum illa evidentibus producta cauſſis, cum ſit manifeſta ac conceſſa omnibus, ac periculo fere careat teſte *Hippocrate prognoſt. & Coac* locis allegatis; hujus, ut obſcurioris cauſſas exequar: inter quas cum *Galeno* repono febrem calidam, humoribus tenuioribus, ac retentricis facultatis imbecillitate: inde enim humores partesque ſolidas attenuari ac inſenſili reſolutione conſumi contingit. Qua de re hanc πρόσωπον

διαφθορὰν, authore *Galeno* facilius incurrunt calidi & ſicci, in regione & tempore calido, item qui corpus perſpirabile habent, facileque diſſolvuntur. Eandem patiuntur qui orificium ventriculi debile habent, caloremque nativum imbecillum, qui relapſis ad interiora ſpiritibus partes externas ſua ἐκλάμψει deſtituit, ut in viſceribus ſolis exiguus obſervetur, unde vividus ille faciei color perit, faciesque cadaveroſa apparet, & collabitur. In facie vero præ cæteris partibus hæc ſigna potiſſimum obſervantur, quod partes faciei excarnes ſint, faciliusque pauxilla caro abſumatur cartilaginibus atque oſſibus incumbens: quo fit, ut ob inopiam ſpirituum ac ſanguinis partes ſubſidant & collabantur, atque defuncto calore cadaveroſæ appareant.

In hoc autem morbo præter iſtas aliam quærendam cauſſam cenſeo, venenati ſcilicet morbi vim συντηκτικὴν, quæ inter initia morbi abdita ſua vi humores colliquet, partiumque ſolidarum humidum primigenium abſumat ac reſolvat, analogia quadam veneni mirabilis, cujus ſupra ex *Ariſtotele de mirab. auſcult.* facta mentio, quod in Circeo monte natum & ſumptum adeo ſolvat membra cuncta, ut velut liqueſcentia cadaverum ſpeciem miſerabilem tota ſuperficie præbeant. Ipſe etiam *Galenus lib. 10. m. m. cap. ult.* carnes à malignis febribus aliquando liquari aſſeruit. Et eodem capite febrium hecticarum peſtilentium ſuo tempore popularium meminit, in quibus, quemadmodum in aliis hecticis febribus, faciem iſtam Hippocraticam apparuiſſe, nemo dubitaverit. Illa autem σύντηξις non modo in facie ſe proferet, verum etiam toto corpore obſervabitur, dum univerſi corporis ſubtegmen, & quicquid adeſt carnis ac pinguedinis miraculo propius citiſſime diſſolvitur, ſive per ἄδηλον διαπνοὴν, ut in *Dieterico Gravenſtedio*; ſive manifeſto fluxu alvi, urinæ, aut ſudoribus colliquata materia efferatur; quamvis in facie allegatis cauſſis extenuatio promptius deprehendatur.

Lingua pariter hoc morbo detentis fuſca, nigra, ſicca & aſpera eſt, maligno purpuræ calore ſalivalem humiditatem abſumente, fuliginibusq; ſurſum ad fauces & palatum expirantibus, atque iſtic locorum firmiter adhærentibus, ut ſæpe fiſſa dehiſcat, manifeſto detrimento vocis, magnaque deglutiendi difficultate; ut fauces linguam-

guamque aduſtas totiens cum ſtupore miratus fuerim, nullo calore corporis manifeſto, nec pulſu aut urinis tam grave incendium prodentibus. Interdum lingua ac fauces albo, craſſo ac tenaci humore, quaſi caſeo obductæ apparent, qui inſtrumentis cheirurgicis ac gargariſmis difficulter abſtergeri poteſt, unde loquela impeditur, difficilisq; cibi potusque fit trajectus, defluxu catarrhi ex capite, quem calor febrilis, tenuiorem partem abſumens, ad dictas partes oblimat. Taliter conſtituta lingua etſi ad morborum claſſem reduci poſſit, quod actiones manifeſto lædat: quia tamen peregrino colore linguam inficit, eamq; aſperam & inæqualem reddit, ad affectiones qualitatum mutatarum referri ſuo quodam merito poteſt. Aliquando etiam lingua nigredine tincta, nec tamen ſicca & aſpera cernitur ut in *Henrico Kerckringio* ſeniore, & in Orphanotrophio præfecti uxore, mitiori viſcerum calore, ac defluxu humoris à capite linguâ continuo irrigatâ.

Tinnitus, ſibilus, ſuſurrus auditum ægri ſæpius feriunt, quæ, ſi non dum auditum labefactant, ſub hoc ſymptomatum genere reponuntur.

Odoratum non ſolum clinicorum ſed & ægrorum offendit fœtor, ſudore, reſpiratione aut incomperta ſenſibus tranſpiratione toto corpore effuſus, quem & alvi excrementa & urinæ præter ſolitum male olentes late expirant, argumento malignæ ſordidæque putredinis, qualis non alia in cæteris ſimplicibus febribus reperitur.

In guſtu quoq; peregrini ſapores percipiuntur, quotiens ſubjecta viſcera exhalant corruptos ac putridos vapores: quin & tunicæ ventriculi, ſi corruptum humorem biberint, membranarum continuatione adverſum ſaporem linguæ communicabunt.

Ex tactu ſigna purpuratæ febris petere licebit conſideranti cum ratione malignum calorem, qui aut levis aut nullus eſt, cum tamen interiora æſtu torreantur; de quo ſuo loco explicatius egi. Pariter lingua ſicca & aſpera validum in viſceribus incendium arguit: cujus maligno calore corpus liquari, vel tactu deprehendere licebit. Ita hypochondria tenſa, dura, dolorifica tactu ſæpe apparent, quæ ſubjectorum nobilium viſcerum inflammationes & tumores ſignificant: quo refero *textum Coac. 31. & 1. prorrhet. text. 56. Ex hypocho-*

Digitized by Google

chondriorum dolore febres malignæ. Namq; hypochondria optima *1. prognoſt. text.27.* & *Coac.* 279 μαλθακὰ, ἄπονα καὶ ὁμαλὰ *mollia, dolore carentia & æqualia*, ut contra φλεγμαίνοντα, ἀνωμάλως ἔχοντα, ἀλγέοντα, *æſtuantia, inæqualiter cõſtituta, dolore affecta* ibidem dãnantur.

Præter omnia dicta ſymptomata illud præſentis mali nos admonere poterit, ſi purpuratæ febres populariter jam graſſentur. Idem n. quod in peſte, heic accidere ſolet, ut, increbreſcente purpura, cæteri morbi ſporadici aut ceſſare, aut pleriq; in eam deſinere ac mutari videantur: quod illis temporibus medicinam mihi facienti ſæpius animadverſum; namque alii morbi rarius affligebant; aut, ſi qui tamen infirmos attinerent, conſuetum ſuum characterem nequaquã retinebant, ac, quaſi à ſeipſis differentes eſſent, omnes comitatam malignitatem præter ſolitũ habebant: unde nec conſuetis totiensq; probatis remediis cedebant, ſed conſociatis alexipharmacis, quæ malignitatem oppugnarent, ſuperabantur. Agnovit hoc *Roder. Fonſeca tom. 2. conſultat. 31.* dum in febri quadam, quæ à principio non oſtendit malignitatem, alexipharmacis ac cordialibus uti jubet: quod in conſtitutione epidemica febris in malignam terminari ſoleat.

Quod ſi tali tempore æger cum purpura affecto antea commercium aliquod habuerit, atq; illo, aut ſequenti, aut proximis diebus corpus inſolito gravari ac ſegneſcere, animum turbari, appetitum proſterni, caput dolere, horrore, quamvis leviori, cujus calor modicus conſectarius ſit, corpus perfundi advertat, inſtare jam purpuram credendum: ſatiusq; fuerit, ægrotum heic paulo magis ſollicitum eſſe, ociusq; convenientia remedia adhibere, quam ſocordi negligentiâ, ac vanâ opinione melioris valetudinis benè medendi votivam occaſionem prætermittere: quod illud ægroto maximè profuturum, aut ſi alius à purpura morbus, nullusve afficiat, ſolis cauſſarum externarum ἐφόδοις ſubnatis, rurſusq; ſua ſponte evaniduis, data remedia obeſſe nequeant; hoc damnis ægrotum mactet, quæ ſæpe nullâ medici induſtriâ poſtea removeri poſſint.

Hæc potiora ſunt, quæ de ſignorum doctrina heic memorare placuit, quod ea frequentius medenti occurrant, & reliqua, ut inſolentiora, minusq; obviâ, ad ſua genera quivis facile referre queat:

cum

Digitized by Google

cum nullum fere morborum ac ſymptomatum genus ſit, ut jam docui, quod non cum purpuratis ac peſtilentibus febribus aliquando conjungatur. Neq; tamen illa, quæ ut ſigna præſenti morbo demonſtrãdo propoſui, omnia in ſingulis ægrotis ſimul obſervari quis arbitretur: ſufficit enim quædam adeſſe, quæ malignum purpuræ calorem indicare queant: cum interdum unius aut alterius pathognomonici ſigni nota præſentis morbi indoles eluceſcat. Omnia enim ſimul adeſſe nequeunt, cauſſarum varietate, harumque in has aut illas partes impreſſione, ac corporis affecti varia diſpoſitione.

CAPUT XVIII.

Signa febris malignæ præteritæ explicat.

PRæter ſigna jam relata, alia reperire licet, quæ morbo jam exacto ſe proferunt: quæ hujus loci duco proponere; non quod conſilium poſt res afferre velim; (cum præterita magis culpari, quàm emendari poſſint,) ſed quod in medicina occaſio ſit præceps, oraculo ſummi Dictatoris *l. 1. aph. 1.* ac momento temporis etiam in arte medica res magnæ gerantur, medicus non ſemper inter principia morbi advocetur, ac morbus ſimulatione alterius affectus medicum ferendæ de morbo ſententiæ incertum, medicosq; à ſe invicem diſſentientes aliquando reddat, ut propterea hæc ſupplementi vicem gerere, ac ſuperius enarratis ſignis adjuncta medicum in verâ ſententiâ magis confirmare valeant.

Ex horum cenſu primùm occurrit *ἀκρισία*, quæ in hoc morbo frequentiſſima eſt, quod malignus ſit, nec propterea ſtatuta habeat ad judicandum tempora juxta authorem definitionum medicarum: Qua de re *Hippocrates lib. 3. epid. ſ. 3. t. 17.* in graviſſima peſtilentia notavit in morbis *ἀκρισίας πολλὰς ϗ δύσκριτα*, morborum ſolutiones nullas, ac difficiles: & *text 65.* de morbis in eodem ſtatu obortis ſcripſit. Omnia quidem omnibus difficulter judicabantur, vel omnino non judicabantur, vel producebantur: & *text. 41. & 42.*

dum varias excretionum ſpecies recenſet, quæ tum temporis ægrotis obtigere, addit. Neq; aliud quicquam in ita affectis decernebat. Sic *Avenzoar l 3. theiſir. tract, 3. cap. 1.* in febribus, quæ ex corruptione aeris proveniunt, criſes ordinate non fieri, tradidit. Cum enim, quæ tempeſtate peſtifera corrumpuntur, propriam ſibi vendicent ſpeciem corruptionis, quæ verbis exprimi & à natura gubernari nequeat, cum venenata prorſus ſit; ut nec πεπασμὸν aliorum ſimplicium morborum recipiat, nec illam conſtantem dierum periodum ſervet, ea de re nulla ſalutaris criſis, aut rara admodum ſperanda erit: quod πεπασμὸς materiæ bonam criſin ſemper præcedere debeat. Ille igitur cum non in inſtanti, ſed certo tempore fiat, ſi tam diu maligna qualitas in corpore ſubſiſtat, annon continua multiplicatione ſuæ ſubſtantiæ conſtitutionem naturæ penitus corrumpet? qua de cauſſa cum optimis coctionis ſignis, & ubi in aliis morbis jam liceret medicis eſſe ſecuris, ægroti ſæpe moriuntur, natura quidem in tantum valida, ut coctionem humorum perficere, veneni deleteriam noxam ſuperare non potuerit.

Quod ſi aliquando excretionem natura moliatur, ea imperfecta eſt, aut cum difficultate fiat. Hinc *Galenus 3. in 1. epid. comm. 18.* profeſſus, *decretiora non judicantia, aut lethalia aut difficilis eſſe judicii. Lethalia, ſi qua iis ſymptomata vel ſigna lethalia accidant: difficilis judicii, ſi abſq; his ſigna permaneant crudorum humorum.* Recidivas enim morborum minantur; *quod extincta parum fideliter incendia ſæpe majore flammâ reviviſcant*, ut *Florus* ait *lib. 3. cap. 6.* Ego recidivas morborum frequentes in purpuratis obſervavi, cum morbus jam ſuam abſolviſſe hiſtoriam, cunctaq; in melius ire viderentur, infidâ morbi ſolutione, quod is brevi ad priſtinam conditionem revolutus ὑποστροφῇ ſecunda, tertia, ac quarta vice adferret, magno cum infirmi diſcrimine: *quia*, teſte *Hippocrate lib. de intern. affect. pag. m. 536. ubi alter morbus alteri ſuccedit, is plerumq; interficiat. Corpus enim ex præſenti morbo imbecillum redditum, ſi alter morbus acceſſerit, ex imbecillitate prius perit, quam alter, qui poſterior acceſſit, morbus deſinat.* Sæpe infelici materiæ διαδόσει venenum purpuræ ad partem decumbit, quam penitus corrumpit, niſi præcipiti auxilio occurras: quemadmodum in peſte apud Thucydidem, Lucretium, Hippocratem decubitu venenatæ

nenatæ materiæ ad certas partes id eveniſſe legimus. Purpuram etiam in alium morbum ſatis gravem terminari non ſemel vidi, ut in pleuritidem, in *Febria*, & *Joachimo Zobelio* alutario, aut leviorem, tertianam febrem, ut in *Henrici* Saſſen *Senatoris hujus Reipublicæ Spectatiſſimi* famulo, & *Henrici Venteri* nautæ uxore: quorum hæc morbi diuturnitate, gravibus recurrentibus ſymptomatis confecta diem ſuum tandem obiit.

Interdum tamen, quanquam rarius, heic bonæ fiunt criſes: ſed quæ ad illam omnibus numeris abſolutam criſeos perfectionem rariſſimè accedant. Nec enim placet *Ludov. Mercati* judicium, aſſerentis, peſtilentes & malignas febres ex propria natura nunquam judicium efficere ad ſalutem: cum in ipſa peſte ſalutaribus quibuſdam excretionibus à natura inſtitutis, ſudore, bubonibus, carbunculis, morbum aliquando manifeſto remittere videamus. Quin tales criſes natura interdum, etiam principio morbi, dum cruda adhuc videntur omnia, cum εὐφορίᾳ ægri molitur, quod morbus venenatus ſit, cujus deleteriam vim inter initia jugulare nunquam ſatis cito poteſt.

Alterum ſignum quod ægroto purpura jam eluctato adeſſe ſolet, ἄφεσις eſt, ſeu maxima virium debilitas, quæ etſi alios reconvaleſcentes plerumque attineat, heic tamen diutius ad aliquot ſeptimanas ac menſes duratura, (quod in aliis morbiis raro fieri ſolet,) ut non niſi longo poſt tempore ægri deperditum viriū robur reciperare, aut ad priſtina munia reverti queant, ac oſtentui ſint, validiorem hujus morbi, quam cæterorum fuiſſe impreſſionem, multumq; ſpiritus vitalis periſſe, manifeſtô argumentô venenatæ qualitatis. Venenorum enim aliorum paulo longiore in corpore morâ invicta eorum vis diu perſtat, interdum hæſura ad ſupremum vitæ terminum, ut ægri accepti veneni characterem diu impreſſum ſecum gerant, tranſeantque in diuturnos morbos, tabem, ſtoliditatem, epilepſiam, nec unquam priſtinæ ſanitati penitus reſtituantur, ut ex *Cæſalpino lib.3. pract. cap. 7.* notat *Zacchias lib.2. quæſt. med. legal. tit. 2 part. 42.* Sic qui toxicum bibere, ſi mali illius periculum evaſerint, diu in lecto decumbunt, & cum ſurrexerint, attoniti & ſtupentes reliquum vitæ tempus tranſigunt, ut refert *Dioſcorides lib.6. cap.20.*

Tertium præteriti morbi ſignum eadem purpuræ cum pleriſque aliis venenis analogia nobis porriget: dum graviſſimâ & maximis venenis comparandâ morbi truculentiâ eluctati, & vix adhuc dum reſpirantes perdunt illam capitis decoram comam, oborto capillorum defluvio: cutis quoq; in volis manuum plantisq; pedum plurimis abſcedit, ut conſueta horum membrorum miniſteria diu poſtea exercere nequeant, delata maligni morbi materia ad partium extrema, in quibus virulentiæ ſuæ veſtigia relinquit. In *Petri Hackii*, civis hujus urbis præcipui, litterarum litteratorumque amantiſſimi, filio *Johanne Eraſmo* mox ab exacto morbo venter vicinæq; partes excoriabantur, ut cutis majoribus itemq; minoribus quibuſdam, quartæ ulnæ partis longitudinem æquantibus, fruſtillis abſcederet. Uterq; affectus illis accidit, qui toxicum hauſere, quemadmodum & capillorum defluvium vis epota veneni ex *Q. Sereno Samon*: & ex *Ariſtotele* venenum quod in *Circæo* monte naſcitur, cauſſari ſolet. Ex morſu ſerpentis *Sepedonos* capillos tabe quadam putreſcere & interire; tum ſuperciliorum & palpebrarum pilos defluere teſtantur *Ælianus lib. 15. hiſtor. anim. Aetius tetrabibl. 4. ſerm. 1. cap. 28.* De *Salamandra Dioſcorides lib. 2. cap. 54.* & *Plinius lib. 10. nat. hiſt. cap. 67. & lib. 29. cap. 4.* prodidere, ejuſdem ſanie, quæ lactea ore vomitur, quacunque parte corporis humani contacta; totos defluere capillos. Et apud *Petronium ſatyr. p. m. 38. Quæ ſola ſalamandra ſupercilia tua excuſſit.* Item *Q. Serenus Samonicus* in ſuis carminibus:

Seu ſalamandra potens nulliq; obnoxia flammis
Eximium capitis tactu dejecit honorem.

Hæc in vivis accidere conſueverunt: præter quæ & in hoc morbo, ſublatis quædam adſunt indicia, prægreſſam luem atteſtantia. Corpora enim horum variis maculis conſpergi ſolent, minoribus, quæ τῶν κωνώπων ἀναδήγμασι culicum morſibus ſint ſimiles, majoribus, ac ſi ſcuticis corpus cæſum fuiſſet, interdum maximis, quæ plurimos palmos occupent, ut totum corpus maculari poſt mortem aliquoties obſervaverim. Hæ maculæ collata præcedentium ſignorum συνδρομῇ purpuratam ſeu malignam febrem interitum attuliſſe confirmabunt: ſolæ enim demonſtrando huic morbo non ſuffecerint, cum & qui ab accepto veneno deceſſere, picta relinquant

ſub

ſub mortem cadavera, ut teſtatur *Galenus 6. d. loc. aff. cap. 5. Quum enim homo ſuapte natura probus humoribus abundans, ac ſanorum more educatus de repente moritur, (ut lethali aſſumpto veneno fieri ſolet,) deinde corpus aut livens aut nigrum, aut aut varium eſt, aut diffluens, aut putredinem moleſtam olet: hunc venenum ſumpſiſſe ajunt.* Quin & ſtrangulatis itemq; apoplecticis idem poſt mortem crebro accidere videmus, quod, ob interceptam reſpirationem, oppreſſo & ſuffocato calore, ſpiritibus ac humoribus maxime agitatis, præcipue paulo ante mortem, & in ipſa morte, ubi lucta maxima, ſummusq; fervor atque agitatio humorum percipitur, natura ad διάπνοιην ſeu tranſpirationem neceſſitate quadam devoluta, ſpiritus, ſanguinemq, ad habitum corporis propellat: quibus dum vaſa diſtenduntur, extillat aut effunditur ſanguis extra ſua vaſa, qui ſub cute retentus, frigoreque condenſatus, liveſcit, maculisq; rubris, puniceis, ſubnigris cutem ſuffundit, majoribus aut minoribus: ut ſanguis per διαπήδησιν, ἀναστόμωσιν, ῥῆξιν aut διάβρωσιν parcior extillat, aut copioſior effunditur: quales motus ſæpius in moribundis licet fruſtra, inſtitui videm⁹; excitatis in pedibus aut brachiis tumoribus ac maculis rubris aut liventibus. Maculæ autem hæ poſt mortem magis conſpicuæ, ſublato penitus calore vitali, cujus extinctionem eædem portendunt in vivis apparentes. Præter hanc vero alia in peſte febribusq; malignis harum macularum arceſſanda cauſſa eſt: venenata ſcil. morborum iſtorum vis, quæ ſubito humores corrumpat: qua de re ſubſequente ſtatim valida putredine miſtum incipit diſſolvi, calor interior, qui terminabat humidum cum ſicco, expirat, humoresque una diffluunt, effœta circa mortem retentrice: unde corrupti humores ſub cutem effuſi variis maculis cutem inficiunt, pro exuperãtis maligni humoris copia & qualitate, nullo reſtibili expultricis robore, quæ in defunctis penitus ceſſat, ſed retentrice emortua, ut eam ob rem ex alvo, ore, naribus, auribus, utero excrementa ſponte manare ex cadaveribus videamus. Sic qui venenum hauſere, iis corpus maculari plerumq; ſolet, liveſcit facies, & extrema corporis, ut & ungues nigreſcunt: pariter & demorſis à venenatis animalibus circa vulnus inflictum rubor, livor ac nigredo νέκρωσιν caloris nativi demonſtrant: quemadmodum & extrema liveſcere in moritu-

ris videmus. Hinc *Hippocrates Coac.72. Livida evenientia in febre mortem brevem ſignificant.* Ut enim vegeto calore nativo, dum is quoquoverſum ſe diffundit, omniaq; dilatat, floridus vividusq; color in corpore exſplendeſcit: ita eo ſublato, cute frigore condenſita, opacus, obſcurus, luridusq; color emergit Non ſecus ac à Solis occaſu tenebræ & à flammæ ſuffocatione carbonis nigredo, ut docet *Aetius lib.6. de re med. cap.9.* Firmat Clariſſimus noſtri temporis Medicus *Dn. Nicolaus Tulpius lib.1. obſerv. med.6. & ult.*

Maculis his merito ſubjungo citam corporis diſſolutionem, qua mox ab obitu quaſi fermentatione quadam turgeſcens corpus in molem attollitur, properaq; putredine diſſolvitur atque diffluit, cum intolerabili fœtore: ut & vita, moribus, ſanguine conjunctiſſimos à cadaveribus longius arceat: qualem fœtidum ac cadaveroſum odorem in ægris ad huc viventibus non raro percipere ſolemus: qui etiam in defunctis hoc morbo citius ſe exerit, quam in aliis cadaveribus: quod venenati morbi malitia calor innatus penitus extinctus ſit, (qui etiam poſt mortem aliquanto longius conſervare à putredine corpus poterat) humorumq; longe major ac in aliis morbis adſit corruptio ac putrefactio: unde conſectaria propera partiũ diſſolutio, maximusq; fœtor in vivis, præſertim vero in mortuis advertitur, quem illis duobus annis, dum lues hæc populariter ſæviret, qui funerum deductioni proximi interfuere, inviti ſenſerunt. Quam ſubitariam corporum diſſolutionem in cadaveribus venenatorum obſervari ex *Galeno lib.6. loc. aff. jam allegavi.*

Hæc purpura defunctis ſupervenientia ſigna alios commonefacere, medicum præteriti morbi certiorem reddere poſſunt, modò cum recenſis purpuræ ſignis conjungantur: ſola enim, ſigillatim, aut conjunctim conſiderata non ſuffecerint præſenti morbo demonſtrando: quod experientia totiens comprobatum ſit, hæc & aliis morbis aliquando ſupervenire, atque interdum abfuiſſe in illis, qui peſtis aut purpurati morbi atrocia deceſſere, nulla tum macularum, citæ putredinis aut inſueti fœtoris nota, ut de febre peſtilenti teſtatur *Petrus Salius Diverſus d. febr. peſt. cap.5. in fine & cap.19.* quod prava atq; deleteria iſtorum morborum qualitas tota ſubſtantia, non primarum qualitatum exceſſu, nobis inimica calorem vitalem

lem extinguat, ſpiritusq; ac humores corrumpat, citra manifeſtam aliquando humorum putredinem ac corruptionem: quemadmodum in telluris intimæ officinis, dum ſacræ parentis viſcera, inexplebili fodiendi libidine recluſa, varii generis metalla effundunt, gravis mephitis interdum offendit nares, quæ ſummè deleteria, ipſo propè momento, hominem è medio tollit; nullo aliquando conſpiciendo tanti tamq; præcipitis veneni in cadavere ſigno. Quale quid in muſto, dum adhuc fervet, cereviſiis item quibuſdā fortioribus, dum fermentationem ſuſtinent, carbonibꝰ ſuccenſis aliisq; accidere ſolet, ut vapore iſtorum temere in concluſis cellis hauſto improvidi concidant, non tam vaporum copiâ, quàm acri & adverſâ eorū qualitate, quæ calorem innatum ociſſime diſſipare, extinguere & corrumpere ſolet: qui tamen ab exceſſu ſæpe nullum veneni expreſſum characterem referunt. Imò nec ſigna certa oblatorum venenorum ex ſolis ſectionibus & oculari cadaverum inſpectione peti poſſunt, ut ſolidis argumentis demonſtrarunt *Marius Zuccharus in methodo occurrendi venenatis corporibus cap. 14. Paulus Zacchias quæſt. med. legal. lib. 2. quæſt. 7. Santes Ardoynus lib. 1. de venenis cap. 4.*

CAPUT XIX.

Purpurpuræ prognoſtica proponit.

QUi ægrotantium valetudini proſperè volet, præteritorum meminiſſe, præſentia conſiderare, atque futura proſpicere decet: illa enim ut ad morbi ejusq; cauſſæ amotionem apprime conferunt, ſi probe cognita fuerint; ita hoc non minus ægro utile, medico ſcitu neceſſarium, eiq; maximam nominis famam parat: namque pro morbi longioris aut brevioris ratione, virium debilitate, victum inſtituere, venientibus ſymptomatis, quæ futura proſpicit, remedia parare, eaque aut plane avertere, aut mitigare, omnibusque proſpicere poterit, quemadmodum futuram tempeſtatem teſte *Diocle Epiſt. ad Antigonum Regem* apud *Æginetam lib. 1. de re med. cap. ult. & Galeno in 1. progn. comm. 3.* gubernator navis bonus

conſtrq.

Digitized by Google

contraq; minantia fata

Pervigil.

Ille enim, ut porro *Claudiani lib. 1. laud. Stilicon.* verbis utar

Exiguo clavi flexu declinat aquarum
Verbera, nunc recta nunc obliquante carinâ
Callidus, & pelagi cœliq; obnititur iræ.

Quod ſi artem malo vinci contingat, cum, omnes reſtitui, ſit impoſſibile, monente ſummo Præceptore *text.3. progn.* futuri eventus prædictione à calumniâ ſe liberare poterit, ut nec ignoraſſe, vel feſelliſſe videatur: æger quoque ubi ſecundum factam prognoſin omnia in curatione ſuccedere videt, medenti cõfiſus hujus mandatis promptius obtemperare velit. Hæc divina prædicendi ſcientia medicum apud alios *θαυμάσιον* reddit, eximitq; ſorte vulgarium medicorum, ac cœleſtibus mentibus propiorem reddit. Sic *Galenus* ob feliciter factam *Philoſopho Eudemo* prognoſin, qua die triplex quartana ſingulis certis periodis eſſet deſitura, & quo excretionis genere, ſoluta ſcilicet alvo liberari deberet, maximam gloriam Romæ conſecutus; ut *Eudemus* alta voce clamarit: *vaticinari Pythium Apollinem ægrotantibus voluiſſe per os Galeni, & quibus remediis ad ſanitatem revocari poſſint, & qua die perfecte liberari debeant lib.d. præcog. ad Poſthumum cap.3.* Et *Sexto Imperatoris Severi* familiari febrem ſexta die ceſſaturam, decimo quarto reverſuram, atq; poſt tres dies, cum interim ſatis magna eſſet futura, ſecunda hora noctis penitus ſolutam iri prædixit *lib. cit. cap.10.* Neq; enim rudis Indorum medicorum, ut de iis refert *Calveta in hiſt. novi orbis* aliorumq; agyrtarum ſententia placet, qui, dum omnibus indifferenter infirmis ſalutem pollicentur, poſtquam vanâ ſpe ægrotum lactarunt, omniaq; in pejus ruere, aut ad deſperationem cuncta vergere, aut ægrotum jam fatis conceſſiſſe vident, ad ridicula devoluti, hominem fuiſſe, eumq; ſecundum latam naturæ legem huic debitum exolviſſe ajunt. cum nõ quæſtionis ſit, an homo mortalis exiſtat, qui curatur, ſed an mori aut ex morbo recõvaleſcere is poſſit. Quo minus ferendi, qui non ſolùm videri ſed etiam medici eſſe volunt, atq; ægrotos, quorũ penitus deſperata ſalus eſt, curandos ſuſcipiunt, optimaq; tantum non in ipſo die mortis promittunt, maximô bonæ ſuæ exiſtimationis diſpendiô: quid enim iſti aliud proficiunt.

Digitized by Google

ciunt, quàm quod argumenta ignorantiæ ſuæ relinquant, aut turpiſſimo lucro in ipſo articulo mortis ægrotantium crumenis inhiare Harpyiæ dicantur?

Neque tamen adeo exactam medicorum prognoſin eſſe quis exiſtimet, ut ſemper prudentis medici effato reſpondeat: quod conjecturalem medicinam, rationemq; conjecturæ talem eſſe ſciamus, ut, cum ſæpius aliquando reſponderit, interdum tamen fallat nos. Namq; & optimis medicis ſimilitudines aliquando imponunt, & difficultates pariunt, teſte *Galeno 4. aph. comm. 2.* quod evitare humana imbecillitas in tanta varietate corporum non poteſt. Si quid itaque in milleſimo aliquando decipit, id notam non habet, cum per innumerabiles homines reſpondeat, monente *C. Celſo lib. 2. d. re med. cap. 6.* Et vere *Petronius p. m. 20. Quod non expectas ex transverſo fit, & ſuper nos negotium Fortuna curat.* Quænam illa? ſanctiſſima & ſemper venerabilis divina voluntas, cujus arbitrio cuncta mortalium gubernantur, ſupra quàm intellectus humanus acie cogitationum ſuarum penetrare poſſit.

Ut autem in acutis morbis fallaces magis eſſe notas ſalutis & mortis conſtat ex *C. Celſi loco proximo* & *Hippocratis 2. aph. 19.* ita in purpura id maxime eſſe verum, imò ſalutem infirmorum heic magis eſſe dubiam, ac deſperationi propiorem experientia docet: quod ea non ſimplici humorum copia, alteratione & putredine, ſed prava ac venenata qualitate afficiat. Hinc *Avicenna* dicebat, *l. 4. fen. 1. tract. 4. cap. 2. Febris hæc eſt ſecundum plurimum perdens.* Et *Avenzoar lib. 3. theiſir. tract 3. cap. 1. Hæ febres deteriores ſunt valde cæteris febribus, & longinquiores multum à ſalute & liberatione.* Quæ de febre peſtilentiali dicti ad purpuratas flecti poſſe certum eſt, quod conſimilem peſti cauſſam habeant, etſi ſummum illum veneni gradum non attingant. Qua de re in peſte pleraque in deſperationem verſa. Et in peſte Attica teſte *Lucretio*

muſſabat tacito medicina timore.

Unde de eadem *Thucydides lib. 2. belli Pelopon.* Aliud quiddam inſolens acceſſit, quod tunc animos affligeret: quod quicquid fiebat, proficiebat in morbum: peribant alii per incuriam, alii per multam curationem: nec de ulla medicina conſtabat, quam quis diceret,

 utilem

utilem fore, ſi offerretur. Quod enim alteri proderat, id officiebat alteri. Idem ſequentibus verſibus *Lucretius* eleganter expreſſit.

Nec ratio remedi communis certa dabatur:
Nam quod aliis dederat vitaleis aeris auras
Volvere in ore licere, & cœli templa tueri,
Hoc aliis erat exitio, lethumq; parabat.

Qua de re merito dubitatur, ſi conſilio *Hippocratis* peſtis *Attica* profligata, quomodo nullum profuiſſe remedium hi authores referant? An de catholico quodam & univerſali remedio quod pleriſq; prodeſſet, intelligendi authores? quemadmodum de bolo Armena & theriaca *Galenus*, alii de aliis antidotis certis peſtilentiis ſalutaribus profeſſi. Hoc manifeſto innuere videtur *Lucretius*, dum *communis remedii* expreſſe meminit. An vero interna remedia nil juverunt, primis præſertim morbi temporibus? de προσφερομένοις enim manifeſto loquitur *Thucydides*. Ignis vero remedium externum fuit, quod etiam corruptionem aeris, cauſſam peſtis, non vero ipſum in ægrotantibus morbum tollebat, ut ſentit *Fabius Paulinus* in hujus loci commentariis, doctis & politis! Quamvis inclinato jam malo antidoti, ut illa apud *Actuarium lib. 5. m. m. cap. 6.* qua *Hippocrates* uſus, atq; *Athenis* coronâ donatus dicitur, demum conferre potuerint.

Purpuratæ vero febris malignâ vis non adeo extreme ſæva eſt, ſed media quaſi inter veram peſtem aliaſq; febres acutas ambigit: in quâ tamen non prolatandum, nec ignavis votis paranda auxilia, ſed maturius, venienti morbo, obviam eundum, ut, quod de peſte *C. Celſus* monebat, quò celerius hæc tempeſtas corripit, remedia cum quadam temeritate aliquando rapienda ſint. Adeo & heic nimis verum experimur, quod *C. Tacitus lib. 5. annal.* ajebat, *brevibus momentis ſumma verti poſſe.* Dudum jam exploſum eſt Ægyptiorum medicorum in curandis morbis inſtitutum: quibus poſt quartum ſaltem diem mederi licebat, teſte *Ariſtotele lib. 3. de Republ. cap. 15.* quod ſi ante id tempus medicinam facere conarentur, ſuo illud periculo agebant. Curatio enim purpuræ in aliquot dies dilata periculum auget, quod veneni pernicioſa qualitas longiore mora validas jam fecerit in corpore impreſſiones, ſpiritus, humores, parteſq; ſolidas corrumpendo; morboq; provecto, quæ principio adhiberi re-

medias

media debebant, nec plane adminiſtrari, nec tam felici ſucceſſu queant: imo longo tempore indelebile exacti morbi veſtigiũ relinqui ſolet, niſi ocius abripiantur ægroti, quod de aliis pernicioſis morbis docebat *Galenus 2. in 1. prorrhet. text.17.* & *de venenis ſeptica 5. ſimpl.* quæ tractu temporis habitualem læſionem accipiunt: ut quæ de maleficiis authores prodidere, merito huc referre mihi liceat. *In quibus etſi maleficium non ſubito ſeu aliquanto poſt graſſari natura ſua comparatum eſt: tamen niſi primo quoq; tempore coerceatur & remediis ſubinde excipiatur, fruſtra tandem ſuccurritur occupatis jam corporibus exitiali vi veneni.* Cum enim, ut *Hippocrates epiſt. ad Cratevam* dicebat, *ab omni arte aliena ſit procraſtinatio, tum vero maxime in medicina, in qua dilatio vitæ periculum affert.* Et ubiq; *primis aggreſſionibus* juxta *Polybium lib.3. hiſt. cap.7 facilius medicinam faciemus. Occaſio certe præceps eſt* ſummi Præceptoris monito *l. 1. aph. 1.* h. e. ut explicat *Averr. ſ.3. cap.17. agendorum in medicina tempus anguſtiſſimum & prope momentaneum.*

Quoſdam tamen heic, ut ex ipſa peſte, evaſiſſe conſtat, nullis aut certe raris remediis, iisq; non ex lege artis adminiſtratis: quod in pauperibus & ruſticis accidiſſe comperi, ſolius poſt DEI Opt. Maxq; benignitatem, naturæ robore. Quod idem in aliis morbis interdum contingere notavit *Averroes lib.7. colliget. cap.31. Multos*, ait, *invenies complexiones habentes denſas, qui ex fortibus ægritudinibus evadunt ſine medico & medicina: ſicut Barbari & Arabes, & qui in deſerto habitant, & hoc fit, quia aliquantulum cum brutis aſſimilationem habent: & pro majori parte hoc accidit illis, qui complexionem habent effrænem.* Et paulo poſt. *Sed qui ſolum per naturam ex fortibus ægritudinibus curantur, iiſ fine remanent in ægritudinibus, quæ temporaneæ dicuntur: ſicut mihi accidit, quando ægrotavi cum febre fortiſſima, & creticavi ex illa per apoſtema in articulu, eo quod mihi neceſſaria adminiſtrata non fuerunt: quare manſi arthriticus & podagricus & adhuc ſum.* Hactenus ille.

Ut autem tardata remedia plerumq; improſpera ſunt, aut difficiliorem curationem portendunt: ita ſi eadem ſatis tempori & lege artis exhibeantur, nec quicquam tamen proficiant, morbus incrementa accipiat, gravitatem morbi atq; ex eodem periculum nunciant *Galeno l.1. epid. ſ.3. comm.1.* cum morbus pertinax remediorum

vires eludat. Cujus rei exemplo eſt *Calvus Lariſſæus* apud *Hippocratem 3.epid.ſ.3.ægroto 5.* cui quod τὰ προσφερόμενα, ſeu à medico oblata nihil prodeſſent, inter curationis ſiniſtri eventus ſigna Hippocrates retulit.

In facienda vero prognoſi medicus conſultò ſit ambiguus, nec in morbo infido de ejus eventu temere ſententiam ſuam interponat: quin potius ita ſit compoſitus, ut ex ſucceſſu rerum adverſa abnuere, vel proſpera agnoſcere videatur. Fallaciſſimus enim morbus certi quid ſpondere vix permittit: quod quæ in aliis morbis tanquam votivæ ſanitatis auguria habentur, heic medicis incautis facile imponere ſoleant: dum ægroti cum optimo pulſu, urinâ laudatâ, ſignis coctionis præſentibus, die decretorio, ſubſequente criticâ evacuatione, ſymptomatisq; in ſpeciem levatis, præter opinionem interdum ſuccumbant: è contra, ubi de ægrorũ ſalute conclamatum jam videri poſſit, pleriſque ſymptomatis in decumbentium perniciem conſpirantibus iidem nonnunquã evadant. Nullæ heic fere excretionum leges, quales in aliis morbis obſervare natura conſuevit: unde tot difficiles judicationes, morborumque recidivæ: imo nec certa ſemper morborum ſpecies, aut ſtata morborum tempora, ut nec ipſius mortis. Hinc in graviſſima peſte *Hippocrates l.3. epid. ſ. 3.* πυρετὰς ἀκαταστάτους febres inconſtantes, & unumquemq; mortuum fuiſſe, ut ſors tulit, vago & incerto ordine; aliquos circa judicationes, aliquos longius produxiſſe vitam *text. 42.* memoriæ prodidit.

Interdum tremenda ſymptomata, quæ ægrum excruciant, inopinatò & παραλόγως, ut loquitur *Hippocr. 1. prorrhet. 57.* præter rationem remittunt, nullis tam citæ ſalutis cauſſis; (ſeu ut explicat *Gal. 2. aph. comm. 27.* nullo vel ſudore, vel vomitu, vel alvi dejectione vel ſanguinis eruptione corpore vacuato, quibus evacuari cauſſa morbi poſſet, nec ullis apparentibus coctionis ſignis) nulloq; fido ac conſtanti morbi ſublevamento: inſigni argumento ſuperatæ naturæ, quæ adverſus morbum pugnare amplius nequeat, docente *Galeno 3. epid. ſ.1. com. text. 8.* unde fatiſcente virium robore, ſymptomata conquieſcere videntur: quemadmodum, naturâ adhuc validâ, dum coctioni humorum operatur, in morbis gravioribus ſymptomatum plena ſunt omnia. *Dum enim pus fit, dolores fiunt, febresq; exacerbantur*

Digitized by Google

tur lib.2. aph.47. Et 13. *quibus criſis fit, nox, quæ acceſsionem præcedit, gravior eſt.* Nam quo ægri habere, cum ſigna præceſſerint exitioſa, commodius videntur, hoc morbum habent pernicioſiorem. Hac morbi ſimulata remiſſione præter alios deceſſiſſe obſervavi *Paulum Einxium,* ſuperioris judicii Advocatum, & *Hermanni Hencken Uxorem.* Utrumq; ægrum ſumma anxietas, jactatio corporis, dejectionis frequentes, hanc intolerabilis ex teneſmo dolor, moleſtabant: quibus ſponte ac παραλόγως ceſſantibus, ſuperveniente ſudore frigido paulo poſt uterque expiravit. Sic *Ludovicum* von der Thumbe, contra canones convaleſcere, nec ſtabilem futuram ſanitatem augurabar, quod in febre maligna peſſimis comitata ſymptomatis melius habere videretur, nullis receptæ ſanitatis cauſſis, nullaque facta materiæ morbificæ excretione. Ita *Hermocrates lib.3. epid. ſect.1. ægroto 2.* febre correptus linguam initio aduſtam habuit, ſiti non admodum moleſtâ: in quo undecimo die omnia allevari viſa, ut 14. immunis à febre eſſet, nulla vacuatione præcedente: qui 17. in febrem acutam relapſus, indeq; paurum melius 20. die habere viſus, tertium repetente febre 24. die, tandem 27. defunctus eſt. Sic *puer in Hippolochi vico* ſeptima convulſus, ceſſante convulſione, inſcienter extinctus 4. *epid. text.31.* De hac paradoxa morborum converſione, ut eam appellat *Galenus 3. epid. ſ. 2. comm.4.* ita *Hippocrates* ſcripſit *1. prorrhet. t.52. Quæ perniciem minantur, ea ſi abſq; ulla ſignificatione* excretionis ſcilicet vel coctionis, ut explicat *Galen. in comm. allevant, mortis periculum denunciant.* Et *lib. cit. t. 57. In præcipitibus malis ſitis temere ſeu παραλόγως ſi ceſſet, malum.* Item in *Coac. aph.48. Quæ cum malignis ſignis allevamentum ferunt, & quæ cum bonis non remittunt, moleſta ſunt & difficilia.* Et *lib.2. aph.27. Non fidendum, ſi quid in morbis acutis, fiat præter rationem levius.* Confer *Avicennam lib.4. f.2. tract.11. cap.92. Quum homo habet febrem incenſivam, & invenit allevationem & quietem caliditatis ſubito abſq; criſi manifeſta cum evacuatione, aut permutatione, & ſine extinctione ultima &c. & quieſcit quod eſt in pulſu de velocitate & invenitur ſicut tranquillitas, tunc judica, quod moritur velociter.*

Interdum heic omnia eſſe tuta, nec fatigare admodum vires ægroti videntur, uno tamen pernicioſo ac metuendo ſymptomate præſente: quod ut malignitati hujus morbi ſignificandæ ſolùm ſuf-

ſicere jam dixi; ita medentem futuri eventus ſollicitum facere debet, ne temere ſalutem promittat. Nil temere agere, nil deſpicere medenté volebat *Hippocrates 6. epid. ſect. 2. text. 29.* item *Palladius Sophiſt. in hujus loci commentario*: ſæpe namq; in inſidiis latet hoſtis infenſiſſimus, ac ſubitaria inopinaq; morte patientem jugulat. Cujus rei exempla; qui volet petere, poteſt ex *Galeno 1. prorrhet. comm. 2. text. 17. Joh. Thom. Minadeo lib. 1. d. febr. maligna cap. 22. Paræo l. 21. cap. 17. Zacuto lib. 3. prax. admir. obſerv. 49.* Ut vero uno pernicioſo ſymptomate præſente anceps & periculi plenus morbus redditur; ita contra non ſtatim animum demittat medicus, quod meliorum accidentium interventu malignitas unius ſymptomatis plerumq; compenſetur.

Quare ſingula ſymptomata heic, ut in aliis morbis, accurate cognoſcenda, & in iiſdem morbi idea, magnitudo, motus, inprimis mos, quid ſeorſim portendant, exquiſitiſſimâ contemplatione indaganda: hinc collecta eorum ſeries conferenda cum virium robore præſenti ac futuro, ut monet *Galenus in 1. epid. comm. 3. t. 21.* ita commodius auguria ſalutis ac mortis accupari licebit. Quo enim ſæviora & numeroſiora ſymptomata aderunt, viresq; fuerint debiliores, ita prænuncia ſigna morbi ſiniſtri eventus magis elucebunt: contra his valentibus, ſymptomatisq; rarioribus minusq; pravis, medicus, pariterque infirmus in ſpem reciperandæ proſperæ valetudinis erigi poterunt. Quod ſi viribus conſtantibus morbus ocius ſua percurrat tempora, ſymptomataq; ſint leviora, properæ ſanitatis indicia dari arbitrandum: At ſi virium robore invalido, effera pernicioſorum ſymptomatum vis ſubito ſeſeque ſe diffundat, feſtinari interitum patientis credendum. Unde *Galenus lib. 1. epid. comm. 3. hiſtor. 8.* maligniſſimæ febres, & quibus periculoſa adſunt ſigna die quarto vel citius perimunt. Quemadmodum protrahi morbum dicemus, viribus mediocriter valentibus, morbique motu tardius ad ſtatum properante. Namq; ægri vires portanti onus, morbus vero oneri, tempus autem, quod uſque ad ſtatum extenditur, longitudini viæ reſpondet, ut docet *Galen. 3. d. criſ. cap. 5. in fine.* Unde idem *loco citato de Philini uxore* differens, ſe de longitudine morbi ex illic recenſis ſymptomatis prædicturum fuiſſe ſibi. pollicetur, ſi de virium conſtitutione ac robore conſtitiſſet: quod & *lib. 3. epid. comm.*

1. 1. 8. in Hermocratis historia confirmat. Et generoſi medici atque arte Hippocratica digni eſt officium, futurum ſtatum præcognoſcere: cum omnem victus rationem ad ipſum reſpiciens inſtituat, ut idem docet *Lb. 1. d. criſ. c. 3. & 3. de criſ. cap. 5. in fine.*

Quod ſi artem malo vinci medicus viderit, apud propinquos, quorum non admodum intereſt mori ægrotum, intrepidè ſententiam ſuam ac periculi gravitatem exponat. Infirmum vero, quantum licet, melioris valetudinis ſpe lactare, ac conſanguineos, qui ægrum vita excedere acerbe dolerent, prudenter conſolari poterit. Ut enim *Rhaſes lib. 6. aph. fol m. 255.* mandat. *Doctores medicinæ ægros debent conſolari, etiamſi ſigna mortu perpendant. Corpora enim hominum ſpiritus eorum ſequuntur.* Namq; & ægros ſæpius melius habere in ſpem erectos, at deſperantes continuo in pejus delabi videas. Cum etiam plenum humanitatis officium ſit, tales miſeros ægrotos ſolari, cum φιλανθρωπίη in medico maxime requiratur ab *Hippocrate lib. d. medico*, item *in præceptionibus*. Qua de re *Callianacta Galenus comm. in 6. epid. ſ. 4. comm. text. 9.* & *Palladius Sophiſta in comm. ejuſdem textus ſed numero apud hunc octavi*, meritò reprehendunt, quod ægroto ſalutis ſuæ admodum anxio, ei moriendum eſſe, reſponderit, ſequenti verſu recitato

Et Pacroclus obit, te qui præſtantior ipſo.

Adeo ut miſellus animum deſpondens paulo poſt è vita migrarit.

Quæ vero ſingula ſymptomatum promittant, aut minentur; hoc loco recenſere ob prolixitatem ſuperſedeo; ut paſſim memorata ab aliis authoribus, & à ſummo medicinæ Dictatore diverſis libris tradita: in quibus omnia, quæ in acutos morbos cadunt, præſagia ſedulò & apertè perſecutus, ut fatetur *Galenus 3. in 3. epid. text. 72.* ut in his exerceri medicum velit *Aetius lib. 5. cap. 1.* pleraque etiam horum in ſignis jam relata, cætera in ſymptomatum correctione, quando ea tradetur, quantum præſagiendo valeant, commemorabuntur.

CAPUT

CAPUT XX.

Qua ratione purpura præcaveri poſſit, declarat.

SI unquam conſilio atque induſtria humana avertere liceret imminentium malorum impetum, & minus foret calamitatum, & rerum prudentes id unicè agerent; ne, quod ſtultorum eſt, ἐπιμηθεῖς λέγεσθαι conſiliumque poſt res afferre, ac vulneratâ cauſsâ remedium ſerò quærere cogerentur. Quo magis omni ope ac ſtudiô medicinam in purpura peſteque facturo annitendum, non ut inter principia præſentis jam luis vim modò jugulare, verum etiam, ut inſtantis ac jam præ foribus morbi tempeſtatem (quam ceu optimus gubernator navis juxta *Galenum* prævidere debet,) declinare, prçterea ſuæ fidei commiſſum in tuto ſanitatis portu ſiſtere, atq; adverſus irruentem luis contagem incolumem ſervare queat: quod ut ex *Hippocrate* jam dixi, occaſio rerum gerendarum præceps ſit, & ſemel recepta morbi malignitate, veneni character difficillimè aboleri poſtmodum queat. Ut enim verè *Q. Serenus Samonicus in ſuis carminibus* teſtatur,

Non ſemper præſens dolor eſt ſanabilis: ergo
Cura magis prodeſt venturis obvia morbis.

Præterquam quod, cum gentico noſtrorum hominum vitio aliis morbis præcavendis plerique non multum ſint ſolliciti, qua ratione purpura peſteque inſontes vitam tranſigere poſſint, plures quærere allaborent.

Scio clariſſimos rerum medicarum ſcriptores illi fini commentarios ſuos dudum poſteritati reliquiſſe, aliiſque epidemiis morbis tam προφυλακτικὰ quàm θεραπευτικὰ ab iiſdem propoſita fuiſſe pulcherrima remedia: præſentis tamen loci, laborisq; mei erit, quæ huc facere videbuntur, adducere; propoſito meo feliciſſimus futurus, ſi hoc opere lectorem meum non juvare tantum, ſed & eundem oblectare queam.

Præ-

Digitized by Google

In Præſervandis igitur à purpura corporibus de duobus potiſſimum ſolliciti erimus, cauſſarum ſcilicet amotione, ac corporum præparatione, ne inquinamenta luis recipiant. Qua in re omnium primùm *Sacroſanctæ Divinæ Majeſtati*, non farre, thure ac holocauſtis litandum, ſed ardentiſſimis precibus, ſeriâ de admiſſis peccatis pœnitentia, ac certâ in Deum fiducia placandus furor ejus, ut vindicem angeli ſui gladium cohibeat, ac ſeminaria ſævientis luis quoquoverſum diſperſa, ac cæco impete per aerem volitantia transverſa à nobis abripiat. Hinc cauſſis tollendis operam daturi, inter eas primò aerem, ſi exceſſu primarum qualitatum vitium contraxerit, priſtinæ ſuæ temperiei reſtituemus, contrariis eum corrigendo. E. g. ſi immodicè calidus fuerit, quæ ejus fervorem temperent, adhibebimus, ſpargendo humi gramen recens, ante exortum Solis demeſſum, folia vitis, betulæ, arundinis tenerioris, aquam frigidam, puram, vel aceto ſimplici, aut roſaceo permixtam: qua etiam imbuta linteamina ad cubiculi parietes commodè extenduntur: ſic & aqua frigida de vaſe in vas transfuſa aerem refrigerabit, quod & faciet Silanus artificio ductus. Aer quoque refrigeratur, ſi locus perſpirabilis ſit, qualis in montibus ac locis editis eſſe ſolet, præſertim vero is recentatur aquilonari aut ſubſolano vento, quem feneſtræ patulæ recipiant, aliis, quæ auſtrum ſpectant, occluſis. Aeris enim conſtitutio a ventorum flatibus potiſſimùm dependet. Eſt namq; ventus, authore *Plinio lib. 2. hiſtor. nat. cap. 43.* nihil aliud, quàm motus aer, qui diverſam ſortitur naturam ac qualitatem pro variis regionibus ac locis unde ſpirat. Hinc aer convalliū locorūq; maximè paluſtriū, cum perflatu liberiore careat, fœtus eſt in quaſvis putredines, ſi æſtivis caloribus, ſuccenſo putredinis fomite, noxium virus diffundatur. Qua de re apud *Varronem de re ruſt. lib. 1. cap. 12.* in extructione villæ *Scrofa* vitandum cenſet, ne in eas partes ſpectet villa, ex quibus ventus gravior afflare ſoleat: neve in convalli cava: & ut potius in ſublimi loco ædifices, qui quod perflatur, ſi quod eſt, quod adverſarium inferatur, facilius diſcutitur. De *Baccho* refert *Diodorus Siculus lib. 2. bibl. hiſt. pag. 87.* cum, militibus ex magnis ardoribus peſte in India laborantibus, copias è campeſtribus in montana duxiſſe, ubi frigidioris aeris afflatu & purioris aquæ ad ipſas fontium

Digitized by Google

ſcaturigines promanantis hauſtu recreati ab ipſo morbo liberabantur. Cumprimis v. aer concluſus, qualis in cryptis locisq; ſubterraneis hauritur, noxius, peſſimoq; pejor, ſi plures in tali congregati vitam tranſigant, ut tempore peſtis Atticæ: Lacædemoniis n. Atticam depopulantibus coloni numeroſi ſe Athenas recepere, pluresq; in iisdem cavernis, animam, æſtivo tempore, ſtrangulantibus degere coacti, ut refert *Thucydides lib. 2. bell. Pelop. cap. 2.* Talis enim, ut omnis aer à ventis ſilens, damnatur. Aer enim cum motu vocat, ſemper calefit, teſte *Ariſtotele de reſpirat. cap. 6.* Hinc eos qui in pauco aere reſpirant, ſuffocari contingit, quod ille facile incaleſcat, ut poſtea amplius non refrigeret: quemadmodum aſthmatici, & quibus cor oppreſſum refrigerium poſtulat, propius adſtantes manibus abigunt, ac flabello ſibi ventulum fieri poſtulant, quò liberiorem, motuque flabelli frigidiuſculum factum haurire queant. Aeris quoq; *ἄπνοια καὶ νηνεμία* ab *Hippoc 3. epid. ſ. 3.* in graviſſima peſte ut pernicioſa notata, & in comm. à Galeno, damnata. Ventorum namque ſalubrium valido flatu, non ſolùm aer à putredine præſervatur, qui ſitu ac quiete putreſceret, ſed &, ſi quæ corrupta *μιάσματα* inhærent, longè propelluntur, aut in minimas partes, ultra quas dividi amplius nequeant, reſolutæ evaneſcunt.

Aeris humiditatem corrigemus talibus, quæ ejus madorem exiccent & abſumant: cui propoſito nihil magis convenit igne lucido, in publicis locis, aut privatis ædibus extructo, qui luculentior eſſe hyeme poterit, parcior æſtate. Lucidus autem ſit, non fumoſus, nec ex viridibus lignis, quæ concremata madorem copioſum exudant, ſed ſiccis, & quæ ſiccandi vim obtinent, roſmarino, junipero, lignis juglandium, abietinis, quernis & id genus aliis.

Quod ſi aer tota ſubſtantia naturæ noſtræ inimicus ſit, conſiderandum, an ad tantæ corruptionis cauſſas cælitus concurrat atque conſpiret certus ſyderum poſitus: quem cum emendare induſtria humana nequeat, votis ac precibus vitæ necisque arbiter exorandus: an vero aer gravi exceſſu primarum qualitatum ſubſtantiæ & naturæ ſuæ corruptionem adeptus fuerit, quibus tollendis, ſua quibuſvis qualitatibus remedia dabimus: an aliunde in aerem recepta fuerint mali ſeminaria, quæ aerem inquinare & corrumpere poſ-
ſint?

Digitized by Google

ſint: quorum generationi, quantum humana induſtria obtinere licebit, ſedulo occurrendum. Si enim ſpecus & antra malignam exhalent mephitim, quibus datur artibus, obſtruenda. Ita Empedoclem, *Agrigentum*, magnam urbem, peſte liberaſſe fama eſt, fiſſuris montium obſtructis; unde noxii venti in urbem ſpirabant, teſte *Plutarcho lib. d. curioſitate adverſus Colotem pag. m. 1126.* Quanquam *Diogenes Laertius in vita Empedoclis* ſcribat, eum utribus ex coriis aſinorum paratis, iisque verticibus montium ac collibus impoſitis avertiſſe flatuum malignam vim: quamobrem & κωλυσανέμας dictus fuit. Nec inconſultum factu fuerit, in tali loco magnam lignorum ſtruem accendere, quo minera veneriati halitus penitus exhauriatur. Si cadavera ex ſtrage militari inſepulta relicta, aut armenta lue perempta rurique inhumata abjecta tetrum fœtorem expirent, malignosque morbos cauſſari poſſe arbitremur, locis ab hominum conſortio remotioribus congeſta, magnaque lignorum ſtrue ſuccenſa comburenda, aut alte defodienda, copioſaque calce obruenda, quæ abſumat noxiam putredinem [redacted]; quod & peſte defunctis corporibus fieri conſultum fuerit: quæ graſſante lue extra pomœria urbis ſepeliri, nec illis ſacra contaminare loca, ſuaſerim: quod hęc recluſis ſepulchris, ex peremptis lue cadaveribus jam fœda putredine diſſolutis recipiant venenatos halitus: unde peſte purpuraq; epidemiis quoſdam ſepulchris recluſis per imprudentiam noxia μιάσματα anhelitu recipere, ac mox eadem lue correptos vita poſt paucos dies excedere memini.

Si aquæ ſtagnantes ac paludoſæ noxiam emittant ἀποκρίσεις, unde, ut in cauſſis docui, cæci ac maligni morbi aliquando oriantur, operæ pretium erit, rivos aut torrentem recentandis pigris ac fœtentibus aquis inducere, exemplo *Empedoclis*, qui referente *Diogene Laertio*, cum *Selinuntios* ex adjacentis fluvii fœtore peſtis invaſiſſet, duos quoſdam ex vicinis amnibus proprio ſumptu in aquas corruptas immiſit, ut ex commixtione aquarum dulceſcerent. Ita lacus *Acronius* & *Larius* corruptionis expertes ſunt, quod per iſtũ *Rhenus*, per hunc *Abdua* fluvius transfluat. Quod ſi aliunde corrivare amnes impoſſibile ſit, paluſtres aquæ omni cura ac labore exiccandæ: quod experientia probatum ſit, febres malignas quotannis ta-

libus locis familiares, ſolo hoc auxilio penitus fuiſſe ſublatas, quod de patria ſua teſtatur Doctiſſimus *P. Salius Diverſus*, & de agro *Piſano* confirmat *Thomas Jordanus d. peſt. phænom. tract. 3. cap. 2.* Nec dubium eſt, ſentinas ac receptacula ſordium urbis, quæ intolerabilem fœtorem præſertim æſtate prætereuntibus offundunt, ut animam contrahere inviti cogantur, aerem inficere, & alluvione aquarum ac pluviæ delapſu imbibita ac communicata aquis virulentâ ſordium qualitate cæcos & malignos morbos in nobis generari, corruptis talibus aquis pro coctione ciborum & cereviſiæ neceſſario uſurpatis: quas ſentinas à ſpurciſſima illuvie frequenter luſtrare convenit. Opifices, qui fœdiſſimo artis miniſterio occupati, ſordes copioſas aquis immittunt, in alium urbis magisque declivem locum ablegandi, ne aquis noxium virus communicent: quibus potis aut cibis in iis coctis, quis congeneres corruptos humores morboſque perniciosos in corporibus noſtris produci negaverit? Platearum quoq; ſordes ut viſu fœdæ, ac fœtore moleſtæ ſunt, ita præcavendæ huic lui diligenter mundandæ. *Strabo lib. 4. geograph.* de *Smyrna* diſſerens non leve fuiſſe architectorum peccatum cenſet, quod, cum vias ſternerent, non fecere cloacas: quo fit ut ſtercora ſuperfluitent maximè imbribus decidentibus, repoſitoriis ea demittentibus. *Romani* vero in extruendis cloacis nullis impendiis pepercere, namque *Tarquinius Priſcus* magnitudinem cavis eam fecit, ut vehem fœni largè onuſtam tranſmitterent. Equidem magnificentiæ veræ admiratio extant Romanæ cloacæ, in quas, ut ſcribit *Plinius lib. 36. nat. hiſt. cap. 15.* ſuffoſſis montibus atque urbe penſili ſubternavigata à *M. Agrippa*, in ædilitate, poſt conſulatum, per meatus corrivati ſeptem amnes, curſuque præcipiti torrentium modo rapere atque auferre omnia coacti, inſuper mole imbrium concitati, vada ac latera quatiunt: aliquando Tyberis retro infuſi recipiunt fluctus, pugnantque diverſi aquarum impetus intus, & tamen obnoxia firmitas reſiſtit: trahuntur moles internæ tantæ, non ſuccumbentibus cauſſis operis: pulſant ruinæ ſponte præcipites, aut impactæ incendiis, quatitur ſolum terræ motibus: durant tamen à *Tarquinio Priſco annis* DCCC. prope inexpugnabiles. Quæ aliquot poſt ſeculis adhuc durabant, tempore ſcilicet *Theodorici*, *Regis Gothorum*, ac tantum *viſentibus conſer ebant* ſtupo-

Digitized by Google

ſtuporem, ut aliarum civitatum miracula poſſent ſuperare, teſte Caßiodoro lib. 3. var. epiſt. 30. Quæ enim urbium (verba *Caßiodori* ſunt,) *audeat tuis culminibus contendere, quando nec ima tua poßint ſimilitudinem reperire?*

Poſtulat certe præſentis loci ratio, ac ſacramenti mei memoria, quo laudatiſſimæ huic Reipublicæ obligatus, quædam heic interponere, quæ maximam animadverſionem merito deſiderant: cum præter aëris locorumq; conditionem, etiam aquarum conſtitutionem, ſuis quamque locis peculiarem, medicus noviſſe debeat, monente *Hippocrate lib. de aëre aquis & locis. Lubeca Hanſeaticarum urbium caput*, ſita inter *Travæ* ac *VVakeniſſæ* confluxum, ſalubritate cœli cunctas prope vicinarum civitatum longe excellit, lociq; commoditate ita poſita, ut, quæcunque ad uſus humanos deſiderari poſſunt, proximis aut remotis locis, terrâ marique huc copi[illegible] deferantur. Inprimis aqua *VVakeniſſæ* ſaluberrima eſt, & commendatæ à *Vitruvio lib. 8. architect. cap. 5. Palladio de re ruſt. cap. 10. Plinio lib. 31. nat. hiſt. cap. 3. C. Celſo l. 2. c. 18. Hippocrate 5. aph. 26. Galeno in comm. Oribaſio lib. 5. collect. Athenæo deipnoſoph. lib. 2. p. m. 41.* in aquis bonitatis notas obtinet: nam & clara eſt ac levis, (ſi aliis in vicino aquis conferas) nihil limoſi ſecum vehit, omnis adverſi ſaporis expers, facile incaleſcit & refrigeratur, ac legumina cito percoquit: in quam proximis ab ortu locis, circa *Raceburgum*, oppidum ditionis *Illuſtriſſimi Principis*, AUGUSTI, *Saxoniæ, Angariæ & VVeſtphaliæ Ducis*, numeroſi fontes limpidiſſimique rivuli ſe effundunt, ac navigabilem fluvium efficiunt. Hujus benignitate accidere arbitror, cerevſiam *Raceburgenſem*, vulgo Rummeldeiß vocant, potu adeo ſalutarem eſſe, eamque potantes, aut aqua dicta pro coctione ciborum utentes, raris viſcerum obſtructionibus, aut calculi vitiis affici; non lupuli aut hordei, ex quibus *in ſpeciem vini corruptus liquor* (verbô *Corn. Taciti de moribus Germanorum* loquor) paratur, quadam peculiari bonitate: quæ, præſertim his feralibus belli temporibus hinc copiosè illò tranſportantur. Hanc aquam ſi nobis *Lubecæ* iiſdem liceret haurire locis, cæteræq; cauſſæ externæ lege artis forent comparatæ, aut defuturum Charonti naulum, aut non niſi ſeris annis & extremâ ſenectâ pleroſque vitam cum morte commutaturos arbitrarer: nunc cum communi ſeculi noſtri vitio & heic pantices ultra ſaturitatem

cibo potuque ſaburremus, aliisque cauſſarum externarum ἐφόδοις cottidie ſubjecti ſimus; præcipue vero optimæ hujus aquæ, noſtrâ culpâ corruptiſſimæ, continuo uſu variorum morborum fomitem in nobis præſtemus, ante conſtitutum vitæ terminum, ſeramque ſenectutem, multos decedere quis dubitet? Aqua enim hæc, *Raceburgi* limpidiſſima, dum longiſſimo tractu populoſam noſtram urbem alluit, pigriorque prope urbem reſtagnans late ſe diffundit ſtagni adinſtar, non ſolùm platearum adjacentium, ſed & pellionum, coriariorum, alutariorum, cæterorumque de genere iſto fœdiſſimas ſordes, & proximo publicis canalibus gurgite, macelli cōmunis impuritates, & ex transverſo, ſpurciſſimam κόπρης ποιητῶν, quam non aſſuetus ne temere quidem odorari ſuſtineat, camarinam (quæ ſi largior imber defluat, totum fluvium, qui ſatis largo ſinu prope urbem ſe diffundit, conſimili colore imbubinat,) recipit, ac ſecundo flumine dilabens aquæ ductibus infundit. Sentinæ quoque publicæ negligentiâ miniſtrorum oppletæ, atque intolerabili putore fœtentes, Jove pluvio dilutis ſordibus, trajiciunt excrementorum multam copiam: ut ſi quis (fidem meorum civium appello.) aquæ bonitatem temptare tum velit, non ſolùm abominabilem ſaporem guſtu, verum etiam magnam impuritatem, plurimasque aquæ permixtas ſordes oppido viſu percipiat: quas & tranquillo ac ſereno cœlo copioſiſſimas fluere, cum ſtupore obſervabit, qui aquam dies aliquot aſſervatam, paululum agitare volet: quin & citra agitationem leniter effuſam, lutulentam ac ſordium plenam in fundo reperiet. His vero corrumpi elementi bonitatem, vel piſces oſtendunt, qui in lacu Raceburgenſi capti ſaporis gratia cunctis adblandiuntur, heic prope urbem irretiti cœnoſum ſaporem veſcentibus præbent: qui etiam propterea exiguum, boni alimenti, excrementi vero plurimum generant, ut non mirum ſit, qui talibus crebro veſcuntur, pravum ſuccum intus coacervare ex ſententia *Hippocratis lib. 2. d. diæt. p.357. Galeni 3. alim. fac. cap.25. 29. & 30. Aetii lib. 2. cap 2. cap.134. Avicennæ lib. 2. tract. 2. cap.553.* Scio aquas populoſas urbes præterfluentes iiſdem cauſſis ab authoribus improbari; qualis enim terra, per quam fluunt, tales ſunt aquæ teſte *Plinio lib.31. cap.4. Vitrugio lib.8. d. Architect. cap.1.4. & 8. Theophraſto lib. d. cauß. plant. 6, c.3.*

ſed

ſed hæc noſtra eo magis damnanda, quod fluviolus parvus ſit, leniqs curſu defluat, nec torrentior ſit, ut vectus aquis properantibus præcipiti citatoq; fluxu receptas ſordes ſecum abducere poſſit, &, cum molendinis inſerviat, occluſis clathris, ne continuo defluxu artis miniſterium defraudet, prope dictas cloacas reſtagnet. Non quidem inficias iverim, quiete ſubſidere lutulentæ ac ſordidæ materiæ magnam copiam, quæ unius aut alterius diei mora ſequeſtrata, copioſiſſima, ut jamdixi, fundum petit; quemadmodum & colaturâ, coctione, ut conſtat ex *Galeno lib. 6. epid. ſect. 4 comm. 10.* deſpumatione, fermentatione item cerevıſiæ heterogeneas partes ſeparari videmus; reſtare tamen ab inquinamentis receptam atque ſemel imbibitam qualitatem certum eſt, & *Oribaſius ex Athenæo lib. 5. coll. cap. 5.* manifeſto docet, ſimulque in illa ad ſpeciem aquæ claritate plurimum limoſæ ac terreæ materiæ latere beneficio πυροτεχνίας, deſtillatione ſcilicet, nobis conſtare poterit, illique extra dubium erit, qui & aliis in ſpeciem puris, limpidis ac claris rebus alienam ſubſtantiam, ſatis copioſam, atque ut *Palladius* docuit *lib. 1. de re ruſt. cap. 4.* corpori inimicam qualitatem, interdum contineri novit. Annon vina totiens transvaſata, ſi æſtu aliave de cauſſa fermentationem ſubeant, turbari videmus? quæ quantum tartari ſolidi ac lapideſcentis ad latera doliorum oblimant! Et cottidiano exemplo urina clara ac pellucida mingitur, quæ quantum fæculentæ craſſæ ac limoſæ materiæ ad fundum matulæ deponat, quantumque ſalis permixtum habeat, cuivis notum arbitror, & in deſtillatione ſpiritus urinæ copioſiſſimum ſalem ſublimari quivis obſervare poteſt. Salutari certe conſilio per anguſtum urbi oppoſitum iſthmum ad publicos canales traduci aqua poſſet, quæ, quod non dum biberit ſordium publicarum malignitatem, omnis illius noxiæ expers foret: quod ut expedito labore modicisque ſumptibus præſtari poſſe mihi perſuadeo, cum ex illo, ut ſublimiori loco, facilior aquarum decurſus, quæ prono lapſu per declivia loca ſua ſponte feruntur; ita non multis ab hinc annis feliciter inceptum, ac ni fugitivi artificis malitia deſtituiſſet tam laudabile propoſitũ publicô bonô illud tum abſolutum fuiſſet. Nec dubito, quin Ampliſſimus Magiſtratus noſter (qui ſalutaribus conſiliis Rempublicam hactenus feliciter geſſit, ut inter univerſæ Germaniæ

maniæ motus inconcuſſa hactenus manſerit, magnô civium ſuorum, ac publicô egregiô) tantum tamq; neceſſarium urbi negotium porro diligenter promovere velit, cum proprio, civiumq; ſuorum vitæ ac ſanitatis diſpendio hactenus quorundam imprudentiâ temere negligi videat. Ἄριστον μὲν ὕδωρ *Optimam aquam Pindarus Olymp. ode 1. dixit. Aqua* enim, *quaſi à quâ ſint omnia, ut Lactantius lib. 1. capite 5. derivat.* Et Thaleti, uni ſeptem philoſophorum omnium rerum principium viſa, ut teſtantur *Ariſtoteles lib. 1. metaph. 3. Vitruvius lib. 2. archit. c. 2. & 8. architect. in præfat. Seneca quæſt. nat. l. 3. cap. 13.* Quartum certe principiorum *Pythagoræ, Empedocli, Epicharmo, Ariſtoteli* aliisque Philoſophis ac phyſicis: ex quibus non ſolum naſcentia, procreata: ſed & res omnes non ali ſine eorum poteſtate, neq; creſcere, nec tueri advertimus. *Igitur Divina mens quæ propriè neceſſaria eſſent gentibus, non conſtituit difficilia & cara, ut ſunt margaritæ, aurum, argentum, cæteraq;, quæ nec corpus nec natura deſiderat: ſed ſine quibus mortalium vita non poteſt eſſe tuta, effudit ad manum parata per mundum omnem,* ut loquitur *Vitruvius* loco citato. *Aqua enim maxime neceſſaria & ad vitam & ad delectationes & ad uſum quotidianum,* eodem teſte *libro allegato cap. 1.* Eâ vero in re Romani tantum operæ poſuere, ut non alibi major exſplenduerit Romanæ potentiæ magnificentia, quàm in aquæ ductibus, cloacis & viis publicis, tanto labore, tanta induſtria, inenarrabilibus impendiis, æterno & in ſecula durante opere, publico bono, maximo iſtorum ſeculorum ornamento, poſteritatis ingenti admiratione extructis. Quæ verâ æſtimatione dicuntur invicta miracula *Plinio lib. 36. nat. hiſtor. cap. 15.* ut, cum univerſus orbis ſe bello à Romanis ſuperatum cognoſcat, etiã operum magnitudine ingenue victum fateatur. De aquæ ductibus Romanis illud, ut maxime præſentis loci, referre placet, ſi quis æſtimaverit aquarum abundantiam in publico, balneis, piſcinis, domibus, euripis, ſuburbanis villis, ſpacioque advenientis extructos arcus, montes perfoſſos, convalles æquatas, fatebitur, nihil magis mirandum fuiſſe in toto orbe terrarum. Ut *Sextus Julius Frontinus Conſularis*, cui à *Nervâ Auguſto* aquarum injunctum officium, pyramidas otioſas, aut cætera inertia, ſed fama celebrata Græcorum opera cum illis ne quidem comparari poſſe cenſeat *lib. d. aquæduct. Rom. pag. m. 102.*

Et ſi

Digitized by Google

Et ſi *Caſsiodori Senatoris Romani* fides æſtimanda *l.7.var.ep.6.* de formis Romanis, (ita aquæductus appellantur) *Illuc flumina quaſi conſtructis montibus perducuntur, naturales credas alveos ſoliditates ſaxorum: quando tantus impetus fluminis tot ſeculis firmiter potuit ſuſtineri. Cavati montes plerumq; ſubruunt, meatus torrentium diſsipantur, & opus illud veterum non deſtruitur, ſi induſtria ſuffragante ſervetur.*

Remotis mineris μιασμάτων venenatorum aeris conceptæ corruptioni tollendæ nihil magis conferet luculento igne: quem ut humiditatem conſumere dixi; ita aerem ab omnibus etiam inquinamentis efficaciter liberare ſolet, quod agendo validiſſimus ſit: quo in publicis locis extructo, ſylva, urbi proxima accenſaq; Hippocrates Athenas peſte liberavit: quod & *Acron* celebris *Agrigenti & Empedoclis* authoritate cõmendatus medicus feciſſe dicitur *Oribaſio ſynopſ. l.6.c.24.* Idem de *Acrone* refert *Plutarch.lib.d.Iſide.* & de eodem & *Hippocrate* confirmat *Aetius lib.5 de re med.c 94.* de *Empedocle & Hippocrate* memorat *Plinius lib.36. nat. hiſtor. cap.ult.* Et *Suidas* in *Jachene, Medico Ægyptio* inſigni, qui ſub *Senye* Rege medicinam fecit, teſtatus, invaleſcente publico morbo ad fanum *Jachenis* accedentes ſacerdotes, ſacris rite peractis ex ara ejus igne petito, & pyris in urbe incenſis fœtidi aeris corruptricem illam luem tabefaciendo & ſuperando morbum igni extinxiſſe: idque miraculo quodam accidiſſe arbitratur *Suidas*; ego potius flammarum violentiâ luſtratum aerem cenſeo. Namq; bona fide lectori teſtari poſſum, me diſcutiendis ac conſumendis intra domos hærentibus peſtilentis luis ſeminariis, nulla re plus profeciſſe: ignem enim luculentiſſimum, quantum ædes citra periculum incendii unquam ſuſtinere poſſent, non in foco ſolum, ſed & mediis domibus, diverſis ſimul locis, mane & veſperi facere juſſi, occluſis primùm foribus ac feneſtris, iiſque poſtquam omnia ſatis incaluere, rurſus reſeratis: ita tamen, ut qui ædes inhabitarent, dum valido incendio ignis deflagraret, in alium locum fumi expertem ſecederent. In ipſis quoque conclavibus, in quibus ægri peſte defuncti fuere, ignem accendere juſſi, quo efficaciſſimo hoc auxilio ſemina morbi relicta penitus abolerentur. Cæterum eo magis malignitatem aeris ignis corriget, ſi ex illis, quæ ſpecificâ virtute id agunt, componatur, aut talia, quæ idem præ-

ſtant, in focum conjiciantur, laurus ſcilicet, juniperus, harumque baccæ, roſmarinus, ligna abietina, fraxinea, juglandium, raſura C. C. &c. Ita *Hippocrates*, ut vult *Galenus lib. d. theriacâ ad Piſonem cap. 16.* peſtem Aſiaticam ſui temporis ſuſtulit, pyris oppidatim extructis, non ex qualibet materia; ſed ex ſertis & floribus odoratis, quibus ignem foveri juſſit, fragrantiaque unguenta ſuperfudit. Quod ſi ob loci incommoditatem ignis accendi nequeat, ſuffumigiis (quorum ſeriem infra dabo) ædes bis aut ter quot diebus luſtrare jubeo. Quin & acetum theriacale candentibus lateribus commodè affunditur, cujus vapore, præſertim calidiore cœlo, ubi ſuffumigiis locus non eſt, aeris noxii halitus corriguntur. Poterit & ſphærula concava ex ligno juniperino fabricari, cui ſpongia delibuta aceto rutæ aut theriacali, aliave conſimilis efficaciæ materia incluſa, naribus admota inſpiratu recepti aeris malignitatem emendabit. Alii calcem vivam occluſis feneſtris aqua perfundunt, depurandis ab infectione conclavibus à *Sennerto* maximè commendatum *lib. 4. d. febr. cap. 5.* Sunt qui pulverem pyrium tormentis majoribus bellicis, verſus illam partem, unde peſtis ſeminaria effunduntur, exploſum commendent. Qui & in ipſo conclavi infecto, ſingulari cautione à quibusdam accenditur.

Inprimis conſilium maxime ſalutare, cui licet, arripiendum, *Æneæ* infectis *Cretæ* locis commoranti *lib 3. Æneidos* datum:

longum fugæ ne linque laborem:

& ut abitus ad loca longe diſſita propere maturandus, ita reditus ſero, conſopito prius ac penitus ſublato malo, differendus. Hoc maximus medicinæ Præceptor innuiſſe videtur, dum *lib. d. nat. humana* morbis populariter graſſantibus præcavendis aerem ξενίζοντα maxime peregrinum commendat, (quod qui locis infectis hauritur, ob μιαρὰ μιάσματα ſuſpectus ſit) locaque regionum, in quibus lues ſævit, quantum fieri poteſt, permutare jubet. *C. Celſus lib. 1. d. re med. c. 10. peregrinari, navigare conſulit.* Hinc *Flavius Vegetius lib. 3. d. re milit. cap. 2.* ſi autumnali æſtivoque tempore diutius in iiſdem locis militum multitudo conſiſtat, ex contagione aquarum & odoris ipſius fœditate vitiatis hauſtibus, & aere corrupto pernicioſiſſimum morbum naſci tradit, qui prohiberi non poſſit aliter, niſi frequentii

quenti mutatione caſtrorum. Quin ſi peſtilentia bubus ingruat, confeſtim mutandus cæli ſtatus, & in plures partes diſtributo pecore longinquæ regiones petendæ ſunt, ut monet *Columella lib. 6. de re ruſt. cap. 5. & lib. 7. cap. 5.* Illud quoque inſigne ex profectione emolumentum peregrinantes conſequentur, ut abſentes viſis aut auditis de peſte non percellantur, quod hinc infectos quoſdam fuiſſe ſupra docuerim. Quibus vero abeundi facultas non datur, maximopere ſuſpecta loca vitent, nec facile conventiculis publicis interſint, ac commorcia tractent, tralatitio facile per talia malo. Aerem quoq; proximis infectis domibus expirantem arceant, occluſis januis & feneſtris, etiamſi venti ſalubres illis partibus ſpirare alias ſoleant. Ita *Varro doctiſſimus Romanorum* (ut eum appellat *Plutarchus in vita Romuli,*) *lib. 1. de re ruſt. cap. 4.* dum Corcyræ eſſet exercitus, ac claſſis & omnes domus repletæ eſſent ægrotis ac funeribus, immiſſis feneſtris novis aquilone, & obſtructis peſtilentibus, januâq; permutatâ, cæterâque ejus generis diligentiâ, ſuos comites ac familiares incolumes reduxit.

In cibis ea quantitas aſſumenda, quæ nec inopia ac paucitate naturæ genium defraudet, nec eundem copia gravet; ſed cui ventriculus ſit ferendo ac digerendo: ſi enim calor nativus mole oblatorum oppreſſus cibos probe concoquere nequiverit, colluvies crudorum ac corruptorum humorum in ventriculo viciniſque viſceribus ac meſaræo reſtagnat, variiſque morbis hominem obnoxium reddit, ni anticipatâ excluſione, auſpiciis naturæ aut ductu medicamentorum facta, præverterit inſtantis morbi irruptionem. *Cornel. Celſus lib. 1. cap. ult.* abſtinendum potius cenſet, ſi plenius corpus eſt, cibumque modicum porrigi jubet, ne cruditatem moveat. Imò *Hippocrates* noſter in ſtatu peſtilenti corpus ἀσαρκότατον καὶ ἀσθενέστατον attenuatiſſimum & imbecillum maximè ſervari cupit *lib. d. nat. hum.* potusque cibique, quo uti conſueverunt, partem ſenſim demi jubet: talis enim corporis habitus cum perſpirabilis ſit, minus eget inſpirationis, unde nec copioſus attrahitur aer, quod is tali tempore νοσηρῇ ἀποχείῃ perfuſus, quantum liceat, minima quantitate hauriri debeat. Non tamen inedia corpus macerari jubet, quod ſubita mutatio victus periculum adferat *eodem authore loco citato,* ſed mo-

dicè abſtinendum ſuadet: namque longiore jejunio vacuæ arteriæ ac venæ undecunque attrahunt ac recipiunt aerem, unaque noxium virus. Propterea nec jejunare nimis diu tempore peſtilentiæ, nec in publicum jejunos prodire velim: præmunire potius corpus ſuaſerim adverſus cæcam morbi vim, buccella panis vino aut aceto madida, aut pane butyrato. Heic enim & illud verum eſt, quod *C. Celſus lib. 5. cap. 27.* de anguium, item feræ maleficiis prodidit, & adverſus eorum ictus aut morſus præſidium retulit: omnis ſerpentis ictum & jejuni & jejuno magis nocere: utiliſſimumque eſſe, ubi ex anguibus metus eſt, non ante progredi, quàm quis aliquid aſſumpſit. Quod de morſu canis confirmat *Rhaſes lib. 8. ad Manſ. c. 9.*

Sed nec cibus novus ingeri debet, priore nondum concocto: quod hic ad inteſtina abſtruſus, nec dum πέψει debita alteratus, talis ab hepate veniſque rapiatur; cujus inhærens ex cruditate vitium ſuccedens χύμωσις aut αἱμάτωσις necquicquam emendet: ſufficitque authore *C. Celſo lib. 2. cap.* ſemel de die comedere, præſertim ſic aſſuetos. *Pythagoras* in *Sicilia* videns luxuriem, menſas Sybariticas, hominesque bis die comedere, miratus horum amentiam. Quid ſi ille ſuo μετεμψυχώσεως dogmate adhuc vivus cerneret quorundam comeſſationes, toto die in noctem concubiam uſque protractas, & ubi prandii finem principium cœnæ ſtatim ſuſcipiat? Plerisque tamen noſtratium cottidie bis comedere in more poſitum: quod & ipſe admitto, ni recuſantis ſtomachi faſtidio ſemel ediſſe placeat: At in illis, qui adhuc adoleſcunt, aut graviſſimis atteruntur laboribus, ſæpius nutrimenta ſuggerenda; nec illis, ter ſingulis diebus comediſſe, nimium fuerit In vicina Holſatia, præſertim Femaria, aliisque vicinis inſulis operarios quinquies in die cibare ſolent, quos animo deficere credunt, niſi toties explendæ fami, ut Poeta ait,

Ingens accedat ſtomacho fultura ruenti.

Sed ejuſmodi hominibus nullæ tuendæ ſanitatis leges à medicis propoſitæ fuere, quod homo liber ac *ſuæ ſpontis* juxta *C. Celſum lib. 1. c. 1.* eſſe debeat, qui victus rationem debitam ſervare poſſit: & *Polybus author. lib. de ſalubri diæta* ἰδιώτας poſcat ſeu ἰδιοπραγοῦντας, propria privataque negotia agentes, qui diætæ bonæ leges obſervare poſſint, ut explicat *Galenus in dicti libri comm 1.* Illis enim agreſtibus hominibus,

bus, ſi quis vivendi legem præſcribere velit, idem erit, ac ſi urſis, apris, leonibus (ita de Germanis ſuo tempore *lib.1. ſanit. tuend. c.10.* cenſebat *Galenus*,) id facere conaretur.

In qualitate ciborum ſingularis delectus inſtituatur, cibiq; ſint optimi ſucci, ac facilis digeſtionis, & qui levem ſiccandi vim habeant, ſeu ingenitam, ſeu præparatione adſcititiã, quo putredini adverſentur, roburq; partib⁹ addant, præſertim ſi iidem admodum leviter adſtringant, quo ſpirituum diſſipatio, humorum, partiumq; ſolidarum diſſolutio impediatur: quibus interdum talia jungi debent, quæ vi alexiteria corpus adverſus luis malignitatem munire valeant.

Iſtos vero largâ admodum manu benigna rerum parens ad invidiam penè mortalibus dedit, eosque non alimoniæ tantum, ſed & moderato oblectamento conceſſit: quibus tamen in illa ſemper in pejus ruentis orbis ſenectâ ventris prodigia temère abutuntur; quaſi illis conſumendis nepotes iſti ſolùm nati forent, pecorum inſtar, quæ *natura* (verbô *Salluſtii in bello Catilin.*) *prona atq; ventri obœdientia finxit.* Quin nec illa, quæ domi nata ſunt, proximisq; villis aut lacubus apportantur, delicatulis ſemper probantur: placent potius, ut *Claudianus lib. 2. in Eutropium* referebat,

Quæſiti trans regna cibi:
Quod non ſint faciles: at albus anſer
Et pictus anas enovata pennis
Plebejum ſapit &c.

ut erudito luxu commendatus à *Corn. Tacito Petronius in ſatyr.* ſuper perverſis ſui ſeculi moribus jam olim conqueſtus fuit. Quin & numeroſis ferculis onerare menſas, cœnamque reddere dubiam, ut frequens jam eſt, ita ad varios morbos corpora diſponit: *eoq; mores venere*, verba ſunt *Plinii lib. 26. hiſtor. nat. cap. 8. ut homo maximè cibo pereat. Multos morbos multa fercula fecerunt*, dicebat *Seneca Epiſt. 95.* Ex iſta enim alimentorum varii generis farciminatione, dum, ut Poeta ſcribit *lib. 2. ſat. 2.*

—————— ſimul aſſis
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis,
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoq; tumultum
Lenta feret pituita: vides ut pallidus omnis

Cœnâ deſurgat dubia: quin corpus onuſtum
Heſternis animum vitiis quoq; prægravat unâ,
Atq; affligit humi divinæ particulam auræ.

Vere apud *Avenzoarem Rabbi Moſes Abenmaimon in tractatu ſuo, quem Soldano miſit*, circa finem. *Et dico vobis, Domine Reverende, quod ſi quis regeret ſe eo modo, quo regit animal ſuum, quod equitat, evaderet à multis.* Et paulò poſt. *Quia bene ſcit quilibet, quod ſi inordinatè cibaretur, vel ſuperfluè, aut fatigaretur ultra debitum, & inordinatis horis, quod infirmaretur ſine dubio, quod non faciunt in ſe ipſis.* Sed hæc tot ſeculorum inveterato jam vitio, in vanum repetere ſuperſedeo: quod dudum gulæ portenta perſtrinxerint memorati aliique authores. Potius, quod hujus loci præcipuum erit, plerorumque eduliorum naturam, quale nutrimentum corpori præſtent, recenſere conabor: quo ſuis quisq; uſibus pro tempore & re ea adhibere ſciat.

Commendantur à medicis carnes perdicum ſaporis delicio ac ſucci bonitate, *Galeno l.3. alim.fac.c.19.* & *Rhaſe lib.3 aph.12.* Pariter *Martialis lib 3.Xen.62.* perdices in pretio apud Romanos fuiſſe ſcribit:

Ponitur Auſoniis perdix rariſſima menſis,
Hanc in lautorum mandere ſæpe ſoles.

Pullorum gallinaceorum itemque gallinarum præcipue altilium carnis bonitas laudata eſt ab authoribus: quò autem tenerior pullus cohortalis eſt, eo minus alimenri præſtat, teſte *C. Celſo lib.2.c.8.* & *Avicenna lib.1.f.3.doct.2.c.7.* Gallinas ſaginare *Deliaci* cœpere: quamvis antiquis cœnarum interdictis exceptum lege C.Fannii Coſ. undecim annis ante tertium Punicum bellum, ne quid volucrum poneretur, præter unam gallinam, quæ non eſſet altilis: quod deinde caput translatum per omnes leges ambulavit. Inventumque diverticulum eſt in fraude earum, gallinaceos quoque paſcendi lacte madidis cibis: multo ita gratiores approbantur referente *Plinio lib.10. nat.hiſt. cap.50.* Ut vero non ſolùm opimæ, ſed & teneræ gallinæ efficiantur, mulſea aqua farinam hordeaceam conſpergere, ac ſic farcire jubet *Columella l. 8. d. re ruſt. cap.12.* Hinc *Martialis l.13. Xen.59.*

Paſcitur & dulci facilis gallina farina,
Paſcitur & tenebris: ingenioſa gula eſt.

In

In minimæ enim lucis, anguſto & calido, loco paſcendas eſſe ſcribit *Columella lib. 8. cap. 7.* quod & de gallinis *Varro* tradit *lib. 3. d. re ruſt. cap. 9.* quod motus earum & lux pinguedini inimica ſint. Caponum caro ſucci ac ſaporis præſtantia gallos, gallinasq; ſuperat, cum Venere ovorumq; fœtura nondum exhauſta ſit. Hinc rurſus *Martialis lib. adducto Xen. 60.*

Ne nimis exhauſto macreſceret inguine gallus,
Amiſit teſtes.

Quamvis *Varro loco citato, Columella lib. 8. c. 2. Plinius l. 10. c. 21.* caſtrari ſcribant, non exciſis teſtibus, ſed ferro candente inuſtis calcaribus, cretaq; figulina oblitis. In Italia Capones vivos vino generoſiſſimo, Cretico ſcilicet, infuſo oppletos mox ſtrangulant, quod gratiam ſaporis inde accipere, carnemq; magis tenereſcere exiſtiment. Quo reſpexiſſe videtur *Horatius lib. 2. ſat. 4.*

Si veſpertinus ſubito te oppreſſerit hoſpes,
Ne gallina malum reſponſet dura palato,
Doctus eris vivam miſto merſare Falerno:
Hoc teneram faciet.

Phaſianorum caro, quod ad coctionem & nutrimentum attinet, gallinis eſt ſimilis, voluptate in edendo ſuperat, ex ſententia *Galeni loco allegato, Aetii ſerm. 2. cap. 128. Rhaſis lib. 3 aph. 13. Avicennæ lib. 4. ſumm. 1. tr. 1. d theriaca pag. m. 268.* qui gallum ſylveſtrem exiſtimat eſſe Phaſianum maſculum. Ab his bonitate longe recedunt galli gallinæq; *Afræ* ſeu *Numidicæ*, etſi; *Plinio lib. 10. nat. hiſtor. cap. 48. Varrone lib. 3. d. re ruſtica cap. 9. Horat. Epod. 2. Petronio in ſatyr. Martiale lib. 3. epigr. 58. & Xen. 42.* authoribus, à Romanis in pretio habitæ fuerint. An quod illo tempore non fuerint faciles, nec parabiles, ut ex *Petronio* jam retuli, ac raritate gratiam majoremq; cenſum mererentur. Ita quidem cenſeo: namque propter penuriam magno veniſſe *loco allegato Varro* tradit, dum, ut idem *Petronius in ſatyr.* ait:

Quicquid quæritur optimum videtur.

Pavonum etiam caro, etſi dura ſit ac fibroſa, atq; ad coquendum difficilis *Gal. lib. 3. alim. fac. cap 19. Aetio lib. 2. cap. 128. Avicennæ lib. 2. tract. 2. cap 125.* Romanis tamen iiſdem de cauſſis in maximo pretio habita, ut notum ex *Horatio lib. 2. ſat. 2.*

quia

Digitized by Google

quia veneat auro

Rara avis, & pictâ pandat ſpectacula caudâ.

Pavonem cibi gratia Romæ primus occidit *Hortenſius*, aditiali cœna ſacerdotii. Saginare primus inſtituit circa noviſſimum Piraticum bellum *M. Avidius Lurco*, ex eoque quæſtu reditus ſeſtertium ſexagena M. habuit, ut notant *Varro de re ruſt Plinius lib. 1. hiſt. nat. cap. 20.*

Attagen maximè *Jonius* celebratur, (quamvis *Varro in Satyra* περὶ ἐδεσμάτων *Attagenam Phrygiam* commendarit, referente *A. Gellio lib 7. noct. Atticar. c. 16.*) quondam exiſtimatus inter raras aves, ut conſtat ex *Plinio lib. 10 nat. hiſt. cap. 48. Horat. 2. epod. Galeno d. alim. fac. l. 3. cap. 19. Aetio l. 2. d. re med. c. 128* Et *Martiale lib 13. Xen. 58.* arbitro

Inter ſapores fertur alitum primus
Jonicarum guſtus Attagenarum.

Has Livonia ultimo autumno, ac primo vere copioſas nobis tranſmittit, frigore conglaciatis ac duratis adverſus putredinem corporibus: quamvis & in vicinia raræ capiantur. Carnis ſuavitate & ſucci bonitate perdicibus nil concedunt: ut *Attagenem* ſuaviſſimæ carnis in *Φοινικιοῖς*, triumphalibus epulis, coquendum *Ariſtophanes* cenſeat in *Ciconiis*: ex quo refert *Athenæus lib. 9. Deipnoſoph. p m 387.*

Decet & Tetraonas ſuus nitor, abſolutaq; nigritia, in ſuperciliis cocci rubor: gignunt eos alpes & ſeptentrionalis regio, authore *Plinio libro adducto cap. 22.* Ex *Suecia, Livonia, Boruſſia, Scandia* ſero autumno ac ineunte vere ad nos deferuntur, cæteroquin his locis ignoti: munificentia *Dn. Matthæi Roddii Senatoris, P. Ha[illegible]kii & Iſernhagii*, civium primariorum, mihi ſingulari amicitia conjunctiſſimorum aliorumq; totiens mihi dono dati. *Urogallus* hæc avis dicitur *Uliſſi Aldrovando lib. 13. Ornitholog. cap. 6. Noſtris* Uhrhahn à magnitudine, ita Uhrochs/ Uhralt Germanice dicimus *Gallus Phaſant bruant* à gravitate vocis, qua nemora late complet, ut notat *Scaliger*: *Athenæo* τέτραξ: quem & à voce gravi, palearibus utrinque ab auribus, velut in gallo, pendulis, carne ſtruthiocamelorum ſimili idem deſcribit, eumque grandiſſimo gallo grandiorem dicit. Urogallis fere ſimiles *Urogalli minores*, qui à betulis, in quibus degunt, Birckhüner dicuntur. Caro *Tetraonis* in magnatum deliciis præcipua habetur: ut *Paulus Jovius in deſcriptione Moſchoviæ* tetraonem

nem pulparum ſapore phaſianorum dignitatem ſuperare exiſtimet. Credo ob raritatem tanti *à Jovio* æſtimatam; cum alias caro durior ſit, atque Urogallis minoribus concoctu difficilior, quamvis conſimilis fere ſaporis. In utroque avium genere caro, quæ in pectore eſt, ut diverſi à reliqua coloris, ita ſaporis gratia magis approbatur. In aviaris *Tetraonas Plinius* ſaporem perdere volebat.

Anſeres & *anates* difficulter concoquuntur, & excrementitium ſuccum pro alimento præbent, ut docent *Hippocrates lib. 2. d. diæta. Galenus l. 3. alim. fac. c. 20. Ægineta lib. 1. cap. 8. Aetius lib. 2. cap. 131. Rhaſes 3. ad Manſ. cap. 10. Avicenna lib. 2. tract. 2. cap. 145. & lib. 1. fen. 2. doct. 2. cap 15.* Alæ tamen iiſdem teſtibus ſatis probum alimentum ſuggerunt, cum eodem *Avicenna* teſte *cap. 145. libro citato*, alæ avium groſſarum, magnarum, exercitantium, boni chymi eſſe dicantur; quæ ſententia à *Galeno* firmata *1. ad Glauc. cap. 9.* qui volatilium, etiam quæ duræ ſunt carnis, alas in tertiana exquiſita concedit. Eſt & anſeri vigil cura Capitolio teſtata defenſio, per id tempus canum ſilentio proditis rebus. Quamobrem cibaria anſerum cenſores in primis locant. Cauſſas præter hanc alias recenſet *Plutarchus in problem.* quem lector per otium adeat. Increbreſcente vero apud Romanos luxu, albus anſer anasque plebeium ſapiebant. Obſervare vero lectorem meum volo, anſeres anatesque à ſe ipſis nutrimenti bonitate differre, pro ætatis ratione, alimentorum qualitate, locorumque, in quibus degunt, differentiâ. Juniorum enim anſerum & anatum carnes laudatiores ſunt, quam illorum, qui jam defectâ ſunt ætate, aut noviter in lucem editi: horum enim nimis mucoſa & excrementitia caro eſt, ut illorum exucca, dura & nervoſa: quemadmodum etiam alimentorum, quibus veſcuntur, bonitas aut improbitas laudatū aut vitioſum ſuccum generat: quin ex locorum diverſitate, in quibus, ſeu paluſtribus atque uliginoſis, ſeu ſiccioribus & montanis vivunt, varium alimentum præbent, ingratum, concoctu contumax, excrementisque plenum, aut laudabile, & quod impuritate excrèmentorum maximè vacet. Quo & multum conferre videtur præparationis modus, ut pluribus docent *Galenus 3. d. alim. fac. Aetius lib. 2. d. re med. & P. Ægineta lib. 1. cap. 82.* Sapientiores Romani anſeres jecoris bonitate novere. *Fartilibus in magnam amplitudinem*

 creſcit

creſcit, exemptum quoq; lacte mulſo, augetur teſte *Plinio lib. X. hiſtor. nat. c.22*, Unde *Horat. lib.2. ſat.2.* laudabat

non ſine farre
Pinguibus & ficis paſtum jecur anſeris albi.

Et *Martialis*

Aſpice, quàm tumeat magno jecur Anſere majus:
Miratus dices: Hoc, rogo, crevit ubi?

Galenus jecur anſeris lacte imbutis alimentis paſti & ſapore jucundiſſimum eſſe, & dejectu minime difficile, probeque in ventriculo confici teſtatus *3. d. alim. fac. cap.21.* Et *Palladius lib. 1. de re ruſt. cap. 30.* caricis viginti diebus comeſis anſerum jepar teneреſcere prodidit: qui in farturâ anſerum eos calido ac tenebroſo loco paſci jubet, quod & facit *Columella lib.8. cap.14.*

Columbarum, juniorum puta, quæ volatu jam exercentur, (nam quæ volare non dum poſſunt, caliditatem & humiditatem ſuperfluam habent teſte *Avicenna*, quemadmodum à Galeno quæcunque animalia nuper nata in cibis damnantur *3. d. alim. fac.*) carnem facilis coctionis eſſe *Galenus eodem libro cap.19. Cornel. Celſus l.2. cap. 18. Aetius, Ægineta locis allegatis* ſcribunt: ſed calidum ac bilioſum nutrimentum præſtare in confeſſo eſt authoribus, *Avicennæ lib. 2. tract. 2. cap. 132. Rhaſi lib. 3. ad Manſ. cap. 10.* & *4. aph. 11.* ita ut, hujus ſententiâ, etiam febrem aliquando inducat, ac propterea cibis febricitantium à medicis ſit excluſa. Columbæ enim cum folliculo fellis careant, bilis toto corpore diffuſa carnem humoresque imbuit: qua de re animal hoc, ſecus quam vulgo exiſtimatur, ad iram maximè pronum & pugnax, ex mente *Ariſtotelis lib. 9. hiſtor. anim. cap. 7.* Hoc plenum querela guttur, ſæviq; roſtro ictus ſatis confirmant. Præſtantiſſimam tamen virtutem analepticam pullis columbarum ineſſe docuit *Rhaſes lib. 4. cap.11. Et dixerunt Philoſophi*, verba authoris ſunt, *quod in eis virtus eſt mirabilis, & preceperunt, quod hi qui parum habent ſanguinis, & quibus deficiunt virtutes & calor innatus, debent eos comedere.* Quod & *3. aph. 4. & ſeq.* adducto exemplo *Regis Albomet, Haly filii*, probat, cui, ex nimium profuſo ſanguine ſyncopen paſſo, quinque pullos columbarum in vino odorifero uſque ad carnis ab

oſſibus

oſſibus diſſolutionem coxit, atq; adjectis caryophyllis & cinamomo, jus colatum triginta dies obtulit Idem in ſimili caſu, pari effectu in *Rege Haamor Haly filio* ſe præſtitiſſe 3. *aph.* 15. memorat: cui etiam, *ſequenti aph.* & *Erriſideni Regi aph.* 6. apoſtemate calido prope cerebrum laborātibus, & ex vena largiter ſoluta animi deliquium paſſis, idem inſtaurans feliciter exhibuit. Hinc 3. *aph.* 4. & *ejuſdem libri ultimo* ſcribit. *Et ſcias, quod non poteſt confortari virtus ſenis, & convaleſcentium, & pauci ſanguinis, niſi per uſum columbarum, & turturum, & paſſerum cum vino odorifero. Valerianus cap.* 22. ut ex eodem refert Fabius Paulinus, morboſa & peſtilenti tempeſtate ſæviente, qui non alia, quam columbarum carne veſcatur, contagio ejuſmodi non contaminari notat: quare ſi peſtis unquam debacchari cœpiſſet, nihil aliud præter columbas in obſonium Regibus comparari ſolitum ſcribit. Pullos etiam columbarum ex proprietate dolori renum conferre, ſanguinemque corruptum colare *Rhaſes* author eſt 4. *aph.* 11. *Et hæ duæ res*, inquit, *ſunt mirabiles, & habent proprietatem ægritudinem capitis chronicam generandi, quare capita eorum, cum interficiuntur, auferri debent, ut eorum malitia reprimatur.*

Turturum carnis fere eadem bonitas eſt, quæ columbarum juniorum, ex ſententia *Rhaſis l.* 4. *aph.* 14. niſi quod concoctu difficilior ſit, ut & palumbi, authoribus *Gal.* 3. *alim. fac. cap.* 19. *Avicenna l.* 2. *tract.* 2. *cap.* 145. *Martialis Xen.* 64. Palumbum veneri adverſari, eoq; abſtinendos eſſe, monet, qui aphrodiſiis ſacris operari velint, quod

Inguina torquati tardent hebetentq; Palumbi:
Non edat hanc volucrem, qui cupit eſſe ſalax.

An quia Veneri hæc avis olim ſacra exiſtimata, quam dentibus violare piaculum Poeta cenſeret? Sed quænam *Martiali* relligio? An quia *Palumbi* caro ſicciſſima cum ſit, docente *Hippocrate lib.* 2. *d. vict. rat. pag.* 357. *l.* 39. minuſque nutrimenti inde ſuppetat, inde Venus crebrius inſtaurari nequeat?

Sturnorum caro omni carne avium levior invenitur, atq; his qui ſubtili volunt cuſtodiri regimine convenientior, ut vult Rhaſes lib. 3. *ad Manſ. cap.* 10. *Galenus lib.* 6. *ſanit. tuend. cap.* 11. Sturnos inter laudatiſſimæ carnis aves reponit. Carnem tamen duriorem habent, ventriculo in-

Digitized by Google

obœdientem, quæ etiam viroſum quendam ſpiret odorem, maximè cum cicutam de paſcuntur, teſte *Ulyſſe Aldrovando lib. 16. ornithol. cap.* 19. Inter viliores aves referuntur, & non niſi vindemiarum tempore ſaginati ſturni admittuntur à *Jul. Alex. lib. 13. ſalu. c. 8.* ſed & minores conceduntur, ætatis beneficio, ut *Aloyſius Mundella lib. 6. epiſt. med.* ſentit, atq; alimenti bonitate rum minus vitioſis.

Coturnicum caro ob eſum hellebori quibuſdam medicorum ſuſpecta eſt, refertq; *Galen. 6. epid. cap. 6 text. 35.* in *Doride, Bœotia* & *Theſſalia* omnibusq; finitimis regionibus multos ex eſu coturnicum muſculorum diſtentionibus correptos fuiſſe, quoniam veratro illæ veſcantur. Idem & Athenis quibuſdam accidiſſe narrat, qui coturnicibus ſe largiter impleverant. *Plinius lib. 10. nat. hiſt. cap. 23.* coturnicibus veneni ſemen gratiſſimum cibum eſſe dixit, quam ob cauſſam eas damnavere menſæ, ſimulque comitialem propter morbum, deſpui ſolitum: quem ſolæ animalium ſentiunt præter hominem. *Avicenna lib. 2. tract. 2 cap 137* non quia comedant helleborum, tantum coturnices in cibis damnat, ſed quia in ſubſtantia earum noxia iſta virtus ſit implantata. Innoxiè tamen coturnices comedi cottidie licet videre, nullo ſpaſmi incommodo: quod in his locis tanta hellebori copia non ſit, teſteturq; *Rhaſes loco proxime allegato. Poſt ſturnū, coturnicis carnem ſecundam in bonitate exiſtere, & præferri pullorum gallinarum carni, quod ſit melioris generativa ſanguinis, & ſpermatis augmentativa.*

Turdorum, merularum, parvorumq; paſſerum (inter quos ſunt, quos turricolas vocant) carnes etſi perdicibus, gallinis concoctu difficiliores ſint, laudati tamen eſſe ſucci exiſtimantur, & *lib. d. cib. bon. & mal. ſucc. cap. 3.* inter cibos attenuantes atque incraſſantes medii cum laudatiſſimis repoſiti. *Rhaſes ad Manſ. l. 3. cap. 10.* paſſeris calidiſſimam carnem eſſe, luxuriamque commovere voluit, qui *lib. 3. aph 4. & ult.* paſſeres ſpecifice confortare teſtatus. Turdis maxima gratia ſemper fuit, ut *Horatius, lib. 1. epiſt. ad Valam, prope finem*, nil melius turdo in cibis dari cenſuerit, Et judicio *Martialis lib. 13. Xen. 89. mattea prima,*

Inter aves, turdus.

Alauda, ficedula optimis inter aves cibis annumerandæ: quarum hæc

Digitized by Google

hæc in lautiſſimo *Trimalcionis* apud *Petronium* convivio ovo pavonis incluſa riſum movit, deliciasque ſapientibus commendavit. Namque teſte *Gellio lib. 19. cap. 8.* in tanta veterum luxuria, cum negarent avem ullam totam comeſſe oportere, ficedulam exceperunt. *Macrobius lib 2. ſaturn. cap. 9.* quo die *Lentulus flamen Martialis* inauguratus, *ficedulas* ante cœnam appoſitas narrat.

Σκαλώπας, *Ariſtoteli lib. 9 hiſt. anim. cap. 26.* & σκολόπαξ *eidem, libro allegato cap. 8.* à roſtro pali inſtar oblongo: σκόλοπα enim lignum longum, aut palum Græci appellant. *Plinio lib. 10. nat. hiſt. cap. 30.* & *Martiali Ruſticula* dicta, ac *ruſtica perdix*, Noſtratibus eine Schnepffe quę delicatiſſimi ſaporis ac ſucci ſaluberrimi, proximè ad bonitatem perdicum accedit. Unde *Martialis epigramm. lib. 13. Xen. 73.*

Ruſtica ſim, an perdix, quid refert, ſi ſapor idem eſt?
Carior eſt perdix, ſic ſapit illa magis.

De qua *Nemeſiani Olympii*, qui *Cari* Imperatoris temporibus Poeta claruit, verſus huc adducere placet:

Præda eſt facilis & amœna Scolopax,
Corpore non Paphiis avibus majore videbis.
Illa ſub aggeribus primis, qua proluit humor,
Paſcitur, exiguos ſectans obſonia vermes.
At non illa oculis, quibus eſt obtuſior, etſi
Sint nimium grandes; ſed acutis naribus inſtat:
Impreſſo in terram roſtri mucrone ſequaces
Vermiculos trahit, & vili dat præmia gulæ.

Gruum caro dura ac fibroſa eſt, ſimileq; nutrimentum præbet *Gal. 3. alim. fac. cap. 2. Æginetæ lib. 1. cap. 28. Aetio lib. 2. cap. 129. Rhaſi lib. 3. Manſ. cap 10. Varro* tamen *in ſatyra* περὶ ἐδεσμάτων *grues Melicas* laudavit, ut refert *A Gellius noct. Attic. lib. 7. cap. 16.* Conſimile gruibus alimentum Ciconia exhibet: quæ tamen apud nos non eſtur? Illi, referente *Plinio lib. 10. nat. hiſt. cap. 23.* honos ſerpentium exitio tantus, ut in Theſſalia capitale fuerit, occidiſſe, eademque legibus pœna, quæ in homicidam. Romæ, in portentoſa illorum temporum ingluvie, inter primas habita, ut eodem authore diſci poteſt. Et *Petronius in ſatyr.* de ea ſcitiſſime:

Luxurie victa Martis marcent mœnia
Ciconia etiam grata, peregrina; hoſpita,
Pietaticultrix, gracilipes, crotaliſtria,
Avis exul hyemis, titulus tepidi temporis,
Nequitiæ nidum in cacabo fecit meo.

Sunt, qui in hac ave remedium adverſus venena quærant, quod lacertis, ſerpentibus, rubetis victitet: quemadmodum in antidotum de ſanguinibus adverſus venena & malignos morbos ſanguis aliorum animalium receptus, ut conſtat ex *Gal lib. 2. d. antidotis*, Et *Plinio l. 25. hiſt. nat. c. 2.* ac *A. Gell. l. 17. c. 16.* teſtibus, *Mithridatis inventum autumant, ſanguinem anatum Ponticarum miſcere antidotis, quoniã veneno viverent.*

Illud memoria tenendum, quod *Galenus 3. alim. fac. cap. 19. Oribaſius l. 2. collect. cap. 42. Aetius lib. 2. cap. 128. Ægineta lib. 1. cap. 82.* tradidere. Volucrum omne genus, ſi quadrupedibus comparetur, paucioris nutrimenti eſſe, (præſertim ſi ad ſuillam conferatur) promptius tamen concoqui. Unde *C. Celſus l. 2. cap. 18.* in media materia ponebat àves à minimis ad Phœnicopterum Ex avibus etiam valentior ea, quæ pedibus, quam quæ volatu magis nititur: & ex his quæ volatu fidunt, firmiores ſunt, quæ grandiores aves, quam quæ minutæ ſunt, ut ficedula, turdus. Atq; eæ quoque, quæ in aqua degunt, leviorem cibum præſtant, quàm quæ natandi ſcientiam non habent.

Ex ovis præſtantiora phaſianorum & gallinarum habentur *Galeno 3. alim. fac. cap. 22.* & ex eo *Aetio l. 2. cap. 132. Æginetæ lib. 1. cap. 83. Rhaſi ad Manſ. l. 3. d re med. cap. 14.* qui *lib. 4. aph. 21.* gallinarum ova cæteris præfert, quæ cum gallis vivunt; quarum ova, ut & perdicis, promptos in Venerem reddere tradit. *Et dixit Azicon, quod ova gallinarum virtutem augmentant, & maximè in virtute coeundi, humectant, & hecticis conferunt, & ſanis hominibus.* Anſerum ova (par judicium eſto de anatum ovis, etiam ab *Avicenna lib. 2 tract. 2. cap. 527.* damnatis) iiſdem àuthoribus improbantur, aliarum volucrum ovis ab *Avicenna de vir. cord. tr 2.* laudatis, quæ volatilium ſunt laudabilis carnis. *Hippocrates l. 2. d. vict. rat.* ova validum quid, & nutriens, & inflans habere docuit: validum quidem, quoniam animalis generationem continent: nutriens vero, quod hoc in pullo lactis rationem habeat: inflans autem, quia ex parva mole in multam diffundatur.

Ex

Digitized by Google

Ex his nuper edita commendatam ab authoribus bonitatem obtinent, ut conſtat ex *Gal. 3. d. alim. fac. cap. 22.* & *lib. d. ſucc. bon. & vit. cap. 4.* namque vetuſtate facile corrumpuntur. Præparationis quoque diverſitas alimenti hujus naturam variat. Sorbilia ova facilime concoquuntur, minus tremulis nutriunt, nec ita firmum alimentum præbent, veſicæ ſcabritiem ac faucium aſperitatem ſanant, iis offerenda, qui cita refectione virium opus habent. Tremula, i. e. nec tenuia nec craſſa nimis, ad nutriendum præſtantiſſima habentur: quæ, ut & ſorbilia, pro exemplis ſubtilis & multi nutrimenti propoſita ab *Avicenna lib. 1. fen. 2. doct. 2. cap. 15.* Elixa ova & difficilius concoquuntur, & tarde meant, alimento tamen firmo corpus ſuſtinent, juxta C. *Celſum lib. 2. de re med. cap. 1.* & ab *Avicenna loco proximo* pro exemplo multi ac boni nutrimenti adducta. Illis pejora, quæ in calidis cineribus aſſantur: præſertim vero ταγηνιστά, ἀπὸ τῶν ταγήνων, dicta, ſeu in ſartagine frixa, peſſimum alimentum præbent: nam dum coquuntur, in nidorem vertuntur, & non ſolum craſſum ſuccum, verum etiam pravum & excrementitium, gignunt. Ova πνικτά, ſeu ſuffocata, ut ea deſcribunt *Galenus, Aetius, Ægineta* locis citatis, ſi cruda immergantur in aquam calidam, cum garo vino & oleo & in vaſe mediocriter coagulentur, & facilis coctionis, & boni ſucci habentur, elixis aſſiſque meliora, ſi mediocrem conſiſtentiam habeant. Huc ſpectat illud *Martialis lib 13. Xen. 37.*

Candida ſi croceos circumfluit unde vitellos,
Heſperius ſcombri temperet ova liquor.

Ejuſdem facultatis cenſentur eſſe, quæ caldariis aqua fervente plenis infunduntur, quæ mox exempta adjecto butyro, paucoq; ſale zingibere, mace aut cinamomo conſperſa comeduntur. In ovis etiam ſingularis delectus quibuſdam habetur, qui oblonga rotundis anteponunt. Sic *Horatius lib. 2. ſerm. ſat. 4.*

Longa quibus facies ovis erit, illa memento
Ut ſucci melioris, & ut magis alba rotundis
Ponere: namq; marem cohibent calloſa vitellum.

Vitellus ovorum albumini merito præponitur à *Galeno ad Glauc. l. 1. cap. 9. Avicenna l. 2. tract. 2. cap 527. Rhaſe lib. 3. d. re med. cap. 14.* quod hoc frigidum viſcoſumq; ſit, difficulter digeratur, ſanguiſque

ex eo

Digitized by Google

ex eo generatus malus ſit: contra vitellus bene nutriat, & pro exemplo ſubtilis ac multi nutrimenti ab *Avicenna lib. 1. f. 2. doct. 2. c. 15.* allegatus: qui *tract. d. vir. cord. litt O.* ad vires cordis reſtaurandas in diſſolutione ſpiritus, & diminutione materiæ ipſius, ſanguinis ſcilicet cordialis vitellos commendavit: quod velociter in ſanguinem tranſmutentur, parum ſuperfluitatis poſt coctionem relinquant, ſanguinemque generent, conformem ſanguini, quo cor nutritur, ſubtilem ſcilicet ac clarum. Vitellus quoq; iisdem teſtibus, aut temperiem in primis qualitatis moderatam obtinet, aut modicè calidus eſt, ut ſentit *Avicenna l. 2. tract. 2. cap. 527.* Quamvis autem hic autor *lib. 3. f. 1. tract. 2. cap. 24.* in curatione ſodæ ex ebrietate ovorum vitellos inter cibos refrigerantes proponat, & *Galenus* in conſimili caſu *lib. 2. med. loc. cap. 1. §. Quæ Apollonius &c.* eoſdem inter alia refrigerantia recenſeat, ac *1. ad Glauc. cap. 9.* in tertiana exquiſita pro cibo admittat, *Ariſtoteles quoq; l. 3. gener. animal. cap. 1.* albumen ovi calidum, vitellum frigidum ſtatuat: notandum tamen, eos à *Galeno* non refrigerationis gratia relatis locis proponi; ſed quod boni ſucci ſint, (quales manifeſto *libro d. med. local. comp. Galenus* exigit,) ac propterea vini reſtibilem calorem & ſiccitatem temperare, atq; humectare poſſint: qui cum in imbecillo ex ebrietate ventriculo facile digerantur, levioreſque cibos, ut eos appellat *C. Celſus. l. 2. c. 18.* in tertianis *Galenus* laudet, vitellorum ovi, ut præcipui cibi, meminiſſe voluit: cum *dicto ad Glauconem loco* præter hos, etiam alii cibi, qui temperati ſunt, ut carnes teneræ avium, aut alæ earum, quæ tales non ſunt, item teſticuli gallorum, permittantur. *Avicenna* vero ut plurima alia ex *Galeno* commodato accepit; ita & heic multa ex *libro d. compoſ. med. loc.* imitari in curatione hujus affectus voluit, qui propterea ad mentem *Galeni*, ſuamque propriam, alibi expreſſam, merito explicari debet: qui etiam *tract. 2. d. vir. cord. litt. O.* vitellos ex ovis volatilium laudabilis carnis temperatæ complexionis eſſe profeſſus. Niſi quis ad refrigerationem, humectationem ac ſubtiliationem vitellos ovorum in curatione ſodæ admittere *Avicennam* voluiſſe dicat: quarum qualitatum hæ ut manifeſtæ, nulliq; controverſæ, ac maximè in tali caſu profuturæ; ita illa quodammodo introducetur, quod vitelli calorem ventriculi ex vino humectâ qualitate

litate moderataque temperie aut ſuavi calore pariter temperare poſſint, quemadmodum aquæ ferventis æſtus tepida affuſa aliquantum remittere, & nimia *aloes* ſiccitas, remixto copioſo *ſucco roſarum*, naturâ licet ſiccandi facultate prædito, in *aloe roſata* aliquantum emendari ſolet. Ariſtoteles facile conciliatur, quod is non de vitelli aut albuminis ovi temperamenti qualitate, ſed caloris innati (in quo ἡ ἀρχὴ ψυχικὴ, principium, vitale conſiſtit,) copiâ loquatur, quæ major eſt in albumine, ut vitæ membrorumq; principio: quo etiam tota ſummi Philoſophi diſputatio collimat, ut ex albo ovi membra animalium generari, ex luteo nutrimentum præſtari demonſtret.

Ex quadrupedum carnibus bubula difficulter concoquitur, craſſum validumque alimentum corpori ſufficit, ſententia *Hippocratis lib.2. de vict. rat.* & *C. Celſi lib. 2. cap. 18.* atque ob ſucci craſſitiem ab *authore lib. 4. diæt. acut. text. 98. Galeno 3. d. alim. fac. cap. 2.* & ex hoc *Aetio l. 2. cap. 119. Paulo Ægin. lib. 1. cap 84. Avicenna lib. 2. tr 2. cap. 144.* in morbis melancholicis, obſtructione, cachexiâ & hydrope improbatur. Quod de annoſis bubus, qui laboribus confecti & macra carne exucci ſunt, intelligendum cenſeo. Qui enim heic, ætatis trium aut quatuor annorum, ampliſſimis paſcuis in Cherſoneſo Cimbrica probe paſti, nec trahendis plauſtris aliisve laboribus attriti, autumno præcipuè mactantur, illis viis carere, ſolidumq; ac laudatum nutrimentum præſtare videntur: nam paſtus ubertas, & ætas adoleſcentior, (quod in omnibus aliis animalibus naturâ ſiccioribus accidit, docente *Galeno loco citato*,) carnes bubulas præſtantiores efficit, quæ naturâ ſicciores exiſtimantur. Hinc vitulina caro, à *Galeno, eodem loco*, & *lib. d. ſucc. bon. & vit. cap. 4.* laudata, inter delicatiſſimos cibos ſuo merito reponitur; non quæ ab ortu fere madida adhuc, aut paucorum dierum decurſu, ac jejune ſatis alta, mactatur: illa enim, ut nimio madore mucoſa, rejicitur; ſed quæ copioſiſſima ſimila, lacte mero, ad ſaturitatem duos aut tres menſes ſuffarta ſit. Carnes bubulæ, quemadmodum & vervecum ſale conditæ, & fumo paſſæ, per totum annum, & quod excurrit, ſervantur incorruptæ, noſtris hominibus ut cibo acceptiſſimæ, ita inprimis noxiæ: quod fere omnis alimentalis ſuccus talibus conditturis abſumatur, carneſque concoctu fiant contumaces, ac craſſum

 alimen-

Bubula Carn. Vitulina Vervecina

alimentum præbeant, quod anguſtias venarum mire impediat, ni vegeto calore & improbo labore congeſtus ſuccus attenuetur. Hinc morbi in his locis tam pertinaces plerumque, & fere invicti medicorum conatus eludunt, perverſo ejuſmodi vivendi genere, cæterisq; aeris, aquarum, ac terra natorum vitiis, eò ſimul conſpirantibus, introducti. Si tamen carnes bubulæ ac vervecinæ lautiſſimæ, modico ſale conſperſæ, paucos dies ſalſuginem bibant, aut modicè infumentur, utroque modo & guſtui gratæ erunt, nec alimenti bonitatem deperdent: penetrante enim ſalis fumique acrimonia tenereſcent; ſed &, ſi quod ſuperfluum humoris adeſt, abſumetur: ut noverim Apicios quoſdem carnem vituli lautiſſimam, pauco ſale delibutam, hinc fumo leviter paſſam, inter præcipua ſcitamenta in cœnis appoſuiſſe.

Caro ſuilla & bubula levior, judicio *C. Celſi l. 2 re med. cap. 18.* & *Hipp. de affect. p. m. 528.* atq; alimento præſtantiſſima eſt, valideq; nutrit, ut etiam ſimilitudinem cum carne humana habere videatur: hinc quidam carnes humanas pro ſuillis, ſine ulla in guſtu, vel olfactu, ſuſpicione comedère, ut referunt *Galenus 3. alim. fac. cap. 2.* & *de ſucc. bon. & vit. cap. 6. Æginetá lib 1. cap. 84. Aetius lib. 2 cap 119.* Quare ad corporis bonam habitudinem & robur laborantibus & exercitatis conveniunt, docente *Hippocrate loco adducto.* Cujus rei athletæ, aliique, qui validis laboribus exercentur, indicium præbent. Si enim paribus exercitationibus, parem molem alterius cibi una die comederint, poſtero die ſtatim ſentient ſe redditos imbecilliores. Quod ſi pluribus deinceps diebus id fecerint, non imbecilliores modo; ſed alimenti quoque penuria macilentiores palam conſpicientur, ut obſervavit *Galenus loco allegato.* Imbecillis tamen privatis valentiores ſunt carnes ſuillæ, quàm ut concoqui poſſint, ut docuit *Hippocrates*: *quod imbecillis hominibus rebus infirmiſſimis opus ſit, mediocriter infirmos media materia optimè ſuſtineat, & robuſtu apta validiſſima ſit*, ex mente *C. Celſi loco citato.* Privati autem, qui laboribus non atteruntur, ut paucioribus nutrimentis egent, ita difficilius ſuillam concoquunt, quod viſcoſum ſit carnis ſuillæ alimentum, cenſente *Galeno loco d. alimentis allegato & d. ſucc. bon. & vit. cap. 2.* nec facile in membra diſtribuatur, ut vult *P. Æginetá loco allegato.* Hinc ſale

ſale & fumo modice durata, & quæ unius anni ſit, lentorem iſtum amittit, ſapore grata, nec alimento nocitura. Sal enim corporum, quibus admovetur, ſuperfluos humores attenuat, digerit ac præterea ipſa corpora cogit in ſe & condenſat juxta *Galenum 3. alim. fac. cap. 41.* Quo loco & carnes ſuillas ad ſalliendum maxime idoneas eſſe teſtatur. Sed & fumo moderato, volatili lignorum ſale caloris vi ſublimato, humiditas carnis nimia abſumitur, ipſaque caro magis tenereſcit & concoquitur, ut citra ulteriorem coctionem eſui apta reddatur. Quo flecto *Martialis Xen. 52. de petaſone* diſtichon

Muſteus eſt propera, caros nec differ amicos:
Nam mihi cum vetulo ſit petaſone nihil.

Extat apud Sympoſium elegans de pernâ epigramma, quod in gratiam lectoris heic apponere lubet.

Nobile duco genus magni de gente Catonis:
Una mihi ſoror eſt; etſi tres eſſe putentur:
De fumo facies mihi, de ſale guſtus adhæſit.

Caro autem ſuilla alimento variat, ut varie paſtû hoc animal fuerit; ſed & ætatis diſcrimen, ut in aliis animalibus, alimenti bonitatem variat: nam antiqui porci caro dura & exucca *Oribaſio l. 2. coll. cap. 28.* difficilima concoctu, ut ſuccus inde genitus atra bile ſanguinem inquinet, teſte *Galeno 4. d. vict. acut. text. 102.* *Porcelli ſubrumes* damnantur *eodem loco & lib. d. ſucc. bon. & vit. cap. 4* quod nimio madore eorum carnes luxurient. Romani tamen pretium porcelli lactentis poſuere. *Cælius Apicius Porcellum* lacte paſtum maxime laudat, variaque ejus condimenta proponit *lib. 8. culinar. cap. 7.* Unde *Martialis Xen. 38.*

Lacte mero paſtum pigræ mihi matris alumnum
Ponat, & Ætolo de ſue dives edat.

Aſſus namque *Porcellus* & aromatibus conſperſus aliquo modo deponet nimiam humiditatem, nec pinguedine ſua ventriculi robur laxabit, ut his, qui corpore ſqualidi atque exucci ſunt, utile ac conveniens alimentum exiſtimem. Aſſi porcelli meminit *Epicrates* in *Mercatore*, ut notum ex *Athenæo lib. 14. Deipnoſoph. p. m. 655.*

Sed ad ſues mediæ ætatis redeo. Neq; enim alio ex animali numeroſior ganeæ materia: quinquaginta prope ſapores, cû cæteris ſinguli. Huic ne caro viventi putreſceret, *animā pro ſale datam Chryſippus*

lepidè dixerat, ut ſupra ex *Cicerone lib. 2. de nat. Deorum. Varrone lib. 2. d. re ruſt. cap 2. Plinio lib. 8. cap. 57.* aſſerui. *Hinc etiam cenſoriariarum legum paginæ, interdictaq; cœnis abdomina, glandia, teſticuli, vulvæ, ſyncipita verrina: ut tamen Publii mimorum Poetæ cœnas poſtquam ſervitutem exuerat, nulla memoretur ſine abdomine, etiam vocabulo ſuminis ab eo impoſito. Quod optimum erat occiſæ uno die poſt partum, ſi modo fœturam non hauſiſſet,* ut idem retulit *lib. 11. hiſt. nat. cap. 37.* Antiqui abdomen vocabant, priuſquam calleret id ſcientes, occidere non aſſueti. Omnibus enim glandulis commune eſt, ut ſuaves in cibo ac friabiles appareant: mammillares vero, dum lac habent, de ipſius dulcedine quidpiam præ ſe ferunt. Quapropter hæ glandulæ cum lacte ſunt plenæ, ſummopere à guloſis olim expetitæ, præcipue ſuillæ, ut conſtat ex *Galen. alim. fac. cap. 6. & de ſucc. bonit. & vitio cap. 40. Oribaſ. l. 2. collect. cap. 32. P. Ægineta l. 1. cap. 85. Avicenna l. 2. tract. 2. cap. 145.* Hinc *Plautus in Pſeudolo Act. 1. Sc. 2. v. 33.*

Nam mihi hodie natalis dies eſt, decet eum omnes concelebrare.
Pernam, callum, glandium, ſumen, facito in aqua jaceant, ſatis audin?
Magnifice enim volo ſummos viros accipere.

Et *Martialis lib. 13. Xen. 41.*

Eſſe potes nudum ſumen, ſic ubere largo
Effluit; & vivo lacte papilla tumet.

Adhibetur & ars jecori fœminarum, ſicut anſerum, inventum M. Apicii, fico carica ſaginatis ac ſatie necatis, repente mulſi potu dato, authore *Plinio lib. 8. hiſtor. nat. cap. 51.* Sed & *Galenus lib. 3. alim. fac. cap. 12. & Oribaſius lib. dicto Collect. cap. 396.* συκωτὸν ſeu ficatum inprimis laudàrunt: quod hujus animalis viſcera aliorum animalium viſceribus natura multo ſint ſuaviora: evadant tamen ſeipſis meliora: cum animal ipſum caricas affatim comederit. De quo *Apicio*, nepotum ſumme prodigo, litteris proditum; quod poſtquam prodigioſæ gulæ ſuæ illecebris in tantum patria abligurierat bona, ut ex mille magnis ſeſtertiis reſtaret centies ſeſtertiûm, i. e. ducenta quinquaginta millia coronatorum, ut cenſent *Budæus lib. 2. d. aſſ. Lipſius lib. 4. d. magn. urb. Rom cap. 7.* ratus defuturos poſthac profundæ ſuæ ingluviei ſumptus, veneno ſe interfecerit, teſte *Seneca epiſt. 61.* & *Martiale de morte Apicii l. 3. epigr. 22.* qui eum bis trecenties ſeſtertiûm ventri dediſſe autumat.

Pari-

Pariter & vulva in triclinium ganearium apud Romanos venit: unde *Horatius*:

Turdo quid melius vulvâ? nil pulchrius amplâ.

Et *Plinius lib. 11. nat. hiſt. cap. 37.* Vulva ejecto partu melior, quam edito. Ejectitia vocatur illa; hæc porcaria, primiparæ ſuis optima, contra effœtis. A partu, præterquam eadem die ſuis occiſæ, livida ac macra. Nec novellarum ſuum, præterquam primipararum, probatur, potiusque veterum; dum effœtarum, nec biduo ante partum, aut poſt partum: aut quo ejecerint die. Proxima ejectitiæ eſt, occiſæ uno die poſt partum. Sed & virginis porcæ vulvam in muria coctam, & laſere Cyrenaico; pipere, menthæ ſiccæ foliis conditam addito liquamine, melle & aceti modico commendavit *Apicius lib. 7. cap. 1.* Quo referendos cenſeo verſus *Martialis l. 13. Xen. 52.*

Te fortaſſe magis capiat de virgine porca,
Me materna gravi de ſue vulva capit.

Aprugna caro pleno alimento corpus ſuſtinet, quemadmodum ex feris, quo majus quodq; animal: ſuilla tamen levior eſt, ut docet *Avicenna l. 2. tr. 2. cap. 145.* namque omne ferum animal domeſtico levius eſt, ut arbitratur *Corn. Celſ. l. 2. cap. 18.* & ſiccius, ut docet *Hippocrates lib. 2. d. vict. rat. pag. m. 358* Romæ in profunda illa luxurie familiare admodum fuit, aprum ſolidum in conviviis apponere; inventum *P. Servilii Rulli*, patris ejus *Rulli*, qui *Ciceronis Conſulatu* legem agrariam promulgavit, ut ſcribit *Plinius lib. 8. hiſt. nat. cap. 51.* Quo reſpexit *Juvenalis ſat. 1.*

Quanta eſt gula! quæ ſibi totos
Ponit apros animal propter convivia natum,

Et ne credas procellos fuiſſe, milliarios apros eos nominat *Seneca Ep. 110.* mille pendentes libras: quos pomis varioque obſoniorum genere infartos & circumvallatos appoſitos fuiſſe memorant *Seneca d. providentia c. 3: Horatius in cœna Naſidieni & Macrobius lib. 2. Saturnal. cap. 9.* qui ex Cincio porcos Trojanos menſis appoſitos refert, quos ſic Romani appellavere, quaſi aliis incluſis animalibus gravidos, ut ille Trojanus equus gravidus armatis fuit. De qua re pluribus *Reverendus & Clariſſimus Vir, Dn. Jacobus Stolterfothus* Theologus, Philologus & Polyhiſtor eximius, ad renaſcentis Enthuſiaſmi delira-

menta refellenda ſingulari Eccleſiæ bono natus, in eruditiſſimis ſuis commentariis in *3. cap. Senecæ de providentia.* Partus cæſarei feræ ſuis, quæ telo trajecta ex vulnere peperit, memorabile exemplum vide apud *Martialem d. ſpectaculis 14.15. & 16. epigrammate*: cujus elegantiſſimos verſus huc transferre ſuperſedeo. Qui plura de porcis ex antiquitate ſcire deſiderat, conſulat *Ulyſſem Aldrovandum lib. 1. de quadruped. biſulc cap.36.* ampliſſime ac ſcitiſſime de his differentem.

Agnina caro & humida nimis eſt, & excrementitia, ut hædina illi à medicis præferatur, authore *Galeno de ſucc. bon. & vit. cap. 4.* contra quam vulgus exiſtimat: quod hoc animal natura ſiccius ſit; unde in ætate adoleſcente, ſi modo bene paſtum fuerit, moderatam temperiem acquirit, ut de animalibus ſiccioribus tradidit *Galenus 3. alim. fac. cap.1.* ſed & hædina caro laudata ab *Avicenna l.2. tr.2. cap. 145. Rhaſe ad Manſ. l. 2. cap.9. & 4. aph.6.* Caro tamen agni, plurium ſeptimanarum, uberrimo lacte ad ſaturitatem alti, guſtui gratiſſima eſt, ac inter delicatiores cibos reponitur; aſſa præſertim; quod nimia humiditas tum illi cibo depereat. Ovium caro excrementitia eſt, ac pravi ſucci, ut & caprarum: quæ κακόχυμος eſt, ut volunt *Avicenna loco allegato P. Ægineta lib.1. cap.84.* & acrimoniam adjunctam habet, ſententia *Galeni 3. alim fac.1. Oribaſ. lib.2. collect. cap.28.* flatus choleramque parit, ut conſtat ex *4. vict. acut. comm 100.* Hircinæ, arietinæ, taurinæ rejiciuntur: quorum tamen animalium caſtratorum carnes non caſtratis præſtantiores ſunt, ut iiſdem locis memorati authores profitentur. Ipſi enim teſtes præcipuum ſeminis conficiendi organum, ut ex ſemine maximum univerſo corpori robur adſpirant; ita & ſeminis viroſum odorem ac ſaporem carnibus ſuffundunt: quamobrem etiam emaſculata animalia robur vigoremque corporis amittunt: & cum illa parte, qua mares ſunt, exſecta, crebra venere laudatiſſimo ſanguine non ſint exhauſta, pinguedinis & ſaporis jucunditate non caſtrata longo intervallo poſt ſe relinquunt, ut pluribus docuit *Galenus lib.1. de ſemine cap.1.* Hinc teſtes (idem de renibus eſto judicium, quos non ſolum ſero tranſcolando, ſed & rei veneriæ fabricatos argumentis ſolidis, & ex veterum recentiorumque authorum teſtimoniis ac S.S. ſcripturæ monumentis clariſſime demonſtravit *Celeberrimus Vir D. D. Joh. Henricus Mei-*

hominis in pathiciſsimo ſuo ad Chriſtianum Caſium, IRum, & Conſiliarum Holſatum, communem ac magnum utriusq; noſtrum amicum, *libello, de flagrorum in re Veneria uſu*,) guſtu inſuaves, concoctu difficiles, & vitioſum generant alimentum *Galeno 3. alim. fac. cap. 7. Ægineta lib. citato cap. 85.* ut ſoli gallorum teſtes, ſi ſaginati fuerint, ab his authoribus fuerint appretiati, & propterea in terriana exquiſita *1. ad Glauc. cap. 9.* in capitis dolore ex ebrietate, debili ob iſtam cauſſam ventriculo, inter cibos maxime innoxios ab *Avicenna l. 3. fen. 1. tract. 2. cap. 24.* admiſſi, & ab eodem *l. 1. f. 4. doct. 5. cap. 1. & lib. 2. tract. 2. cap. 29.* ac *Palladio Sophiſta in 6 epid. ſ 5. comm. 18.* pro exemplo validi ac bene nutrientis alimenti allegati. Novi tamen quibuſdam monachis Italis nimis placuiſſe arietinos teſtes: quos decoctos, & per medium diſſectos, vino & butyro frixos, pipereque ac zingibere conſperſos avidiſſimè epulabantur: credo, quo pervigilium noctu commodius præſtare, ſummove mane, prurientis alimenti ſtimulis exciti, ſacris *Bonæ Deæ* alacres operari ſancti homines poſſent.

Lepus Iſidoro lib. 12. Orig. & aliis quaſi *levipes* dicitur, quia velociter currit. At *Varroni*, cujus authoritati potius ſtandum, *lepus antiquum verbum Græcum eſt*, apud *A. Gellium lib. 1. noct. Attic. cap. 18.* Hic comeſus ſanguinem quidem gignit craſſiorem, ſed melioris ſucci, quàm bubula *Galeni* teſtimonio *lib. citato d. alim. fac. cap. 1.* & ex eo *Oribaſii 2. collect. cap. 28. Æginetæ libro relato cap. 84* Imo *Leporina caro* plus aliis melancholiæ geneneràtiva exiſtit, authore *Rhaſe lib. 3. cap 3.* Juniorum tamen leporum, qui nondum penitus adolevere, caro delicatiſſimæ cuique ferinæ comparanda, ob ſaporis ſuavitatem. Quin & ipſe *Galenus 3. alim. fac. cap. 8.* ſanguinem leporum ſuaviſſimum eſſe dixit: unde joculari & vulgato apud *Plinium* ſermoni *lib. 28. hiſt. nat. cap. 19* eſu leporum pulchriores reddi comedentes, in tanta vulgi Romani perſuaſione cauſſam *Languens in epiſtolis* anquirit. Quo ſpectat *Gelliæ* iſtud apud *Martialem lib. 5. epigramm. 29.*

Si quando leporem mittis mihi, Gellia dicis,
Formoſus ſeptem, Marce, diebus eris.
Si non derides, ſi verum, lux mea, narras,
Edisti nunquam Gellia tu leporem.

Fuit certe, eodem authore teſte *Xen. 89.* inter quadrupedes mactea prima

prima lepus: cujus armos ſapientiores Romanos expetiviſſe, notum ex *Horatio lib.2. ſerm. ſat.8.*

Et leporum avulſos, ut multo ſuavius, armos;
Quàm ſi cum lumbis quis edat.

Item *lib. eodem ſat. 4.*

Fœcundi leporis ſapiens ſectabitur armos:

Fœcundum merito Poeta leporem dixit, omnium prædæ natum, benigna circa hoc natura, quæ eſculenta animalia fœcunda generavit: namque ſolus præter Daſipodem ſuperfœtat, aliud educans, aliud in utero pilis veſtitum, aliud implume, aliud inchoatum gerens pariter, ut notarunt *Xenophon. lib. de venatione. Herodotus lib. 3. Athenæus lib.9. deipnoſoph. p. m. 400. Ariſtoteles 4. gener. anim. cap. 5. & 6. hiſt. anim. cap. 33. Plinius lib. 8. hiſt. nat. cap. 55. Ælianus lib. 2. de anim. cap. 12. Oppianus lib. 3.* Κυνηγετικῶν in fine: qui & in ipſo partu Venerem ſalaciſſimum animal admittere ſcribit. *Geſnerus in hiſt. anim. cap. de lepore.* Imo utramque veneris vim ſingulis leporibus ineſſe, ac ſine mare æque gignere prodidit *Plinius loco allegato*, item *Ælianus lib. 13. d. animal. cap. 12.*

Cervina caro concoctu contumax, craſſum & melancholicum ſanguinem generat, docente *Galeno lib. alim. fac. cap. & Rhaſe lib. 3. cap. 4.* tota quanta exucca eſt fere, excepto tergore: quod inter aſſandum butyro continuò inebrietatum, aliiſque condimentis ſaturatum ſuam habet gratiam. Sed quæ dicti aliique authores de carne cervi tradidere, de annoſis cervis intelligenda, quorum caro in exprobationem medicis venit: nam qui ſunt ætatis duorum, trium, quatuorve annorum, quales in his locis plerique capiuntur, probabilem guſtum habent, magnatum menſis expetiti, nec ſucci bonitate improbantur: imo, cum totum animal fere alexiterium ſit, populari jam lue, frequẽter eſitatam carnem vim ſuã corporibus communicare arbitrandum. Sic & capreolorum caro pretioſi ſaporis eſt ſucci laudati, faciliſque digeſtionis, ac virtute ſua alexipharmaca præſervandis corporibus commendata. Ex cornibus novellis cervorum in aulis principum ac magnatum fercula parari, adverſus venena efficaciſſima, *Bryer. Geſner. Jul. Alexand. & Uliſſ. Aldrovandus* memoriæ prodiderunt.

In

In piſcibus magna obſervatur differentia, magnumq; eorum diſcrimen eſt, pro alimentorum, anni temporis, ætatis, membrorum, generum diverſitate. Pelagici enim piſces, qui in alto mari degunt, quod fluctuum verbere crebrius exerceantur, præ aliis commendantur, *Leviorq; eſt piſcis, teſte C. Celſo l.2. de re med. cap.18. Ægineta lib.1. cap.90. qui in alto, quàm qui in vado vixit.* Contra vero *Ariſtoteles hiſt. anim. l. 8. cap.13.* ſtatuit, pelagicis littorales piſces præſtare, quippe qui cibo copioſo melioreque fruantur. Qua enim Soli ingruit, plura exeunt, ut patet in herbis :- Tum etiam ex calido & frigido temperata ſunt loca maris terrena. Quo fit, ut caro eorum piſcium magis conſtet, pelagiorum mollis humida & ſoluta ſit. Cæterum ea in re obſervari velim, nec pelagicos littoralibus, nec hos iſtis abſolutè præferri poſſe: quod præter locorum conſtitutionnm, etiam alia conſideranda ſint, quæ ad perfectam bonitatem piſcium attinere videntur. Præterea nec piſces temperata loca, qualia littorum eſſe perhibentur, perpetuùm amant: alii enim frigidis, ut longi pleriq;, & maxima pars aliorum oblectantur, alii tepidis gaudent, ut lati ferè, & *Thunni:* quorum hi arenam & littora adeunt, quo teporis potiantur, ut refert *Ariſtoteles libro eodem, cap.19.* hyeme vero prealtis latent gurgitibus, ut *idem cap.15.* memorat: quo loco etiam cruſtata, piſces ſaxatiles, rajas, omneque cartilagineum genus diebus frigidiſſimis occultari; quoſdam vero, *glaucum* ſcilicet, æſtate latere prodidit: ita ſinguli adverſus tempeſtatum aeris exceſſus, naturæ ſuæ contrarios, præſidium quærunt. *Ariſtoteles quoque libro memorato cap.19.* fatetur, quæq; genera piſcium ſibi habere loca pro ſua natura ſua ad incolumitatem commodiora. Quod enim littorale aut pelagium eſt, huic, ſuo loco, pro naturæ deſiderio, verſari, commodius eſt, quod autem ambigit, id commode utroque degere poteſt. Quemadmodum illud explicatius docuit *libro eodem cap. 28.* Medici igitur, dum pelagios extollunt, ſanitati conſuluiſſe videntur: quod hi validiſſimo fluctuum ventorumque motu exerciti, ac quærendis alimentis longe lateque provecti, carnem teneriorem, minusque viſcoſam atque excrementitiam habeant. *Ariſtoteles* vero guſtus rationem præcipuè habuiſſe videri poteſt, illos optimos ratus, qui pingues eſſent, ac copioſis alimentis uterentur; quod tales ſaporis jucunditate oblectare poſſint. Qua de re commodiora

 loca

Digitized by Google

loca illa eſſe profeſſus, quæ algarum copia ſcatent: quod iidem piſces pinguiores his locis capiantur, quam qui multis & variis locis ſolent pabulari. Nam & quibus alga in cibo eſt, abunde paſcuntur, & quibus caro appetitur, plures piſces ſibi reperiunt, ut docet *cap. 19. lib. allegati*. Piſces etiam littorales, cum ob uberrimi paſtus copiam longe lateq; vagari opus non habeant, minusq; propterea exerceantur, longâ quiete facilius pingueſcunt: quod vel *Thunnorum* exemplo nobis conſtare poteſt; qui, dum hyeme prææltis latent gurgitibus, pingueſcunt à latibulo majorem in modum: quos etiam tempore ſeceſſus ſuaviſſimos eſſe *dictus author* teſtatus *cap. 15.*

Levior quoque piſcis inter ſaxa editus, quam in arena, levior in arena, quam in limo. Quemadmodum qui in fluminibus capiuntur, ſi fundus arenoſus ſit, ac per ſaxa frequentia aquæ præcipiti lapſu decurrant, præferuntur illis, qui in ſtagnis & lacubus, qui nec fluvium inſignem, nec fontes copioſos recipiunt, capiuntur, ut docet *Mneſitheus Athenienſis* apud *Athenæum lib. 8. deipnoſph. p. m 358.* Quo fit, ut ex ſtagno, vel lacu, vel flumine, eadem genera deteriora ſint, ut exemplo mugilis *Galenus 3. alim. cap. 25. & Oribaſius lib. 2. collect. med. cap. 1. & libro citato cap. 58. ex Xenocrate*, docuere. Eadem etiam aquatilium genera referente *Plinio lib. 9 hiſt. anim. cap. 54. & 18 alibi atq; alibi meliora*: ſicut lupi piſces in Tiberi amne inter duos pontes: Rhombus Ravennæ, Murænæ in Sicilia, elops Rhodi, pectines Mitylenæi ex *Xenocrate apud Oribaſ.* Oſtrea Lucrina, Brunduſina ab *eodem & Plinio locis allegatis* aliis prælata. Sed & alimenta piſces meliores deterioresque efficiunt: nam quibus herbarum ac bonarum radicum copia ſuppetit, præſtantiores his, qui herbis ac radicibus mali ſucci, ſordibusq; magnarum urbium veſcuntur: hi enim mortui citius fœtent & corrumpuntur, ſapore inſuaves atque alimento illaudati, ut docet *Avicenna lib. 2. tr. 2. cap. 553.* quod *Galenus & apud Oribaſium Xenocrates locis allegatis* eodem exemplo mugilis demonſtrarunt. Sic Tyberini piſces infra Urbem capti deteriores ſeipſis in eodem fluvio, antequam Urbem alluat, ſordesq; recipiat, captis, exiſtimati à *Galeno lib. allegato cap. 30.* Piſces quoque pro fœturæ ac temporis anni ratione ſeipſis præſtantiores aut deteriores evadunt, ut docet *Ariſtot. lib 9. hiſt. anim. cap. 30.* Piſces cum coitu impleri incipiunt, boni omnes fere ſunt: ſed procedente uteri tempore,

pore, alii præſtant, alii non. Alec ſive mæna utero gravis melior eſt, ut & corvulus, itemque muræna: unde *Horatius lib. 2. ſerm. ſat. 8.*

Affertur ſquillas inter murana natantes
In patina porrecta: ſub hoc herus, hæc gravida, inquit,
Capta eſt, deterior poſt partum carne futura.

Mugil vero & *lupus* & reliqui fere ſquamoſi omnes minus boni, cum ferunt: Teſta intecta, ut *pectines*, omneque oſtrearium ſive conchiarium genus, item quæ cruſta intecta ſunt, optima tunc, cum gravida, ut in locuſtis & reliquis hujuſmodi patet ex *Ariſtot. lib. 9. hiſt. anim. cap. 30.* Et cum cæteri mares omnes ſuis fœminis ſint præſtantiores, *Silurus* fœmina præſtare ſuo mare dicitur. Et in anguillarum quoq; genere meliores ſunt, quas fœminas appellant: quæ nomen fœminæ temere acceperunt: non ſunt enim fœminæ; ſed quia aſpectu à cæteris diſcrepant, fœminæ appellantur, juxta *Ariſtotelem loco jam allato.* Temporum anni diverſitas in piſcibus quoque gratiam addit aut minuit. Sic *Thunnus* poſt *Arcturum* melior, teſtimonio *Ariſtotelis lib. 8. hiſt. alim. cap. 13.* eo enim tempore ab infeſtantis Aſili (de quo vide *libri adducti cap. 19.*) agitatione requieſcit. *Pectines & pinnæ* vere atq; æſtate meliores: *oſtrea* vere craſſeſcunt, expleta albo humore & lacteo, ut ex *Xenocrate* narrat *Orabiſius loco citato text. d. cruſta opertu.* Aurata quoque hyeme laborat, ſed Archanas æſtate, eoque tempore extenuatur, ut ſentit *Ariſtoteles loco proxime adducto.*

In piſcibus media ætas, quæ nondum ſummam magnitudinem implevit; leviorem cibum præſtat: at grandiores & cetacei, difficulter in ſuccum commutantur, duri ſunt ac ſtomacho noxii: parvi vero facile corrumpuntur, eodem *Xenocrate* authore: quod & colligere licet ex *C. Celſo l. 2. cap. 18. 21. & 28.* Admonere tamen ex *Avicenna loco citato*, lectorem meum volo, non ſemper mediam attendi in piſcibus ætatem: ſed ex illis, qui carnis durioris ſunt, minores, at ex illis, qui carnem nimis mollem habent, modice magnos cæteris præferri.

Membrorum quoque apud ſapientes delectus eſt in ſingulis piſcium generibus: ſic in mullo hepar, hinc caput in pretio, ſi *Galeno* credimus *3. alim. fac. c. 27.* Et *Athenæo* aſſerente mulli caput præ cæteris membris expetitum à guloſis *lib. 4. deipnoſ. p. m. 135.* Scarus viſce-

 ribus

Alec, corvulus, Murena
Mugil, Lupus, Pectin
oſtrea, Anguilla
Thunnus, Aſili, Pinna, Oſtrea
mullus
Scarus

ribus bonus, guſtu *Martialis lib.3. Xen.81.* Thynni præcipuâ magnitudine, referente *Plinio, lib.9. hiſt. nat. cap.15.* cervice & abdomine maxime commendantur, atque clidio, recenti duntaxat, & tum quoq; gravi ructu. Viliſſima ex his, quæ caudæ proxima, quia pingui carent; probatiſſima quæ faucibus: at in alio piſce circa caudam exercitiſſima. Sic in *ſalmone* recenti caput, clidium ac venter: at in paſſo fumo media caro, in lucio noſtrate cauda, præ cæteris diliguntur. Imo caudam, quod continuo motu exerceatur, bonum ac gratum ſuggerere alimentum, ventris, ſi pinguis ſit, alimoniam in ventriculo fluitare, faciliusque per alvum effluere, dorſi carnem duram eſſe; capita vero propter ſalſum humorem & pinguedinem non nutrire, ac difficulter diſtribui, ſtatuit apud *Oribaſium Xenocrates.*

Ex plurimis vero piſcium generibus præcipuam meruere laudem ſquamoſi, qui carnem non duram nimis, nec ſiccam aut viſcidam, aut nimis pinguem, ſed teneram & friabilem habent, ſapore ac odore gratam: illi enim pro conditione ſui generis probum ſuccum generant, nec difficulter concoquuntur, nec nimia pinguedine ructus, aut ciborum faſtidium edentibus movent: Ex quorum cenſu primi ſunt, ſaxatiles piſces, qui in petroſis promontoriis, & ubi ſaxa ſunt, pariunt ac delitescunt, juxta *Galenum 3. alim. fac c.28.*

Mullo, τρίγλη Græcis, quod ter pariat, ut conſtat ex *Plinio l. 9. hiſtor. nat. cap 51. & 17.* & *Oppiano lib. 1. ἁλιευτ: verſ. 590.* maxima olim gratia apud gulæ proceres fuit, teſtibus *Galeno 3. alim. fac. cap.27. Plinio lib.9. nat. hiſt. cap.1. Horatio lib 2. ſerm. ſat.2.* Mullus enim obſoniorum præſtantiſſimus, & ſtomacho idoneus, & boni ſucci, & ori gratus: cujus caro quidem durior, ſed friabilis, pinguedinis expers, cum quadam acrimonia, quæ difficulter corrumpatur ac mediocriter excernatur, authore *Xenocrate* apud *Oribaſium l.2. collect. cap. 58. Galeno loc. cit. P. Ægineta lib.1. cap.90.* Modica mullis magnitudo, quos binas libras ponderis raro excedere notavit *Plinius*, & ob magnitudinem trilibres in pretio fuiſſe *Horatius* perſtrinxit *lib.2. ſerm. ſat.2.* Adeo enim illo ſeculo gulæ inſania proceſſit, ut *Aſinius Celer* è conſularibus hoc piſce prodigus, Cajo Principe, unum mercatus fuerit octo millibus nummûm, *ducentis Philippicis*, ex computatione *I. Lipſii lib. 4. d. magn. Urb. Rom. cap. 7.* Quamvis de ſumma tanti pretii

pretii lis ſit inter authores. *Macrobius ſeptem millibus* veniſſe *lib, 2. Saturn. c. 12.* ſcribit: at *Juvenalis* ſex ponit *lib. 1 ſat. 4.*

mullum ſex millibus emit,

Æquantem ſane paribus ſextertia libris.

Et *Seneca epiſt 95.* author eſt, idemq; confirmat *Suetonius in Tiberio Cæſare,* mullum ingentis formæ, quatuor pondo & ſelibræ Tiberio miſſum, & ab eo in macellum deferri & venire juſſum: quem cum *Apicius & Octavius* licitarentur, vicit Octavius, & ingentem conſecutus eſt inter ſuos gloriam, cum quinque miliibus H S. i. e. *centum viginti quinq; Philippicis* emiſſet piſcem, quem Cæſar vendiderat, ne *Apicius* quidem emerat. Pariter ex *Martiale, lib. 10. mullum* in honore fuiſſe, videmus, ubi ſcribit:

——————— *mullus tibi quattuor emptus*

Librarum cœnæ pompa caputq; fuit.

At *Galenus loco ac capite allatis* minores mullos grandioribus præfert, ob carnis ſuavitatem, facilemque digeſtionem. Mullum expirantem verſicolori quadam ac numeroſa varietate ſpectari proceres gulæ narrant, rubentium ſquamarum multiplici mutatione palleſcentem, utique ſi vitro ſpectetur incluſus, ut referunt *Plinius lib. 9. nat. hiſtor. c. 17 Seneca lib. 3. nat. hiſt. cap. 17. Apicius* ad omne luxus ingenium mirus, mullum in ſociorum garo necari præcellens putavit, atq; ex jecore ejus alecem excogitare provocavit: cujus conficiendi rationem *Galenus loco* jam dicto retulit. *Quidã, inquit, garelæum in vaſe cum pauxillo vini præparantes, in eo hepar tam diu comminuunt, quoad totum ſimplex ex ipſo & humidis præparatis ſuccus unus fiat ad ſenſum ſimilaris, in quo mulli carnes intinctas mandunt.* Noſtro ævo tanti non exiſtimantur: namque propter carnis duritiem, à *Galeno libro allegato cap. 27. & eodem libro à Philotimo cap. 31.* notatam, difficilius concoquuntur, craſſumque ſuccum generant, ut de duræ carne piſcibus docuit *Philotimus* idemq; confirmavit *Galenus locis allegatis.* Et *Macrobius* etiã ſuo tempore majoris ponderis Mullos paſſim repertos teſtatus, inſano eorum pretio ignoto. Sed nec omnes mulli probantur, ſed ii ſaltem, qui in puro mari degunt, probisque alimentis veſcuntur. Nam lutarium viliſſimi generis appellant, quemadmodum nec littorali tanta gratia eſt, iiſdem de cauſſis: quas jam allegavi. Quin *Ariſtoteles*

 lib. 8.

lib.8. hiſt.anim. cap.2. mullum inter littorales piſces reponit, ac carne, alga, concha, cœno nutriri, *Ælianus l.2.c.41.* hominum piſciumq cadaveribus paſci, rebusq; fœtidis oblectari, *Oppianus* ſordidiſſimos cibos pro alimonia, ſuum inſtar, expetere, cadaveribusq; humanis illici *lib.3.* Ἁλιευτικῶν *verſ.432. & ſeq.* teſtantur. *Plinius lib 32. hiſtor. nat. cap.1.* lepore marino mullum veſci, ac propterea ingratiorem viliorem que fieri tradidit.

Inter ſaxatiles piſces Scarus excellere ſuavitate creditur, ſententia *Galeni 3. alim. fac. cap. 28. & cap. 30.* Nobilitatus apud Romanos, eique principatus datus, ut conſtat ex *Plinio, lib.9. hiſt. nat. cap.17. Horat. lib. epod. ode 2. & lib.2. ſerm. ſat.2.* qui locis remotiſſimis Romam delatus: unde *Petronius in ſatyr. pag.m.28. probatur*

ultimis ab oris

Attractus ſcarus.

Et *pag.50.* in illuſtri carmine, *Orbem jam totum &c.*

Siculo Scarus æquore merſus

Ad menſam vivus perducitur.

Hic mari Carpathio maxime frequens promontorium Troadis Lecton ſponte nunquam tranſit. Inde advectos, Tiberio Claudio principe, Optatus, è libertis ejus, præfectus claſſis, inter Oſtienſem & Campaniæ oram ſparſos diſſeminavit. Quinquennio fere cura eſt adhibita, ut capti redderentur mari: poſtea frequentes inveniuntur Italico in littore, non antea ibi capti. Viſceribus præcipue laudatus à *Martiale Xen.81.* item *Xenocrate* apud *Oribaſium:* caro tamen ejuſdem ob vilitatem ſaporis à *Martiale* improbata. An quod olim ciborum non manſerint eædem ac perpetuæ laudes, ſuccedentibus aliis, guſtu inluſtrium virorum, aut portentoſis luxuriæ ingeniis commendatis, ut arbitratur *Jovius de piſcibus Romanus cap.1.* idemque de acipenſere memorat *Plinius lib.9. hiſt. anim cap.17.* qui apud antiquos piſcium nobiliſſimus habitus, nullo tunc in honore, quamvis rarus eſſet inventu: quod κακόηθες ſuorum temporum perſtrinxit *Horatius ſatyrâ adductâ*: aut quia in copia piſcis vilior ejus æſtimatio: qua ratione mullum jam gravem ſuo tempore fuiſſe, *Petronius in ſatyricis* dixerat.

Truta inter delicatiſſimos cibos refertur, ſaporis atque alimenti ſumma bonitate, ſi non grandis admodum fuerit, cum fere

fere nuſquam alibi naſcatur, quàm in gelidiſſimis ac maxime præcipitibus fluviis: talis enim concoctionis facilitate omnibus fluviorum alumnis piſcibus præfertur, ut cenſet *Mneſitheus Athenienſis* apud *Athenæum lib. 8. deipnoſoph. p. m. 358.* qui enim in fluviis ac lacubus plerumque reperitur, ob pinguedinem ac viſciditatem minus laudatur. Salmoni fere ſimilis eſt, adeo ut Truttam in Salmonem mutari quidem exiſtiment, teſte *Geſnero de piſcibus fol. m. 173.* Cujus ſententiæ *Auſonium* fuiſſe, ejuſdem ſequentes *verſus Eidyll. X. in Moſella,* demonſtrant.

> *Teq; inter ſpecies geminas, neutrumq; & utrumq;*
> *Qui nec Salmo, nec jam Salar, ambiguusq;*
> *Amborum medio Fario intercepte ſub ævo.*

Salmo fluviatilis in noſtris lautitiis potiſſimus habetur, ut nulli piſcium ſaporis pretio cedat; quin etiam marino commendatior, qui in *Viſurgi. Albi & Rheno* capitur: quemadmodum in *Aquitania Salmo fluvialis, marinis* omnibus præfertur, judicio *Plinii lib. 9. cap. 17.* Nec eſt, quod quis ex veterum Græcorum Latinorumque ſcriptis plura de hoc piſce, veteribus ignoto, ut, præter alios arbitratur maximus naturæ animalium interpres, *Ulyſſes Aldrovandus lib. 4. de piſc. cap. 1.* cognoſcere velit: cum eade re altum apud authores ſit ſilentium. *Auſonius in Moſella* verſibus elegantiſſimis *Salmonem* deſcripſit, quos in gratiam lectoris heic ſujicio.

> *Nec te puniceo rutilantem viſcere, Salmo,*
> *Tranſierim, latæ cujus vaga verba caudæ*
> *Gurgite de medio ſummas referuntur in undas,*
> *Occultus placido cum proditur æquore pulſus.*
> *Tu loricato ſquamoſus pectore, frontem*
> *Lubricus, & dubiæ facturus fercula cœnæ,*
> *Tempora longarum fers incorrupte morarum,*
> *Præſignis maculis capitis, cui prodiga nutat*
> *Alvus, opimatoq; fluens abdomine venter.*

Alimentum quidem, quod comeſo *Salmone* corpori accedit, copioſum, ſed craſſum ac glutinoſum eſt, quod pinguedine ſua debilem ſubvertat ventriculum, ut crebriore eſu nauſeam pariat. Salmo ſallitus, inter cuncta ſalſamenta, præcipuus eſt, laudatiſſimusque omnium

mnium, qui ex portu *Moſchoviæ S. Michaelis* defertur, ſi recens ſit: hic palato gratus, nec viſciditate alimenti, ut recens, noxius, attenuante atq; exiccante vi ſalis abſumpto nimio lentore, ut in ſallitura piſcium docuit *Galenus 3. alim. fac. cap. 41.* Salmo fumo exiccatus ac paſſus recenti difficilius coquitur, ructusque crebros cauſſatur, popinalibus frequens deliciis, validoque ſtomacho concoctus non infeliciter alit. Sed ne multorum menſium muria nimioque fumo, ac vetuſtate Salmo perdiderit ſuavitatem, aut idem jam ranceſcat, attendendum. Talis enim quoquo modo præparatus damnatur.

Laudantur à *Galeno libro proxime dict. cap. 29. Gobiones* in littoribus arenoſis aut ſaxoſis victitantes: *Aſelli* in puro mari capti, qui cum ſaxatilibus carnis bonitate contendant, arbitrio *Galeni cap. 30. Mugilum* ſeu *Cephalorum*, *Capitonum* aut *κεφάλων* caro variat, pro ſpecierum eorum, locorumque, in quibus vivunt, diverſitate: durior eſt aſellorum carne, nec ſucci illaudati, (præſertim qui in alto mari degunt, quod ventoſum verbere agitentur,) cum innoxiis alimentis, alga ſcilicet, veſcantur, & limo, ut tradit *Oppianus lib. 2. Ἁλιευτικ. v. 650.* De fluviatili locutus *Auſonius Eidyllio 10.*

Squameus herboſas Capito inter lucet harenas,
Viſcere præ tenero fartim congeſtus ariſtis:
Nec duraturus poſt bina trihoria menſis.

Salliri hunc piſcem *Galenus* docuit, adeo ut ſtagnalis ſeipſo præſtantior fiat; quod enim mucoſum adeſt, deponit: verum recens ſallitus jamdiu ſallito melior.

Soleæ, itemq; *Paſſeres*, carnem teneram & ſuavem habent: teſte *Galeno libro allegato c. 30. & Mneſitheo Athenienſi* apud *Athenæum lib. 8. deipnoſph.* quibus nihil concedit *Rhombus*, planorum piſcium præcipuus, adeo ut nobilis quidam aulæ procerum circa popinales delicias ingenioſiſſimus *aquatilem Phaſianum* appellare ſolitus ſit, referente *Jovio lib. d. piſcib. Roman. cap. 25.*

Percæ à *Galeno 3. alim. fac. 28.* ut & *Oppiano lib. 1. ἁλιευτικῶν v. 124.* inter ſaxatiles piſces referuntur, ut propterea ægrotis febricitantibus concedi poſſint. *Matron in cœna Xenoclis Oratoris* apud *Athenæum percas piſces immortales* vocat, i. e. *maximæ dignitatis*, ut notat *Dalechampius*. *Percarum* bonitatem decantavit *Auſonius*, ſequentibus verſibus

Nec

Digitized by Google

Nec te delicias menſarum Perca ſilebo,
Ammigenos inter piſces dignande marinis,
Solus puniceis facilis contendere mullis:
Nam neq; guſtus iners, ſolidoq; in corpore partes
Segmentis coeunt, ſed diſſociantur ariſtis.

Percæ tamen ſuavitate longe poſt ſe relinquunt Funduli, pretioſiſſimi ſaporis, *Cobitides barbatulæ Rondeletio, Geſnero, Ulyſſi Aldrovando, Germanis* Gründling/ Schmerling/ appellantur; quibus junguntur *Gobiones fluviatiles, Germanis* Kreſſen/ Bachkreſſen/ noſtris Gründling. Hos etſi *Geſnerus* & *Rondeletius* in cibis damnent, quod cadaveribus, aquæ immerſis, veſci dicantur, ac calvariis equorum injectis allicianitur, ut poſt *Bellonium* & *Rondeletium* notat *Ulyſſes Aldrovandus lib. 5. de piſc. cap. 27.* guſtu tamen cum ratione arbitro, minime deroganda his piſcibus gratia: namque & carnem teneram, friabilem & ſuavem, omnis lentoris expertem habent, ut in ægrotantibus cætera faſtidientis ſtomachi languidus appetitus eos primum admittere ſoleat, aceto ſuffocatos, hinc aqua aut vino elixos ac ſale & butyro &c. conditos. Nec n. in cœno, aut circa cloacas, ſed in fundo fluviorũ degũt: unde & nominis appellatio illis venit: quod v. cavitates calvariæ occupant, natura horum, ut aliorum quorundam piſcium, accidit, qui cava loca ſcrutantur, & anguſtiſſimas foveas ſubeunt, quod in truttis videmus. Et juxta *Archeſtratum, heluonum Heſiodum,* apud *Athen. l. 7. Piſcis quivis humana delectatur carne, obvia ſicubi ſit.*

Cyprinorum magnus apud nos proventus, tam latorum, quos die Brachſmen/ quàm aliorum, quos *Veneti Raynas*, alii *Carpenas & Carpos*, antiquo, & à *Caſſiodoro lib. 12. var. ep. 4.* uſurpato vocabulo, appellant: quibus jungo *Characes Geſneri*: noſtri, Karutzen/ vocant. *Cyprinos* à *Cypride*, i. e. *Venere* nomen duxiſſe exiſtimant *Geſnerus & Ulyſſes Aldrovandus libro dicto cap. 40.* quod mire fœti ſint, brevique numeroſa ſobole piſcinas impleant. Quinquies enim quotannis pariunt ſecundum *Ariſtotelem lib. 6. anim. 14. & Oppianum lib. 1. ἁλιευτικῶν verſ. 92.* Caro horum piſcium non quidem à medicis admodum probatur, quod mollis, humida ac inſipida exiſtat, unde plurium humorum abundantiam generari cenſent *Ulyſſes Aldrovandus lib. allegati cap. eod. Jovius de piſcibus Rom. cap. 38. Bryerinus lib. 22. de re cib. cap. 13.* in deteriorum tamen piſcium nomenclaturam non reducen-

Digitized by Google

ducendi, teſte *Geſnero*, præſertim in lacubus, per quos fluvii transmittunt, capti, qui, præſertim *Travenſes*, nigri colore, (hi enim cæteris multum præſtant,) frequentes noſtris conviviis, Horum palatum carneum, ut, teſte *Ariſtotele lib.4. hiſtor. anim. cap.8. & lib.2. d. part. anim. cap.17.* niſi diligenter inſpexeris, lingua id eſſe videatur, à guloſis expetitum, quod & venerem excitare creditur, teſte *Jovio & Bryerino*: quorum hic *cyprinorum* præparationem *loco memorato* ſcriptam reliquit. *Cyprinis & Characibus* viliores cenſeo *Barbos*, quos meliores pejore ævo *Auſonius* dicebat, *ſcombros, malos piſces*, judicio *Senecæ Epiſt. 95*, &, ſententia Auſonii,

virides vulgi ſolatia Tincas. Item
Alburnos, prædam puerilibus hamis:
Stridentesq; focis obſonia plebis Alauſas.

Haringi carnem mollem & friabilem habent, nutrimenti inculpati nec ſaporis ingrati; ut ſolum ob copiam eorum minoris apud nos æſtimentur. Scilicet aſſuetudine deteritur rerum gratia, novitate paritur, teſtimonio *Scaligeri exerc. 99. ſect. 1.* Sic *Chryſippus* referente *Athenæo lib 7. pag.m. 285.* teſtatus, *Aphyam Athenis* vilem eſſe, ac mendicorum opſonium: in aliis vero civitatibus, quanquam deteriorem, in admiratione ſumma eſſe, pretioque maximo. Quod de gallinis *Africis Athenæus* confirmat. Vulgo, febres ex horum eſu generari, exiſtimatur, idque maximo piſcium Regi derogare authoritatem ſuam poſſet: quod tamen nimio *Haringorum* eſu, ac præparationis incuria potius, quàm ſucci eorundem vitio contingere credo. Cæteroquin, cum inter leviſſimos ſtomacho piſces numerari queant, quod carnem teneram habeant, ac vere bilis commoveri ſoleat, (quo tempore ut & æſtate increbreſcere tertianæ apud nos obſervātur,) accidit, ut tenerrima *harengorū* caro in bilioſo ventriculo facile corrumpatur, quod aliis cibis, ovis, lacti, oſtreis, &c. evenire ſolet: quemadmodum teneri piſces facile intus vitiantur, authore *C. Celſo l.2. cap.28.* Sic *Diphilus Siphnius* apud *Athenæum lib 8. deipnoſoph pag. 355* ex marinis piſcibus ſaxatiles facile corrumpi, eodem tamen loco, bonum cibum generare, dixit. Ut propterea *Haringi* non propriâ, ſed alterius cauſſæ culpa male audiant. *Haringi* pinguiores muria paucis horis macerati, leviterque infumati, ſalmonis fere ſapore adblan-

blandiuntur, recentes ſcilicet: nam exoletis & ſiccoribus tanta gratia perit, ſuccus laudatus abſumitur, & pinguedo rancefcit, ut ſolùm in opſonium plebis veniant. *Harengi* recenter ſalliti maximo gulæ deſiderio, primum advenientes, comeduntur; qui ventriculi, cætera recuſantis, ἀνορεξίαν mire levant, nec damnandi: abſumpta enim cruda humiditate, coacta magis, ac cocta ſale (hujus enim natura per ſe ignea, ut fatetur *Plinius lib.31.nat.hiſt.cap.9*) tenerrima carne, tutò eduntur: ut ab halecibus diſſipari morbos, & ſub eorum adventum ſterilem eſſe medicorum meſſem, teſtetur *Ampliſſimus Vir, Dn. Nicolaus Tulpius cap. 24. lib. 2. obſervationum ſuarum rariorum,* quas mihi dono tranſmiſit.

De Lucio controverſia eſt, aliis cum ſummè commendantibus, aliis vero ut pejoris notæ piſcem æſtimantibus. Hic ab ingluvie, qua cuncta, ranas, omnis generis, itemque cognomines, piſces, vorat, lupus quibuſdam dicitur, adeo ut nominis ſimilitudine perſuaſi, *Lucium* hunc *Lupum*, celebrem apud *Romanos* piſcem, eſſe ſtatuerint. Λύκος enim *Lupum* ſignificat: ut hinc interpoſito *1* Lucius prodierit. In qua ſententia præter alios *Franciſcum Philelphum* fuiſſe refert *Paulus Jovius de piſcibus Romanus cap.4.* Verum hos falli conſtat, quod λύκος, *Lupus* animal quadrupes, appelletur: *Lupus* vero piſcis λάβραξ dicatur, ut notum ex *Ariſtot. lib. 5. hiſt. anim. cap. 9. & 10. Oppiano ἁλιευτικῶν α. verſ. 112. & 119. Suida in Hiſtor. Athenæo lib. 7. pag. m. 310.* παρὰ τὴν λαβρότητα à voracitate, ut notat poſterior: namque explendæ fami ſolet, ut *Juvenalis ſat. 5* loquitur

mediæ cryptas penetrare ſuburræ

Aut λάβραξ dicitur ἀπὸ τοῦ λαβράζειν. quod pinnis in arena foveam corpori recipiendo aptam, fodiat, nec retibus propterea capi poſſit, (unde *Athenæo*, & ante hunc, *Ariſtophani* dicitur

λάβραξ ὁ πάντων ἰχθύων σοφώτατος;)

aut quod rete valida vi diſrumpat: quod poſtremum quidem in *Luciis* majoribus, prius vero, & quod συνέσει τῶν ἄλλων ἰχθύων διαφέρει, prudentia cæteros piſces excellat, non obſervatur. Sed & marinus piſcis eſt λάβραξ, quem in dulcibus amnibus natum nunquam vidit *Galenus 3. alim. fac.* quamvis ſtagna & fluvios è mari ſubeat. At *Lucius* nunquam mare penetrat: unde *Auſonius Eidyll. X.*

Hic etiam Latio, riſus, prænomine, cultor
Stagnorum, querulis vis infeſtiſſima ranis
Lucius, obſcurus ulva cœnoq; lacunas
Obſidet.

Præterea forma *Lupus* à *Lucio* differt, quam utriusq; piſcis exactè deſcripſerunt *Paulus Jovius de piſcibus Romanis* loco allegato *Ulyſſes, Aldrovandus lib. 4. de piſc. cap. 2.* *Lupus* quoque apud exquiſitioris palati Romanos in ſummo pretio habitus, ut notum ex *Plinio lib. 9. natur. hiſt. c. 17.* &, *Hiceſio teſte* apud *Athenæum, l. 7.* guſtus ſuavitate primas obtinet. Firmat *Macrobius ex C. Titio & Lucilio lib. 2. Saturn. cap. 12.* unde *Archeſtratus* λάβϱακα θεόπαιδα, Deorum ſobolem, appellat apud *Athenæum* loco adducto. *Lupi* enim carnem delicatiſſimi ſaporis eſſe conſtat, atq; ſubtiliorem generare ſanguinem cenſet *Galenus 3. d. alim. fac. c. 26.* ut eundem perdicis carnibus nobilis quidam aulæ procerû *Apicius* altilibus capis compararit. *Lanatum* certe, à candore mollitiaque carnis ſic appellatum, *Lupum* cæteris antepoſuit *Plinius loco citato.* Præ cæteris vero *Tyberinus* commendatus *Macrobio libro & capite, memorato*, præſertim inter pontes captus: (quo loco etiam *Lucilii* verſus de *Lupo*, inter duos pontes capto, recitat; qui hunc piſcem catillonem vocat, quaſi liguritorem:) quod alimenti copia pinguior ſit, atque ſuavior etſi marino mea ſententia minus ſalubris. De *Tyberino Horat. lib. 2. ſerm. ſat. 2.*

Unde datum ſentis? Lupus hic Tyberinus, an alto
Captus hiet, pontes ve inter jactatus, an amnis
Oſtia ſub Tuſci?

Ut vel hoc Poeta conſtare poſſit, *Lupos* & *Lucios* inter ſe differre, quod illos hiare inſtar luporum terreſtrium dixerit: hos vero, nec in aquis libere vagantes, nec captos hiare videamus. At Luciô nulla priſcis temporibus authoritas, & adhuc dum, ob guſtum inertem, carnemque *Lupo* minime comparandam, apud pleroſque minoris æſtimatus, Unde, referente *Auſonio*,

nullos menſarum lectus ad uſus,
Fervet fumoſis olido nidore popinis.

Pro locorum tamen pabulique diverſitate *Lucii* bonitate variant: namque in *Italia* fere, & quibuſdam Galliæ locis, guſtu inſuaves, ut notat

Digitized by Google

notat *Bryerinus de recibar. l.2. cap.11.* Noſtris *Travenſibus* non ingratus ſapor adeſt, præſertim vero *Scalenſis lacus Lucii* ſaporis pretio, carniſque teneritudine, nullis cedunt, ut, præſertim non adultos, ægrotantibus tales dari medici permittant.

Lampetræ à lambendis petris dictæ, quibus ſuctu firmiter adhærent, corniculorum inſtar, quæ ſacrificandæ cuti apponuntur, anguillis ac murænis non multum diſſimiles, unde & quibuſdam murenæ fluviatiles appellantur, etſi à veterum murænis differant. Os inſtar hirudinum cavum habent, & ex utroq; latere ſeptenas fiſtulas, per quas receptam aquam reddunt, pro ſpina dorſi cartilago eſt. Vere ineunte meliores, ac gratia ſaporis cæteras, quæ æſtate capiuntur, antecellunt; alimentum tamen minus laudabile ſufficiunt: lentum glutinoſum, & diutius ſtomacho inhærens, ut, præſertim quæ fumo paſſæ craticulis torrentur, diu ructum ventriculo explodant, & pinguedine ſua eundem debilem offendant. Anguillis ſuavis ſapor adeſt, ſed unde nutrimentum vitioſum corporibus noſtris accedat; quas arthriticis, itemque podagricis, & qui ventriculum imbecillum habent, noxias authores cenſent. Quod vero anguillæ maximis extollantur encomiis, ut dum in *Jovis amplexus veniſſe* dicuntur ab *Athenæo lib.4. deipnoſoph. in cœna Xenoclis, quam Matron* deſcripſit: aut dum apud eundem lib.7. *anguillam, Helenam cœnarum, Epicureus Εἰκαδιςὴς, ſe vero Paridem vocat:* aut *quod eorum, quibus veſcimur, regina voluptatū obtinere principatū* cenſetur; *cum ſola piſcium ſit ἀπύρηνος*, (i.e. ut explicat *Dalechampius in notis*, tota tenera, ſuccoſi fructus inſtar, dum manditur, ore liqueſcens, metaphora ſumpta à fructu, cui nullus ineſt nucleus, qui *ἀπύρηνος* dicitur, cum anguilla excepta ſpina dorſi oſſibus careat) hæc aliaque celebrata ab authoribus pro guſtus ſuavitate, non pro ſalubritate alimenti adducta eſſe credendum.

Exoſſis ſive *ichthyocolla*, *Danubio* frequens & *Thunnus*, piſces decumani, durioris ſubſtantiæ carnem habent, etſi non illaudati ſucci, ſi bene concoquantur. *Acipenſis*, quem alii *Sturnionem*, noſtri Stoer/ quidam *Elopem*, authore *Plinio lib.9. hiſt. nat. c. 17.* aut *Ellopem*, ut *Appion Grammaticus libro de Apicii luxu*, vocant, nobiliſſimus piſcium habitus, & à Romanis tibiis ac coronis circumferri ſolitus, coronatis etiam portantibus, teſte *Athenæo lib.7. deipnoſoph. pag.m.294. Macrobio lib.2. cap.12.*

cap.12. & à *Cicerone in dialogo de fato*, *Plauto* item *in fabula Baccharia* ſub perſona paraſiti celebratus. Unde in cœna, quam *Matron Parodus apud Plutarchum*, ex quò *Athenaus lib.4. deipnoſoph. p. m.136. de Elope* diſſerit

ἀμβροσίη μοὶ ἔδοξεν
Εἶν', ἣν δαίονται μάκαρες θεοὶ αἰὲν ἐόντες.
Ambroſia quidem is mihi viſus eſt,
Qua paſcuntur ſempiterni ac beati Dii.

Hunc veterum *Silurum* eſſe argumentis validis urgent. *Pet. Jovius d. piſc. Rom. cap. d. piſc. Hippol. Salvianus*: *Matthiolus editione ſecunda comm. Dioſcor. lib. 2. cap. 26.* quæ repetit *Ulyſſes Aldrovandus*, ſuaque adjungit *lib.4. de piſc. cap.9.* Parcant mihi tantorum virorum manes, ſiquod ab illis diſſentire velim, ſequentibus argumentis adductus. *Silurus* enim omne animal appetit, equos natantes ſæpe demergens, ut tradit *Plinius lib.9. hiſt. nat. cap.15.* *Sturio* vero maleficus non eſt, ſine dentibus, os cartilagineum habet circa guttur, &, niſi roſtrum arenis immergat, paſtum non colligit: unde & ab *Iſidoro, Hiſpalenſi Epiſcopo lib.12. Orig. cap.6.* porcus marinus, *Hiſpanis, ſuillus*, vocatur, quod, dum eſcam quærit, more ſuis terram ſub aquis fodiat, ut non niſi herbas, limum, atque minutos piſces *oris officio*, ut loquitur *Iſidorus*, recipere poſſit, cum ſuctu agat, ut vulgus vento *Sturionem* vivere credat; nec piſces grandiores in ventre *Sturionis* unquam reperiantur. Nec obſtat, quæ ad *Silurum* retulit *Plinius*, *Glanidi* ab *Ariſtotele* tribui, qui & *Glanidem* hamum piſcatorum frangere *lib.9. hiſt. anim. cap. 37.* narrat. Illa enim, ſi à *Siluro* fieri nequeunt, multo minus *Sturioni* competent, ob allegatam oris incommoditatem: unde hamo nunquam *Sturiones* capiuntur, præſertim ſi cubito majores fuerint, ut notat *Ulyſſes Aldrovandus*. Nec dubium eſt *Siluro* tantum virium eſſe, cum & robore validus ſit, & *Glanidem* ſpeciem ſimilitudinemque *Siluri* referre teſtetur *Ælianus lib. 12. hiſt. anim. cap. 14.* Ut hac de re propria experientiâ, aut fida narratione id à *Siluro* fieri *Plinio* compertum fuiſſe credam, qui etiam *lib.32. nat. hiſt. cap.11.* *Silurum* ab *Acipenſere*, quem *Sturionem* eſſe fatentur, manifeſtò diſtinguit: unde & *Gaza Glanidem per Silurum* interpretatur.

Sed nec deſcriptio *Siluri Auſoniani Sturioni* competere poteſt, quam heic in gratiam Lectoris ſubjungam: *Nunc*

Digitized by Google

Nunc pecus æquorum celebrabere magne Silure:
Quem velut Actæo perductum tergora olivo
Amnicolam Delphina reor: ſic per freta magnum
Laberis, & longi vix corporis agmina ſolvis,
Aut brevibus defenſa vadis, aut fluminis ulvis:
Aut quum tanquillos moliris in amne meatus:
Te virides ripæ, te cærula turba natantum,
Te liquidæ mirantur aquæ, diffunditur alveo
Æſtus, & extremi procurrunt margine fluctus.
Talis Atlantiaco quondam balæna profundo,
Quum vento motuve ſuo telluris ad oras
Pellitur, excluſum fundit mare: magnaq; ſurgunt
Æquora: viciniq; timent decreſcere montes.
Hic tamen, hic noſtræ mitis balæna Moſellæ
Exitio procul eſt: magnoq; honor additus amni.

Nec enim *Sturio* magnitudine *Siluro* aut Balænæ comparari debet, quod nunquam ad tantum corporis incrementum accedat, quamvis centum libras aliquando pendeat, & *Ulyſſes Aldrovandus* teſtetur, ſe *Ferrariæ Sturionem* centum quadraginta librarum dono dediſſe *Campegio*, Epiſcopo Majoricenſi. Siluro vero grandiori tanta corporis moles eſt, ut quindecim talenta aliquando pendeat, 1800. libras juxta *Budæum lib. 2. d. Aſſe*: ut jugo boum in littus trahatur: cujus capturam deſcripſit *Ælianus lib. 14. de nat. anim. cap. 25.* Nec formâ Balænæ, aut Delphino, Sturio ſimilis, ut cuivis, qui Sturionem vidit, notum, quem ad vivum delineavit *P. Jovius de piſcibus Romanus.*

Præterea nec tergus perductum olivo habet, quod de *Siluro* prodidit *Auſonius*. Toto enim dorſo craſſiores quædam ſquamæ, oſſea duritie, certo numero ordineque diſtinctæ, intercurrente ſpinæ acie, ad elegantiam eminent, ut in magnificentioribus valvis videmus, quas ferrei atque inaurati clavi certa ſerie confixi decentiſſimè configurant. *Silurus* quoque quaſi σείουρος dicitur, ἀπὸ τοῦ σείειν συνεχῶς τὴν οὐράν, i. e. quia caudam aſſidue quatiat, ut derivat *Athenæus lib. 7. Deipnoſoph. pag. 287.* quod *Acipenſer* non facit. Tandem *Silurus* carne eſt prædulci, teſtimonio *Plinii lib 9 hiſtor. nat. cap. 15* nec dura, nullis oſſibus, ſpinisve interſitis. *Silurus* enim recens in cibo nutrit,

& faci-

& facilem præbet alvum, ut notum ex *Diſcoride lib.2. cap.26.* Et *Diphilus* apud *Athenæum* dicebat Ἀςεῖον ὁ σιλυρισμὸς Cibus Siluri, res eſt valde urbana, ſeu lauta. *Acipenſer* vero etſi ſuas mereatur laudes, præſertim rarius appoſitus, carnem tamen duram, viſcidamque habet, quæ conſimilem humorem generet, difficilius concoquatur, tardiusque per alvum abſcedat, ut nec ægris, nec valetudinariis tutò offerri queat. Unde ſallitus pejor multo evadet, magisq; exuccus, ut de talismodi piſcibus *Galenus* docuit *3. d alim. fac. c.41.* Ut propterea quæ de *Siluro* tradidere diverſi authores, ad *Sturionem* applicari nequam poſſint. Quin potius *Silurus* is piſcis eſt, qui Schaidfiſch/ Wils aut Wels/ *Germanis* dicitur: namque magno validoque rictu eſt, corpore ingens, balænæ inſtar, qui tamen in *Trava* ac *Stecniſſa* fluviis modicis non raro capiatur: oculi illi ſubcærulei, caudam perpetuum fere agitat: corpus, præſertim tergus, lævore conſpicuum, quaſi oleo aut amurca olei perfuſum foret, ut retent⁹ brevi univerſū aqualiculi humorem inficiat atque turbet: caro admodum dulcis, ac grata, non dura, ſine oſſibus, excepta ſpina dorſi, quæ pro tanti piſcis magnitudine admodum exigua eſt: ad ſalliendum Sturione magis idoneus.

Salſamenta in his locis cottidie fere in cibum vulgò veniunt, confirmato tot ſeculis, ſed improbo, more. Quamvis enim authore *Diphilo Siphnio* apud *Athenæum lib. 3. pag. m 120.* ventriculum juvare, alvum ducere, appetentiam excitare poſſint; quocunque tamen piſcium genere confecta ſint, parum nutrire, exiguum ſuccum præbere, atque æſtuoſa eſſe ſolent, cum ἄτροφον τὸ ἁλμυρὸν dicat *Theophraſtus lib.6. de cauſ. plant. cap.14* Qua de re & C. *Celſ. l.2. de re med. cap 21.* omnem ſalſam carnem, omne ſalſamentum inter cibos mali ſucci reponit. Teneriores carnes atq; humidiores ſale funduntur & liquantur: quibus magis ad ſalliendum aptæ duræ ac viſcido nimioq; humore abundantes, quod Salis ignea vis humiditatem nimiam abſumat & exiccet: at ſiccæ natura carnes omnem alimentarium humorem ſallitura perdunt, atque corii ad inſtar indurantur, cujus generis ſalſamenta concoctu difficilia eſſe fatetur *Galenus lib. 3. d. alim. fac. cap.41.* An hæc eadem cum *Elephantinis ſalſamentis Cratetis* apud *Athenæum lib. allegato pag. m. 117.* ut cenſebat *Iſ. Caſaubonus* in hu-

Digitized by Google

in hujus libri comm. cap. 32. quæ Germani Stockfiſch vocant. Niſi *Salſamentum elephantinum* quis dicere malit cum *Dalechampio in notis præſentis loci* ex *Elephantio* piſce paratum: aut *Cratetis Elephantinum*, μέγα χος λαμπρὸν ἀπόνως παραβεβλημένον, ſalſamentum amplum, nullo labore, nullo ſcilicet apparatu, aut impenſa appoſitum, ex *Ariſtophane*, ab *Athenæo* citato, interpretetur. De magnis enim & ſimplicibus *Suidas* dici teſtatur Ἐλέφαντος οὐδὲν διαφέρεις. Ab elephanto nihil differs. Quo ſenſu accipit *Plautus in milite glor.* ſub perſonâ *Palæſtrionis*.

Herus meus elephanti corio circumtectus eſt, non ſuo,
Neq; habet plus ſapientiæ, quam lapis.

Sic *Auchenia, Clidia & Hypogaſtria* ex *Salmone* ὠμοτάριχα in *Suecia* hoſpitibus apponi aliquotiens audivi, quorum imitatione hypogaſtria ſalliti Salmoni in noſtra urbe quoſdã inter pocula appetere memini, robuſto & Struthionis æmulo ventriculo. Hoc certum eſt ſalſamentis durioribus ac vetuſtioribus, item vento fumiſque diu expoſitis, ut non niſi multo verbere, maceratione atque coctione poſtmodum emolleſcere poſſint, abſumi penitus alimentalem humorem, taliaque concoctu difficillima eſſe, contumaciſſimas obſtructiones, ſalſos atque aduſtos humores producere; ex quorum familiari uſu pertinaciſſimorum morborum numeroſa ſeries in his aliiſque vicinis locis ſuccreſcit. Salſamenta tamen recentia, noviterque ac parum infumata, ut guſtui non ingrata, ita ſine offenſione ſanitatis valentibus in cibum offerri poſſunt; ſalis enim fumique penetrante vi lentor nimiusq; mador in quibuſdam cibis deteritur: quemadmodum & recentia ſalſamenta vetuſtis, exemplo *Mugilis ſalliti*, antepoſuit *Galenus 3. alim. fac. cap. 25.*

Ὀστρακόδερμα, ut ea appellat Ariſtoteles, quæ teſtam pro cute habent, ſalſum ſuccum in ſe continent, qui alvum ſubducat, alia aliis efficaciorem: ex quibus pleraque difficilius concoquuntur, ut purpura, cochleæ, murices, buccinæ: pectines vere atque æſtate meliores, at concoctu difficiliores: quos, ſi in ſuis teſtis aſſentur, bene alere, minuſque alvum turbare *Xenocrates* docuit; imò ad rem veneriam expeditiores comedentes fieri conſtat, ſi vino, butyro, pipere, mace, præparentur. Oſtreæ inter omnia teſtacea carnem habent

Digitized by Google

molliſſimam; non abs re igitur alvum cæteris valentius ſubducunt, corpus imbecillum nutriunt; ut, cum reliqua teſtacea elixentur, oſtrea etiam citra elixationem mandi, ſcribat *Galenus lib. d. alim. fac. fac. adducto cap. 33.* In cœna Pontificali, à *Metello Pontifice Max:* deſcripta, oſtreas crudas, quantum vellent, item patinam oſtrearum appoſitam tradit *Macrobius lib. 2. Saturnal. cap. 9.* Et adhuc nimis familiare eſt quibuſdam lurconibus, oſtreas crudas pauxillo pipere conſperſas, aut etiam ſine condimento, comedere, mox vinum generoſiſſimum, quale malvaticum eſt, ſuperbibere, quod non tam cruditati oſtrearum emendandæ prodeſt, quàm quod lentum earum ſuccum in penitiſſimas venas trajiciat. Oſtreæ enim craſſum ſuccum viſcidumq; generant, authore *Galeno, d. ſucc. bon. & vit. cap. 4. Mneſitheus Athenienſis lib. d. edulii apud Athenæum lib. 3. deipnoſoph. pag. m. 92.* humidum alimentum præbere oſtreas, & ægre coqui, nec ad urinam ciendam facile permeare, *Julius Alexandr. 11. de ſalub. cap. 13.* oſtreas crudum ac pituitoſum ſuccum producere, voluit. Quod de crudis eſitatis potiſſimùm verum eſt; quæ in ventriculo pituiteſcunt ac cruditates pariunt, etſi ratione ſalſedinis alvum moveant. Namq; aſſæ & elixæ, abſumpto illo ſalivali humore, alvum mi. ſubducunt, & minus noxiæ aut moleſtæ cenſentur *Mneſitheo loco jam dicto:* quin & aromatũ adjectione ψόφοι, quorũ meminit, facile levantur. Hinc *C. Celſus lib. 2. de re med. cap. 24.* oſtreas inter ſtomacho idoneos cibos retulit, quas & alvum movere *ejuſdem libri cap. 29.* profeſſus. Nec obſtat eodem authore *cap. 28* facile vitiari. Cum enim ut jam dixi oſtreæ carnem teneram habeant, quod & fatetur *Ægineta lib. 1. cap. 92.* in ſtomacho, præſertim corruptis humoribus pleno, facile vitiantur: quod & ovis laudatiſſimo alioꝗ cibo contingit. *Nam quæ in confeſſo eſt, facile coqui*, inquit, *Iceſius apud Athenæum lib. 3. cap. 87. incommoda ſunt ventriculi affectui* (tali ſcilicet, in quo cibi facile corrumpuntur, ob calorem exurentem, ut explicat *Dalechampius in notis*: in quo & cibum duriſſimum, τραχήλους κηρύκων buccinorum, partem illam, nervoſam, duram, cui tanquam pedamento caro teſtaceorum innitur, Iceſius paulo ante commendaverat,) *quia parvo negotio ideo corrumpuntur, quod tenera ſint ac ſtatim diſſolvantur.* Confer *Galenum 3. alim. fac. cap. 33.* Quamobrem μήκωνες ſeu papavera

bucci-

buccinorum, quæ ſtomacho valentiori non conveniunt, debiliori ventriculo congruunt: quod de iiſdem tradidit *Athenæus lib.3.deipnoſoph.* authoritate *Diphili*. Dotes oſtrearum in medicina *Plinius* perſcripſit *lib.32. nat. hiſt. cap. 6.* quod ſtomachum unicè reficiant, faſtidiis medeantur, molliant alvum leniter, ob ſalivalem gratam ſalſuginem. Coctæ cum mulſo, teneſmo, qui ſine exulceratione ſit, liberant, veſicarum ulcera repurgant. Quo capite etiam contra leporis marini venena adverſari credidit. Si in conchis ſuis decoquantur, uti clauſæ pervenerunt, mire prodeſſe deſtillationibus ab eodem perhibetur. Ex quo repetit *Marcellus. Gariopontus lib.5.* oſtreas hydropicis dari jubet. Pleuriticam tabefactam oſtrearum crudarum eſu ſanatam refert *Ampliſſimus Vir, Dn. Nicolaus Tulpius*, medicus Amſtelredamenſis præcipuus, in raris ſuis obſervationibus *l.2. c.8.* Et ego ſancte teſtari poſſum, calidis & ſiccis, quibus ex immodico viſcerũ æſtu maraſmus imminere videbatur, magno prolubio, nec minore, adjumento, oſtreas crudas, nullis cum condimentis fuiſſe oblatas Oſtreas quoque partis, qua viri ſumus, torpidæ vigorem reſtituere, promptoſque ad aphrodiſia ſacra epulones reddere, vel vulgo notum eſt; non ſolum ob condimentorum piperis, macis, &c. incentivam vim, ſed etiam ob ſalivalis ſalſi humoris (qui à guloſis adeo expetitur, quo etiam recentes circumfluunt) gratam acrimoniam, ac lacteum ſuccum, ex quo concretæ videntur, quibus ſtimulos ignavis ſociis, materiemque exhauſtæ Veneri præſtari obſervatum Quæ *Seneca epiſtola 95.* adverſus oſtrearum bonitatem laudatam ſcripſit, *earum inertiſſimam carnem cœno ſaginatam limoſæ gravitatu quid inferre*, ut Philoſophus, qui luxuriem ſui ſeculi acriter perſtrinxit, dixiſſe videri poteſt: quamvis quæ in cœno repertæ, ut noxiæ à *Plinio, lib.32. nat. hiſt. cap. 6.* quemadmodum omnia alia in talibus locis degentia à medicis, damnantur.

Apud Romanos palma eduliorum illis tributa fuit, nec adhuc dum gloria earum exolevit, locis præſertim à mari remotioribus, ut meritoriis equis Venetiis Auguſtam, Ulmam, Viennam cum teſtis tranſportentur. Οςρακόδερμα & μαλακόςρακα tunc optima ſunt, cum gravida, ut docet *Ariſtoteles lib. 9. hiſt. anim. cap.30.* Vere, ut *Xenocrates apud Oribaſ.* aut ut *Plinius hiſt. natur. lib.32. cap.6.* autumat,

 circa

circa initia æſtatis, craſſiora expleta albo humore & lacteo. Oſtrace à Lunâ plena augeri, & maxime ſucculenta eſſe, Lunâ vero ſilente decreſcere, in confeſſo eſt omnibus, idemque refert *Oppianus lib. 5. d. piſcat. verſ. 590.* & *Horat. l. 2. ſerm ſat. 4.*

Lubrica naſcentes implent conchylia Lunæ.

Μαλακόςρακα, i. e. quæ cruſta intecta ſunt, ut aſtaci, cancri, locuſtæ, ſquillæ duritie carnis teſtaceis ſunt ſimilia, ſed minus ſalſi humoris obtinent, minusq; alvum movent, ut, ſi coquantur, ac ſuccum ſalſum in aquam depoſuerint. quemadmodum oſtreę alvum ſiſtant, ægreq; corrumpantur, atq; difficulter coquantur, ut illis, quibus cibus in ventriculo ob pravos humores corrumpitur, pro opſonio utiliter offerantur, ut ſentit *Galenus 3. alim. fac. cap. 34.*

Quos recenſui cibos, ex varia præparatione novam accipere qualitatem extra dubium eſt: quæ eo modo inſtituenda, ut inſtanti malignæ qualitati atque putredini ſimul adverſentur. Carnes coquantur cum acetoſa, acetoſella, endivia, ſpinachia, pimpinella ſanguiſorba, agreſta, limonibus, ſeminibus melonum, hordeo, aceto, roſmarino, ac cinamomi, caryophyllorum, macis, zingiberis & croci pauxillo. Carnes aſſæ ad ad luculentum ignem (nam quæ in clibano obſtructis fumabulis ſuffocato calore aſſantur *Avicennæ lib. 4. f. 6. tr. 2 cap. 11.* in exprobationem venere: quod choleram, diarrhœam, aliaque gravia ſymptomata producant,) irrigari ſucco limonum aut aurantiorum poterunt, qui & teneras faciet, & ignavum appetitum excitabit; præcipue vero malignæ putredini adverſabitur. Intinctus ſeu embammata fiant ex rob ceraſorum, ribium, berberum. Olivæ, cappares vino inebriati aſperſis paſſulis Corinthiacis, ferculis apponantur: cucumeres vero, quod ſuccū febribus malignis producendis promptum generent, à menſis excludantur. Piſces aſſi magis quam elixi conveniunt, ob nimiam humiditatem carnis: cui porro emendandę, ſucco citri vel aurantiorū irrorentur, aromatibusq; conſpergantur, ſed nec cappares illo fine rejiciuntur. Elixos vino, hinc ſale. butyro, aromatibus, ſucco & corticibus citri conditos, comedere ſaluberrimum: quamvis & ex aqua & ſale luculento igne coctos probeque deſpumatos, butyro & aromatibus additis, aut ſine his, cum embammate ex raphano ſylveſtri & aceto, quod illius nimiam acri-

Digitized by Google

acrimoniam hebetet, comedere heic familiare ſit: quod ſi embammati pauxillas amygdalas triras cum ſacchari modico immiſcere placeat majori gratia illud adblandiri ſolet.

Allium & cæpa condiendis cibis quibuſdam adhibentur, quæ à *Gal. 2. d. cauſſ. ſymptom.* inter acria & prava alimenta referuntur, quod & *1. d. diff. febr. cap. 3.* ab eodem factum, ut eam ob rem uſum horum in cibis, præſertim copioſum, improbandum cenſeam, nimio eorum calore incenſis humoribus. Pauca tamen quantitate, alexipharmaci inſtar, allium interdum offerri in conſuetis permitto; quod hujus vis alixteria commendata ſit à *Galeno 6. in 6. epid. comm. 5.* qui etiam *12. m. m. cap. ult. allium theriacam ruſticorum* vocat. *Dioſcorides lib. 2. c. 146.* allium contra viperarum, hæmorrhoidis, canis rabidi, morſus laudat. *Plin. l. 20. c. 6.* ſerpentes & ſcorpiones abigere odore, beſtiarum omnium ictibus mederi; adverſus hæmorrhoidas, muris aranei morſus, aconitum pardalianches hyoſciamum, canum morſus, potu, vel cibo, vel illitu auxiliari, *Avicenna lib. 2. tr. 2. cap. 74.* allium adverſus ictus ſerpentum, morſum canis rabidi, & *eodem libro cap. 122.* cæpas adverſus venena commendat: quod de utroque confirmat *Avicenna lib. 4. fen. 6. tract. 4. cap. 9.* Quin & adverſus veneficia & incantationes allium veteribus celebratum. Unde *Perſius ſat. 5. in fine,*

Incuſſere Deos inflantes pectora, ſi non
Prædictum ter mane caput guſtaveris alli.

Μώλυζα enim *Hippocratis* nihil aliud eſt, quàm *allium capitis ſimplicis, nec in ſpicas diviſum,* ut docet *Galenus in exegeſi dict. Hippocrat.* unde μώλυζαν σκορόδου ἀποξέσας, caput alli deraſum, explorandæ fœcunditati, matrici inſeri jubet *Hippocrates lib. 1. d. morb. mul.* Μώλυζαν vero dictam quoſdam μῶλυ appellaſſe idem *Gal. in exegeſi* fatetur: an quod eoſdem cum famoſo *Homerico moly* in expiationibus effect⁹ haberet? namque & à *Vegetio art. veterin. lib. 4. c. 12.* allium in ſuffumigium ad abigendos dæmones & larvas receptum; vaniſſimâ ſeculorum iſtorũ perſuaſione, immundiſſimos ſpiritus fœtidarũ aliarumve rerum ſuffitu arceri, & cætera invictos hoſtes, queis ferrum ſtipula eſt, ut *Jobus cap. 41.* loquitur, inani certorum verborum recitatione ac ineptis characteribus, quibus aliquando ſe aſpelli ſimulant, ligari: cũ precib⁹ & jejunio tantum oppugnari poſſint. *Ita fraus in parvis ſibi*

Digitized by Google

fidem præſtruit, ut poſtea mercede cum magna fallat monente *Fabio apud Livium lib.28.cap.42.* Sed ut, quo digreſſus, redeam. *Suidas & Galenus 7. med. ſimpl.* rutam ſylveſtrem moly appellant: quam & *Dioſcorides 3. d. re med. med. cap.46. Cappadoces moly* vocare teſtatur: quoniam radice nigra, flore candido, quandam cum moly habeat ſimilitudinem.

Apud antiquos famoſum ciborum condimentum *garum* fuit, quod ex interaneis piſcium, cæteriſque quæ abjicienda eſſent, ſale maceratis conficiebatur, ut ſit illa putreſcentium ſanies, teſte *Plinio lib 31. hiſtor. natur. cap.7. in fine:* hodie fere ignotum, ut fatetur *Jul. Cæſar Scaliger exerc. 303. ſect. 3.* neque enim *Caviarum* vulgò dictum, quod magnis cadis ſolidum aſportatur in Italiam; *Garum* eſt; quod garum exquiſiti liquoris genus ſit *Plinio*, adeoque congiis venum datum, ac tabeſcentibus equis, quatuor ſextariorum, aut etiam congii menſurâ eliciendæ pituitæ naribus infuſum, præcepto *Columellæ lib.6. de re ruſt. cap 33.* Sic *Dioſcorides lib.2. cap.32.* garum appellat, quod ex piſcibus carnibuſque liquamen eſt, quod & ex *Conſtantino* notavit *Scaliger exerc. 292. ſ. 3.* ac molle parari. *Caviarum in Taurica Cherſoneſo* cenſet, quod aut veterum garum ſit, aut ad ejus exemplum factum. Eſt enim ex ovis, non ex inteſtinis cujuſdam piſcis, quem *Loſar* illi nominant. *Garum* olim ex piſce, quem *garum* vocabant, paratum, authore *Plinio loco citato*; poſtea è *ſcombro* piſce, laudatiſſimum in Carthaginis ſpartariæ cetariis, *eodem teſte cap. 8.* item *Athenæo lib. 3. Strabone lib. 3. Seneca epiſt.95.* Socii autem ſcombri dicti fuere, ob carnis vilitatem, & quod ad nihil aliud utiles eſſent, niſi ad garum: unde & ſociorum garum appellatum *Plinio lib.31. hiſtor. nat. cap.8.* Et *Seneca loco dicto. Quid, illud ſociorum garum, pretioſam malorum piſcium ſaniem, non credis ſalſa tabe urere præcordia?* Et de *Apicio* ex *Plinio lib.9. cap. 16.* jam retuli, mullum in ſociorum garo necari, cum præcellens putaſſe. Cœpit tamen garum etiam ex aliis parari, docente *Plinio, ex apua,* ex *lupo* apud *Forojulienſes*, ut tranſierit deinde in luxuriam, creveruntque genera ad infinitum; ſicuti garum ad colorem mulſi veteris, adeoque dilutam ſuavitatem, ut bibi potuerit. Imo alex pervenit ad *oſtreas, echinos, urticas, cammaros, mullorum jocinora.* Innumeriſque generibus ad ſaporem gulæ

cœpit

Digitized by Google

cœpit ſal tabeſcere. Ex *thunnis* paratum fuiſſe ex *Manilii ſequentibus verſibus lib.5. p. m. 134.* apparet.

Hinc ſanies pretioſa fluit, floremq; cruoris
Evomit, & mixto guſtum ſale temperat oris.

Pretioſam ſaniem merito vocavit Poeta, item *Seneca loco citato*, quod *Martialis lib. 13. epigram. 79. nobile*, & *epigram. 99. faſtoſum garum* appellavit; ſingulis millibus nummûm permutantibus congios pene binos, ut narrat *Plinius*, non in illis primis naſcentis Romani imperii temporibus, (tum enim gari deſideria in exprobatione fuere, ut idem aſſeruit *lib.19. cap 4.*) ſed quando

Orbem jam totum victor Romanus habebat,
Qua mare, qua terras, qua ſidus currit utrinq;.

Ex acipenſere & ſalmone hodie laudatiſſimum *Caviarum* paratur in *Moſchovia*, grandibusque cadis in *Italiam* aliaſque regiones defertur, magnis *Magni Ducis Moſchoviæ* inde vectigalibus.

Galenus noſter gari uſum non improbavit, namq; ut alia plurima loca prætеream *2. alim. fac. cap. 52. ſmyrnium* comedi crudum & coctum cum *oleo & garo, remixto vino & aceto*, item *bulbos ex aceto oleo & garo lib. dicti cap. 66. ari radices* aquæ cum ſinapi & aceto incoctas cum *oleo & garo cap. 63. & cap. 70. radiculam* cum *garo* alvi dejiciendæ gratia, *cap. 38. citri partem, mediam* inter acidam ſubſtantiam & corticem exteriorem, cum *aceto & garo*, ut ſaporis hebetudinem acuant, commodè parari, ſcriptum reliquit: ſic *3. alim. fac. cap. 39.* ex *vino & garo* piſces frixos apponi traddidit, ſed aſperſo pipere, quo melius coquantur, rurſusque excernantur. Et *Cælius Apitius in libris de re culin.* diverſos cibos liquamine, aliisque condimentis præparare docet. *Oribaſius lib. 4. collect. cap. ult. in fine malvam* ex *oleo & garo* coctam, comeſam omnium olerum accommodatiſſimam ex *Antyllo* refert. Et apud *Martialem lib. 7. epigr. an 27. aſſando apro*

coquus ingentem piperis conſumet acervum,
Addet & arcano mixta Falerna garo.

In convivio lautiſſimo *Trimalcionis* apud *Petronium in ſatyr.* circa angulos repoſitori ex quatuor *Marſyarum* utriculis *garum piperatum* currebat ſuper piſces, qui in Euripo natabant. *Piperatum* vocabat *Petronius*

tronium, namque condiri ſolitum aromatis aliiſque notat *Joh. à VVeryveren in loci hujus comm.* idque ex *Galeno 3. alim. fac. cap.30.* conſtat, & *3. d. facile parab. Galeno adſcripto text.134. confectio gari Joachi martyropolitæ* oppido demonſtrat. *Oxygarum*, quotidianis uſibus commodum, *Columella lib.12.d. re ruſt. cap 57.* & *Calius Apitius lib.1. de re culin. cap.3. œnogarum* ſive *Elæogarum* in tubera, & *cap. 6. Oxygarum* quomodo paretur, deſcribit. Sed gari ſuus etiam in medicina uſus: namque, ut alias ejus dotes, à *Plinio* recenſas, taceam, garum facultatem habet multum calidam & ſiccam, ac proinde ex eo medici quidam ad ulcera uſi ſunt putreſcentia: qui pariter dyſentericis iſchiadicisque illud injiciunt, teſtibus *Galeno 11. ſimpl. in fine*, *Ægineta lib.7. Aetio lib. 2 cap.148.* Et ſupra ex *Columella* retuli, eliciendæ pituitæ garum naribus equarum infundi. *Paræus lib.21. de peſte cap.25.* in peſte *garum* commendat *encraſicholorum*: quod putredini corrigendæ & edomandæ nihil magis ſit accommodatum, quàm garum, vi aſperſi ſalis ad ſolem fuſa liquataque ſubſtantia. Cujus præparationem ex *Rondeletio* proponit *Ulyſſes Aldrovandus lib. 2. d. piſc. cap. 33.*

Vitium gari Alex eſt, imperfecta nec colata fæx, ut cenſet *Plinius lib.31. nat. hiſt. cap.8.* Et alex pervenit ad oſtrea, echinos, urticas, cammaros, mullorum jocinora: quemadmodum Apicius ex mulli hepate alecem excogitare provocavit: cujus præparationem ſupra ex Galeno jam docui. *Horatius lib.2. ſerm. ſat.4. alec* à *fæce* diſtinguit

——— ego fæcem primus & alec,
Primus & inveni piper.

ut inde ſatis conſtet, *garum, alec, fæcem* iiſdem ſalliſturis piſcium provenire: quorum garum maximi pretii, alec minoris, fæx minimi æſtimata. Noſtri enim *harengi* non ſunt veterum aleces: quamvis *mænam Ariſtotelis lib.6. hiſtor. anim. cap.17.* & *9. hiſt. anim. cap. 30.* alecem *Theodorus Gaza* interpretetur, piſciculum à noſtris harengis longe diverſum, ut ex iis locis, quæ de mæna illic tradita fuere, lector cognoſcere poteſt. Sic & *Columella lib.9. Datur rivalis alecula, vel ſi qua ſunt incrementi parvi fluviorum animalia*: namque harengum pelagium eſſe piſcem, nec dulces pati aquas, imo nec in Italiâ capi, certum eſt. Sale tamen aleculas olim conditas fuiſſe, ex eodem *Columella* liquet *lib.8. cap.12. Itaq. præberi convenit tabentes aleculas, & ſalibus*

Digitized by Google

bus exeſam chalcidem, Sale enim minutos piſces tabeſcere & fere liquari ex ſallitura piſcium notum: quemadmodum *halec Iſidoro l. 12. orig. cap. 6. piſciculus eſt, ad liquorem ſalſamentorum idoneus, unde nuncupatus*. Ut ex hoc piſce ejuſdem nominis liquamen, (quemadmodum ex diverſis piſcium generibus garum,) olim paratum, ſed vilioris æſtimationis fuiſſe, veriſimile cenſeam.

Parcior ſit *oryzæ* uſus, ſed & *leguminum*, ut *ervorum*, *fabarum*, *lentium* ſuſpecta ſunt edulia. Ex *amylo*, *hordeo* excorticato, *avena* mollita, pultes paratæ admittuntur. *Acetaria* ex *acetoſa*, *acetoſella*, *lactuca*, *aſparagis*, & *turionibus* ſeu *aſparagis lupuli* ſanguini recentando apponuntur. *Scolymos*, ſeu *carduus eſculentus*, flatus parit, & ex jure coctus, aromatibusq; conditus, ſaporem ac gratiam habet, rei Veneriæ confert, bulbisq; præfertur.

Inter ea, quæ temere manduntur, *fungos* merito poſuerim, qui familias integras aliquando interemere, *Anneum Serenum*, *Præfectum Neronis vigilum*, & *tribunos ac centuriones* memorante *Plinio l. 22. nat. hiſt. cap. 23.* Namq; largius ſumptos ſtrangulare, aut choleram excitare prodidit *Dioſcorides lib. 4. cap. 78.* Confirmat *Ægineta lib. 5. c. 55.* fungos integros ſumptos ſtrangulatus, laqueis ſimiles, inducere. *Galenus 6. in 6. epid. comm. 5.* fungorum eſu glutinoſos ſuccos generari, & *Oribaſ. l. 3. Synopſ. cap. de antidot.* ab eſu fungorum ſtrangulatos quoſdam, ait, qui convenientibus uſi medicamentis ſuccum pituitoſum craſſiſſimumq; evomuerunt: quod ex eſu fungorum Amanitarum accidere obſervavit *Palladius Sophiſta 6. in 6. epid.* an 45. Idemq; exemplo *boleti*, fungorum alias maxime innoxij, *Galenus alim. fac. l. 2. c. 69.* probat: eo enim non ſatis elixo, atq; copioſe accepto, os ventriculi in quodam preſſum, coarctatumque vidit, difficili reſpiratione, animi deliquio, ſudore frigido, conſectariis, ut epulonem hunc vix ſervare potuerit, iis datis, quæ craſſos humores incidunt. Alimentum enim, quod ex ipſis boletis venit, pituitoſum, frigidum, praviq; eſt ſucci, ſi quis largius illis utatur, teſte *Oribaſ. lib. 2. collect. cap. 25.* ut & Galeno, qui in hiſtoria adducta vomitu rejectos boletos jam quodammodo in ſuccum pituitoſum, frigidumq; admodum, ac craſſum tranſmutatos fuiſſe refert. Ut ſatius multo æſtimem, neq; hos neq; alios fungos attingere. Extat de boletis ſapientiſſimi *Senecæ judicium Ep. 95. Quid, tu illos boletos, voluptarium venenum, nihil occulti operis*

Digitized by Google

juſticias facere, etiamſi præſentanei non fuerant? Quæ voluptas tam ancipitis cibi? Et tamen *boletus, portentum naturæ*, Romanorum luxuria in ganeam verſus, ſummoq; in honore fuit, unde *Juvenalis ſat. 6.*

Vilibus ancipites fungi ponantur amicis,
Boletus Domino, ſed qualem Claudius edit.

Martialis in xeniis 45.

Argentum atq; aurum facile eſt lænamq; togamq;
Mittere, boletos mittere difficile eſt. Et alibi
Sunt tibi boleti, fungos ego ſumo ſuillos.

Boleti, quibus *Claudius Cæſar* libenter veſcebatur, in crimen adducti, veneno iis infuſo ab *Agrippina*, *Claudij* conjuge, ut in ſuis hiſtoriis teſtantur *C. Tacitus lib. 12. annalium*, *Plinius loco jam allato*. Boletus cervinus non eſtur, ſed medicamentoſus eſt, venenis adverſus, ad ignaviã veneriam, lactis defectum, aliaq; à *Matthiolo lib. epiſt. 3. epiſt. ad Julium Moderatum, pro peſtis alexiterio à Thoma Jordano de peſtis phænom. tract. 3. cap. 9.* propoſitus. De quocunq; tamen ciborum genere, eorumq; vario apparatu, apprime mihi placet *Epicuri*, maximi Philoſophi, ſententia, à *Diogene Laertio lib. 10. de vit. Philoſoph.* notata, quam hoc loco apponere placet, ut videat lector, quam injuſte tantus vir vapulet, & quantum à ſuo Præceptore deſciverint diſcipuli! *Simplicibus*, ait, *non magnificè paratis cibis aſſueſcere, & ſalubritatis eſt, & hominem ad vitæ uſus neceſſarios impigrum reddit, ac ſplendidis, ſi per intervalla ſumantur, nos commode aptat, atq; adverſus fortunam interritos facit.*

Panis ſit triticeus, aut ex ſiligine & tritico confectus, qualis cottidianus noſtris civibus eſt, à furfuribus mundatus, probe fermentatus atq; coctus.

Secunda menſa, ut bono ſtomacho non nocet, ita in imbecillo coaceſcit teſte *C. Celſo lib. 1. cap. 2.* Qui volet, cydonia, meſpila, ſorba, pyra moſchatellina à cibo accipiat. Cæteroquin fructuum eſus parcior ſit, ex quibus ceraſa amaræna, ribes, reliquis præferuntur. Fraga tuto eduntur æſtivis caloribus, maxime ante cœnam; namq; poſt cibum comeſa, ob longam in ventriculo moram, corrumpuntur. Quod ſi aer inquinatus ſit, populari jam lue, cum *Rhaſe l. 4. ad Manſ. c. 21.* fructibus oleribusq; illo tempore natis abſtinendos velim homines; quod talia aeri corrupto dudum expoſita receperint labem quandam, eamq; comedentibus communicent; unde & infecto aere naſcen-

Digitized by Google

naſcentia plerumq; corrumpi, aut bonitatem conſuetam necquicquam obtinere ſolent, quod tempore ſæviſſimæ Patavinæ peſtis à me obſervatum.

Potus ſit vinum: hoc enim omnibns venenis contrarium eſt, ut ſentit C. *Celſus l. 5. d. remed. tit. curat. adverſus rab. can. morſ.* & *tit. remed. gener. adverſus omnia venena. Hippocrates* quoq; *6. epid. ſ. 6. text. 5.* inter maleficorum remedia *vinum* collocat. *Dioſcorides l. 5 d. mater. med. c. 7. contra aſſumptam cicutam, coriandrum, pharicum, ixiam, meconium, argenti ſpumam, taxum, aconita, fungoſve, contra ſerpentium morſus, & omnium ictus, quæ refrigerando necant, aut ſtomachum in vomitiones effundunt, vinũ commendat.* Quę ratio eſt, cur in pleraſq; nobiliſſimas *antidotos, theriacam, mithridatium,* & alias, *vinum* aſſumatur. Sed *vinum album atq; tenue ſit, ἀμεθύειον,* ſeu inerticulum, quod *Hippocrates* ὀλιγοφόρον vocat, nec multam aquæ mixtionem, ſi diluatur, perferre poſſit, ut explicat *Galenus l. 7. meth. med. c. 6.* Hoc enim natura tenuiſſimum, ac modice calidũ, urinas movet, concoctionem juvat, nec igneo calore caput ferit. Nigrum vero, expers dulcedinis adſtringit & alit plurimũ: quod vero ſubdulce eſt, copioſius alimentum ſuppeditat, quam ullum ex albis vel gilvis; ſed circa præcordia moratur teſte *Athenæo l. 1. deipnoſoph:* Ut hinc vulgi noſtratis error eluceſcat, *vinum Luſitanicum,* nigrum, auſterum & adſtringens ſcorbuto mederi credentis; cum crebriore uſu viſcerum obſtructiones potius efficiat. *Vinum nigrum Homerus odyſſ. T.* αἴθοπα vocat, nigrum vel accendens, ἀπὸ τοῦ αἴθοπος χρώματος à nigro colore, vel ἀπὸ τοῦ αἴθειν, quod accendat & calefaciat, ut mavult *Gellius lib. 17. noct. Att. c. 8.* & *Macrobius lib. 7. Saturnal. cap. 12. Vinum κιῤῥὸν ſeu gilvum* albo ſiccat vehementius, & magis concoctionem juvat, teſte *Mneſitheo apud Athenæum.* Vino Rhenenſi palma in his locis tributa, modo non peregrinis vinis adulteratum, aut uvis acidis, immaturis, aut corruptis paratum fuerit: Nec vina Gallica improbantur; ſi boni vini notas obtineant; quib⁹ ex frigida cauſſa catarrhoſi ſalutariter pro potu utuntur. Quod ſi ceraſa, baccæ ribium, rubi Idæi, berberum, vino immittantur, ſingularem ſaporis gratiam iiſdem communicare ſolent, ut, æſtate præſertim, adverſus luis malignitatem prodeſſe poſſint. Familiare apud nos eſt *vinum helenites,* ab *Helena* ita dictum, aut ab *Helena* inſula, in qua Paris adulteriũ commiſit, quod ex lachrymis *Helenæ helenium* prognatum ſit, de quo

 plu-

plura *Nicander in Theriacis*, aut quod *in Helena* inſula copioſum optimumq; naſcatur, *Dioſcor. l. 5. c. 44.* & *Plinio l. 14. c. 16. nectarites* appellatum, quod omnem triſtitiam animo exulare faciat, teſte *eodem lib. 21. cap. 21.* inſtar *Nepentheos Homerici lib. 4. odyſſ.* quo *Helena* maritum ſuum & *Telemachum* hoſpitem exhilarare cupiens, uſa dicitur: namq;

—— —— —— εἰς οἶνον βάλε φάρμακον, ἔνθεν ἔπινον,
Νηπενθὲς τ' ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων
—— —— —— *in vinum miſit pharmacum, unde bibebant,*
Abſq; dolore & ira, malorum oblivionem inducens.

Quamvis de *Ægyptio Helenio* à *Dioſcoride lib. 1. cap. 21. Plinio lib. alleg: cap. 10.* deſcripto, locus *Homeri* intelligi potius debeat, ut conjectare licet ex *Theophraſto lib. 9. hiſtor. plantar. cap. 15. Homerus* certe herbas Ægyptias à Regis uxore traditas ſuæ Helenæ plurimas narrat, ac nobile illud *Nepenthes, oblivionem triſtitiæ veniamq; afferens: ab Helena utiq; omnibus mortalibus propinandum:* ex quo repetunt *Theophraſtus libro allegato, Plinius lib. 25. nat. hiſt. cap. 2.* Noſtratis tamen Helenij vis adverſus veneficia, ut cæteras ingentes dotes ejus taceam, pariter comperta eſt; ut vini ejusdem poculum jejunis, præſertim temperamento cœlique conſtitutione frigidis, ſalutariter detur. *Vinum abſinthites* quod ſalutare contra peſtilentiam ſit, & ſtomacho proſit à *Palladio Soph: in lib. d. re. ruſt.* ubi de menſe *Octobri* agit, eodem fine laudatum, quod à jejunis & ineunte paſtu commode bibitur.

Cerevifia, οἶνος ἐκ τῶν κριθῶν vinum ex hordeo, ut appellat *Dion Academicus* apud *Athen. lib. 1. Deipnoſoph. Herodotus lib. 2.* Ἐκ τῶν κριθῶν καὶ τῶν πυρῶν *ex hordeo & tritico* ut *Theophraſtus lib. 6. de cauſ. plant. cap. 15.* quo Ægyptij familiariter utuntur, & *Zythum* appellant, *liquor ex hordeo in ſpeciem vini corruptus*, ex mente *C. Taciti lib. d. vita & mor. Germanorum*, noſtris hominibus familiaris, ſit bene cocta, defæcata, non tenuis aut potens, nec recens nimium, aut veſtutate acida ac corrupta. *Raceburgenſis* ſaluberrima, ob aquam illimem, *Hamburgenſis* item *noſtra* alba craſſiores ſunt, multumque fæcum permixtum habent: quas multo intervallo poſt ſe reliquunt *Zerveſtana, Embeccenſis:* quemadmodum & *Hannoverana, Goslarienſis, Roſtochienſis* innoxiè bibuntur. *Bardenſis*, æſtate palato grata, ob cruditatem ſuſpecta, ſed commixto vino emendatur.

Som-

Digitized by Google

Somnus & vigilia, ſi modum excesſerint, damnantur ab Hippocrate *lib. 2. aph. 3.* quod ut in morbis perpetuo verum eſſe obſervatur: ita & ſanitatis tempore certa, pro cujusq; individui conſtitutione, periodo finiuntur: ultra quam alterutrum ſi differatur, variis morbis πρόφασιν inde ſubnaſci non raro videmus. Quæcunq; n. teſte *Ariſtotele l. de ſomno ac vigilia* munia aliqua naturæ obeunt, ſimul ac temporis modum exceſſerint, in quantum ſufficere operi poterant, laſſeſcant, ſuccumbantque, & à muneribus quæq; ſuis deſiſtant, oportet. Somno moderato, revocatis intro ſpiritibus, concoctio adjuvatur, vires deperditæ refocillantur: quod ſi ille nimius ſit, excrementa intus reſtagnant, (quod vis expultrix ſomno fere ceſſet,) corpus quoq; pigrum, atque iners, ác ſubtumidum redditur. Sic & vigiliæ ſpiritus humoresq; ad ambitum corporis effundunt, ac ad negotia promptos & expeditos efficiunt: quin & ſomno collecta ſuis quæque partibus excrementa expurgant. Quod ſi modum excedant, ſpiritus humoresq; accenduntur, & conſumuntur: Unde palleſcere tales, oculos cavari, coctionem turbari, aliarumque facultatum actiones lædi, atque manifeſto depravari, contingit.

Motus corporis calorem innatum excitat, teſte *Galeno 2. ſan. tuen. c. 9.* eumq; per exteriora diffundit, alimentorũ diſtributioni & excrementorum evacuationi confert, articulos firmat, *l. 1. ſanis. tuen. c. 14 5. in 6 epid. text. 10.* atque longam adoleſcentiam reddit *C. Celſo lib. 1. cap. 1.* jejunos vero exercere convenit, ut vult *Gal. 2. ſanit. tuend. 2.* & *apud Oribaſ: lib. 6. collect. cap. 12.* expulſis prius excrementis, quæ vel in veſica, vel inferioribus inteſtinis continentur: periculum enim eſt, ne quid ex his in habitum corporis rapiatur, correptum videlicet vi caloris, quem accendit exercitatio. A cibo ſuſceptus motus validior cruditatem parit, cibum nondum alteratum in venas interiores præcipitat, variisque offenſis corpus diſponit. Si qua enim cruditas ſubeſt, omnino non eſſe exercitandum *Galenus præcepit 3. ſanit tuend. cap. 12.* Terminus vero omnis exercitij ſit ad mutationem caloris uſque, loco ab omni contagij ac corrupti aeris ſuſpicione libero: aere enim infecto commoranti parcior ſit motus, ne, dilatatis poris corporis, ſeminaria morbi ſimul intro rapiantur. Genera exercitationum varia ſunt: quorum aliquod, pro conditione ſuæ vitæ, vario

dilectu, ſuſcipere quis poterit: Quemadmodum plerorumq; effectus *Gal. lib. de ſanit. tuenda Oribaſius lib. 6. collect. ex Antyllo* luculenter perſcripſerunt. Quies refocillandis viribus ut maxime commoda, ita ſi longo nimis tempore continuetur, calorem hebetat, cruditates & obſtructiones parit, hominemq; ignavum, & ad graviora negotia ſubeunda ineptum efficit: quemadmodum è contra immodicus labor humores, ſolidaque corporis, fundit, abſumit, viresque admodum fatigat.

Excreta & retenta ut non raro alios morbos cauſſantur, ita ſuſcipiendæ huic lui corpora diſponunt, ſi, quæ retineri conveniebat, præter naturæ legem excernantur; aut, quæ excerni debebant, intus remorentur. Alvus itaque cibis analoga ſit, & ſemel aut bis quot diebus exoneretur: quæ ſuppreſſa enemate aut ſuppoſitorio aperienda, aut *juſculo prunorum Damaſcenorum, uvarum paſſarum, cui ſyr. roſ. ſol. fl. perſicorum, vel mannæ, Caſſiæ, tamarindorum, cremoris tarari* quid remixtum ſit, ſolvenda: quod tamen paulo ante prandium exhibendum, ne natura pro nutritione illô abutatur. Urinæ ſi intus reſtagnent, juſculis ſemina melonum, aſparagi, turiones lupulorum, Rad. Petroſelini, Fœnic. Myrrhid. Baccæ Juniperi, incocta, fluxum urinæ pigriorem provocare ſolent. Sudor, præſertim qui in lecto, balneo, aut ab exercitiis jejunis per intervalla erumpit, relicta tertiæ coctionis excrementa reſolvit ac conſumit, qui linteolis calidis diligenter abſtergendus: à quo nec ſubito ſe aeri frigidiori, nec infectis locis temere ſe committat, ob metum facilis infectionis, ut patet ex *Avicenna lib. 4. f. 1. tract. 4. cap. 1. in fine.* Pariter reliquiis tertiæ coctionis diſcutiendis conferent frictiones univerſi corporis deorſum factæ: Caput pectine diligenter mundari, aurium ſordes auriſcalpio vacuari poſſunt: ſcreatu, tuſſi, narium emunctione, mucus collectus excernitur. Menſes intercepti, aut parcius fluentes, mariſcæ præter ſolitum obſtructæ, aut ſi aliis partibus venæ ſanguinem fundere conſueverunt, ſuis quæque remediis reſerandæ. Qua ratione nec fonticulos, ſcabiem diuturnam, ulcera diuturna aliis temporibus ſaneſcere conſultum arbitror: quod hinc quaſi per elices quosdam prava & noxia materia, fomitem maligno morbo datura, continuo effluat: ut tales à contagio peſtilentium morborum maxime

are immunes vixiſſe, aut minore periculo iisdem correptos, facilius-que inde eluctatos fuiſſe, videmus.

Ex adverſo ſi ultra modum evacutiones fiant, ſuis cohibendæ remediis, ne imbecillitatem corpori, atrophiam, tabem aut hydropem, pro varia cujuſque corporis diſpoſitione, introducant. *Veneris* uſum *Epicurus*, ſummi ingenij Philoſophus, damnaſſe dicitur *Galeno 3. epid. ſ. 3. comm: 4.* item *art. med. cap. 86.* & apud *Oribaſium lib. 6. collect. cap. 37.* quod abſolute ab eodem factum fuiſſe, perſuaderi nequeo, ſed ſummi boni ratione, quod in voluptate conſiſtere dixerat, non corporis, quæ in guſtu & ingluvie, aut venere ſit poſita, ſed animi, cujus tranquillitatem, *εὐθυμίαν & εὐεστὼ Democritus* appellat apud *Diogenem Laert. lib 9.* in corpore ſano cunctis antepoſuit, ut patet ex *Epicuri epiſtola ad Menicæum* apud *Diogenem Laertium lib. 10. de vit: Philoſoph:* Cæteroquin *idem in ambigun & in Libru de natura, uxorem ducturum ac liberos precreaturum ſapientem*, dixit. Unde *Petronius in ſatyr.* de re veneria differens ait.

Ipſe Pater veri, doctuq. Epicurus in arte,
Juſſit, & hanc vitam dixit habere telos.

Venus autem illa ſalutaris cenſetur, quæ modo ac tempore opportuno exercita, ut neq; reſolutio ulla inde percipiatur, & homo ſeipſo lévior factus melius reſpirare videatur: namq; plenitudinem vacuant res veneriæ, corpus agile reddunt, ad incrementum promovent, & magis virile efficiunt: animo vero id præſtant, ut impeditam vim rationis explicent, iramq; nimiam cohibeant: Ideo fit, ut melancholicis, ſi quid aliud, accommodatiſſimo ſint remedio, ut docet apud *Oribaſium Ruffus Ephefius lib. 6, collect. cap. 38.* (quem inter recentiores optime de melancholia ſcripſiſſe fatetur *Galenus lib. d atra bile cap. 1.*) item *P. Æginetа l. 1. d. re med. cap. 35 Galenus 6. loc. aff. cap. 5. Avicenna lib. 3 fen. 19. tract. 1. cap. 10. & 11.* & *prim: part. cantic. tract. 1. text. d. reb. non natur. 5.* & de remov: nocum: tract 1. cap. 2. Nec ſiluit Hippocrates *6. vulg. ſect. 5. text. 23.* rerum veneriarum in pituitoſis morbis utilitatem. Quarum commoda & damna locis adductis memorati authores retulere. Rarior tamen ſit hoc tempore veneris uſus: Quod illa utentes facilius inficiantur, ut obſervarunt *Galenus lib. 1. d. diff. febr. cap. 6. Avicenna lib. 4. f. 1. tract. 4. cap. 1.* An ob debi-

debilitatem? cujus ſimilem aliæ non afferunt evacuationes, ut loquitur *Avicenna lib. 3. fen. 19. tract. 1. cap. 11.* quod illius uſu ſpirituum ac laudatiſſimi ſanguinis copia abſumatur, minusque laudati humores regenerentur, ut propterea potentiſſimis veneni actionibus corpus minus reſiſtere queat: cum omnibus morbis obnoxia maxime infirmitas ſit, docente *C. Celſo lib. 1. cap. 3.* An quod, crebrâ venere inanitis membris genitalibus, hæc potentiſſime toto corpore ad ſe ſanguinem ſpiritusque alliciant? Quibus venæ arteriæque deſtitutæ, atque attrahendi cupidiſſimæ, aerem illique permixta *νοσηρὰ μιάσματα*, recipiunt. Cum & frequenti veneris uſu corpora rareſcere, atque propterea infectum aerem facilius admittere, veri ſimillimum videatur.

Animi affectus ita comparati ſint, ne vel ſollicitudo animum excruciet; neu pavor mentem percellat; aut furoris æmula ira ſanguinem humoresque accendat: iſtâ enim, corruptis humoribus, malignę febri ſubſterni fomitem, atq; abſumpta ἐκλάμψει ſpirituum corpora minus reſiſtere; illô, prævia jam diſpoſitione ſubjectorũ, in peſtilenti conſtitutione peſtem purpuratamq; febrem ſubito aliquando erumpere; hac intus collectum purpuratæ febris fomitem ſuccendi contingit. Quin ruſticatione potius, ſuavibus ac amicis colloquiis, (quod in truculentiſſima *Florentina* peſte *Boccacium* feciſſe ex ipſius *Decamero* conſtat) muſica, aliisque inventis lætitiæ tempus hilariter tranſigendum: Quod lætitiâ mentem noſtram recreari videamus, ut ſpiritus, proximum animæ inſtrumentum, quoquo verſum per corpus ſe diffundere, illudq; illuſtrare, partes ad functiones obeundas promptas & expeditas reddere, atque adverſus fortuitos contagij inſultus, poſt Dei benignitatẽ, efficaciter conſervare poſſint. De *Thalete* refert *Plutarchus lib. de Muſica* prope finem, cum *Appollinis* oraculo à *Lacedæmoniis* accitum, muſica peſtem graſſantem ſedaſſe. Et *Homerus* Græcos peſtem muſica depuliſſe refert: Per quam *Mercurialis lib. d. peſte cap. 22.* ſpem, gaudium, quibus animi hominum exhilarari poſſunt, intelligit. Quare quod Poeta ſuadebat *lib. 2. carm. ode 16.*

——Lætus in præſens animus, quod ultra eſt,
Oderit curare, & amara læto
Temperet riſu.

Conta-

Contagij etiam maxima habeatur ratio, ne commercio infectorum lues quaſi per traducem propagetur. Itaque quantum licet, publica conventicula vitanda, quod in iis ſeminaria morbi vel inſciis aliquando communicentur: quo magis loca ab infectione ſuſpecta declinanda, nihilque eorum contrectandum, quibus ægrum uſum fuiſſe conjectamus. Veſtes pelliceæ, goſſypinæ, laneæ, improbantur, quod ob raritatē fomes mali illis facile adhęreat & deliteſcat; quibus ſericeæ, undulatæ, læves, villis carentes præferuntur: quæ crebrius mutandæ, atque exutæ, aeri recenti expoſitæ, valideq; excuſſæ inter ſuaveolentia, quæ huic morbo adverſari creduntur, reponendæ: qualia ſunt *cort: citri, flores roſar. lavend. radices angelicæ, ireos Illyr. baccæ* & *fol: lauri; bacc. juniperi, flor. & folia roſmarini, ſtyrax &c.* aer vero illis modis, quos in principio hujus capitis memoravi, ab inquinamentis contagij diligenter luſtrandus.

Hactenus cauſſas externas, qua ratione ad purpuræ malignitatem arcendam corrigendæ, executus, internas, quæ & corpora ad eam recipiendam prompta reddunt, & intro admiſſam ægrius curare permittunt, paucis jam conſiderabo; quo & illis emendatis omnem inſtantis purpuræ fomitem removere queamus. Eas tres eſſe in cauſſis memoravi, obſtructionem, plethoram & cacochymiam. Obſtructionem non tam præſentem (illa enim in morbum præſentem, aliumve minus gravem jam præcipitaret) quam imminentem ſuis amotis cauſſis tollemus: hanc vero cum ſuccorum copiâ, craſſitie & lentore produci ſcribat *Galenus 9. m. m. cap. 1. & 11. m. m. cap. 4.* copiam vacuabimus ſanguinis miſſione in plethoricis, ut patet ex *Galeno lib. 10. m. m. cap. 2.* ſi ſcilicet rēs id poſtulare videatur: cæteroquin & aliis remediis, in plethora mox referendis, humorum copiam vacuare licebit: craſſitiem vero ac lentorem ſuccorum attenuantibus & abſtergentibus tollemus: quæ tamen ita comparata ſint, ut malignitatem popularis jam purpuræ ſimul reſpiciant, eamq; emendent, pariter & grata ſint, ne crebriore uſu nauſeam ac turbationem ventriculi pariant: pręterea, cum validiora morbo jam præſente dare neceſſitas urgeat, levioribus, quo horum diuturnior uſus eſſe poſſit, corpus præſervare conabimur. Qualia autem iſta ſint, apud authores

Digitized by Google

plurima, ſuis quæq; locis, reperiuntur. ſed & à me in curatione purpuræ ſuo loco tradentur. fol. 426.

Plethoram duum generum eſſe conſtat, vel ad vaſa, vel ad vires. In illa cum vaſa diſtendantur, ut ea disrumpi metus ſit, aut ſæpe calor nativus ſubito extinguatur & ſuffocetur (quod poſtremum athletis quibusdam accidiſſe notat *Galenus l. 1. aph. comm. 3.*) ſangvinem vacuari commodiſſimum fuerit. Quod auxilium eo magis auxiliaturum in aſſuetis ſanguinem profundere, per hæmorrhoides, nares, uterum, cælo, regionibusque temperatis: minore tamen quantitate ſanguis educendus, quàm alias extra conſtitutionem epidemicam fieri conſuevit, ne ſanguine ſpiritibusque nimium exhauſtis, corpus impreſſionibus morboſæ tempeſtatis obnoxium reddatur, ac, recepto olim morbo, ex vacuatione imbecillum ſuccumbat. Quod ſi plethora vires gravet, niſi ætas, anni locorumq; conſtitutio, aliæq; circumſtantiæ phlebotomen ſimul poſtulent, rariſſimè venam ſolvi ſuaverim: quod in ſanguinis copia illum mittere non ſemper neceſſarium ſit, ut notum ex *4. m m. cap. 6*, cum eodem loco, itemq; *13. m. m. cap. 6* plethora etiam aliis mediis curetur, cibis parcioribus, inedia, balneis, exercitationibus, frictionibus, alvi ſolutione. Ex quibus tamen modicam alvi ſolutionem, ciborumque paucitatem, cæteris prætulerim: quod illis humores in meſaræo vicinisq; locis hærentes abduci per inferiora, attenuari, & per inſenſilem διαπνοὴν reſolvi, corpus perſpirabile reddi, viresque adverſus ſeminaria luis infractas ſervari videamus. Ita *Galenus d. ſang. mitt. rat. cap. 6* ob humorum in corpore, aeris, anni, naturæ debilis, conſtitutionem, aut ubi aliam ob cauſſam vires defici metus eſt, à venæſectione abſtineri ægrotos ſuadet: quod vires imminente purpura integras religiosè ſervare oporteat: præterquam quod inanitis phlebotome venis malignæ febris ſeminaria facilius recipiantur, ægriusq; poſtea curentur, ut docet *P. Salius Diverſus d. febr. peſt. cap. 20.* Firmat *Hechſtetterus decad. 1. obſerv. med. 6. in ſchol.* qui Anno ↀ ꟾↄC x patricios quosdam Auguſtanos, ſanos ſibi viſos phlebotomen adminiſtraſſe, mox in febrem maculoſam incidiſſe, ac periſſe, item Anno ↀ ꟾↄC XXIII. cum in familiam quandam hæc febris graſſaretur, præſervationis gratia phlebotomen adhibitam nequicquam juviſſe; quin potius morbo

huic

huic occaſionem dediſſe obſervavit, ut longior ſolito eſſet, quod vires venæ ſectione eſſent fractæ.

Cacochymiæ purgatio conferet, præcepto *Galeni lib. 11. m: m. cap. 6.* quæ tamen ita inſtituenda, ut præparati prius ſint humores quod *πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινέειν* moneat *Hippocrates lib. aph. 22.* quo nulla intus turbatio fiat, humoresq; alterati pharmaco trahenti & naturæ expellenti facilius cedant. Præparatio autem per contraria exceſſui humorum inſtituenda, eaque pro diverſitate horum varianda, talibus delectis, aut conſociatis, quæ adverſus graſſantis purpuræ malignitatem præſidio ſimul eſſe poſſint. Poſt quæ nec fortiora purgantia exhibenda, metu imbecillitatis virium, quas hoc tempore ſartas tectasque ſervare debemus; & quod corpore, humoribus pravis, victus ratione, aut malignæ tempeſtatis conſtitutione natis ſaburrato, hypercatharſes frequentes ſuperveniant: unde ſeminaria hujus luis, quæ hactenus abſconſa latuerunt, ſubito aliquando erumpunt, hominemque necquicquam talia opinantem abripiunt. Ut obſervarunt *Mindererus in append. l. de peſt. cap. 7. Sennertus lib. 4. d febr. cap. 11.* Ex purgantibus vero talia præcipue eligantur, quæ alexiteria ſimul ſunt, aut talia illis jungantur, quæ adverſus venenatam epidemij morbi qualitatem oppido pugnent. Quæ qualia ſint, ac qua methodo adhiberi debeant, jam non proponam, utpote ab authoribus pleriſque in de præſervatione hujus luis libris paſſim memorata, quæ etiam in curatione hujus luis à me poſtea tradentur. fol. 416. infra fol. 407.

Prętеr hæc omnia corpᵒ adverſus *μιασμάτων* cęcam *προβολὴν* efficacibus alexipharmacis muniendum: quod illa non modo curationi præſentis jam luis conferre; verum etiam imminentem arcere, atque, ſi jam recepta intus ſeminaria, dum in ſuis adhuc deliteſcunt principiis, foras propellere, atq; abditâ ſuâ virtute diſpoſitionem adverſus venena peſtilenteſque morbos invictam corpori afferre poſſint, ut docet *Galenus de theriaca ad Piſonem cap 16.* Quo loco, *Mithridatem, Bithyniæ* ac *Ponti Regem* uſu *Mithridatij* adeo inſuperabilem adverſus venena factū refert, ut, cum à Pompeio prælio victus veneno feſtinare mortem vellet, ignavas hujus vires expertus, *Biſtoco, Gallo* cuidam jugulum feriendum præbuerit. Et *Corn. Celſus lib. 5. de re*

Digitized by Google

med. cap. 23. Mithridatem antidoto cognomine quotidie ſumpta adverſus venenorum pericula tutum corpus ſuum reddidiſſe author eſt. Firmant *Ægineta lib. 5. cap. 28. Aetius tetrabibl. 4. ſerm. l.1. c. 96. Plinius quoq; lib. 25. cap. 2. Mithridati* excogitatum ſcribit, quotidie venenum bibere, præſumptis remediis, ut conſuetudine innoxium foret. Quo ſpectat illud Poetæ *lib. 5. Epigr. 76:*

Profecit potu Mithridates ſæpe veneno,
Toxica ne poſſent ſæva nocere ſibi.

Sic, monſtrum hominis, *Neronem* matrem ſuam veneno tentare voluiſſe, *Suetonius* author eſt, ni invalidum fore metuiſſet, quod corpus adverſus venena dudum alexipharmacis firmaſſet. Et *Dioſcorides lib. 6. in præfat.* alexipharmaca commendat, ſicubi à venenis imminentibus metus ſit: quod & ad προφύλαξιν peſtilentium morborum transferri debere, cenſeo.

Ex innumeris ſequentia ſubjungam: *Elixir propr. Paracelſi*, quod communicari *Juriſtis* vetuit, deſcriptũ ab eodem in Archidoxio, quod in cereviſia aut vino matutino tempore ſumptũ obſtructiones aperit, abſterget, putredini ac humorum obſtructioni reſiſtit; quamvis & ventriculo faſtidienti ineunte prandio aut cœna datum unice prodeſſe ſoleat. *Elixir peſtilentiale* deſcriptum à Crollio: *Pilulæ peſtilentiales Ruffi* tantopere commendatæ (quas tamen potionis forma fabæ magnitudine cum vino dicto author exhibuit) *Haud ſcio* (inquit *Ægin. l.2.c.36*) *an ſit quis, qui ex hoc potu non à peſte immunis ac ſuperior evaſerit. Electuarium de ovo, Antidotus Saxonica, Confectio liberantis, Diaſcordium Fracaſtorij* deſcriptum ab eodem *lib. 3. d. contag. morb. cur. cap. 7.* quod puerulis, gravidis & puerperis tuto datur, *Antidotus è ſanguinibus, Pulvis Pannonicus* aliaque ſexcenta, quæ plurima apud diverſos authores reperire licet. *Theriaca* omnibus præfertur, quæ non ſolùm in curatione ſed & præſervatione peſtilentis luis longa ſeculorum ſerie vires ſuas nobis commendavit, authoribus *Galeno d. theriaca ad Piſonem. Aetio tetrabibl: 4. ſ. 1. cap. 96. Avicenna de vir. cord. tr. 2. cap. 4. Sante Ardoyno lib. 1. d. venen. cap. 8. ex Andromacho. Maſſaria lib. 2. de peſte, Horat. Augen. lib. 3. d. peſt. cap. 13. P. Salio Diverſo de febr. peſt. Valleriola in append. loc. comm. cap. 2.* Nec *Mithridatica antidotus* inferior *theriaca*, quamvis ictus ſerpentum minus ſanare poſſit, ut docent,

Digitized by Google

cent, *Galenũ lib. 2. d. antidotis cap. 1. Avicenna lib. 4. ſumm. 1. tract. 1. Santes Ardoynus libro & capite allegatis*, Firmat de maxima adverſus venena Mithridatij pollentia *C. Celſus lib. 5. de re med. cap. 23. Aetius libr. citato cap. 100.* Hujus compoſitionem litteris prodidit *Galenus loco jam dicto*, à qua differt *Avicennæ*, item *Antipatri & Cleophantis.* Alia quoq; *Mithridatis antidotus ex ficubus* apud authores celebris eſt, magniſque elogiis ornata: Namque in ſanctuariis maximi hujus Regis devicti *Pompejus* invenit in peculiari commentario, ipſius manu compoſitionem alexipharmacam, quam ſi quis jejunus ſumat, nullum venenum nociturum ei illodie, notat *Plinius lib. 23. nat. hiſt. cap. 8.* Hanc *Mithridatis antidotum* à *Plinio* & aliis recitatam *Q. Serenus Samonicus*, qui Præceptor *Gordiani junioris* fuit, ſequentibus verſibus deſcripſit, quod & à *Macro cap. de ruta factum*.

Antidotus vero multis Mithridatica fertur
Conſociata modis, ſed Magnus ſcrinia Regis
Cum raperet victor, vilem deprendit in illis
Syntheſin, & vulgata ſatis medicamina riſit.
Bis denum rutæ folium, ſalis & breve granum,
Juglandesq; duas, totidem cum corpore ficus.

Nobiliſſima antidotus *Cathunde*, præſervandis à purpura peſteque corporibus efficaciſſima, qua Indiæ Principes ac magnates utuntur, deſcripta à magno dum viveret, ſeculi noſtri medico, *Zacuto Luſitano lib. 1. med princ. hiſtor. obſerv. 37.* Ex ſimplicibus præcipuam meruere laudem *ſcordium, acetoſa, acetoſella, carduus bened. calendula, ſcabioſa, dictamnus Creticus, ruta, trifolium odoratum, radices helenij, tormentil. dictamni noſtratis, angel. valerian. petaſit. imperatoriæ, Zedoar. ſcorzoneræ, contrayerræ.* C. C. quoquo modo paratum, *baccæ juniperi terra ſigillata, Bolus Armenus verus*, ſmaragdus & alia. Hæc varia remixtione inter ſe conjunguntur, atq; præcavendæ lui, ut res poſtulat, variis remediorum formulis offeruntur; minore tamen quantitate, & vix quartâ aut tertia parte, quæ jam morbo affectis exhiberi conſuevit. Calidiorum tamen uſus, præſertim æſtate, in corporibus, calidioribus, item puerulis & gravidis merito ſuſpectus eſt: &, ut hi fortiora non ferunt, ac in poſterioribus menſibus excitis (namq; eorum pleraque hanc vim obtinent) præcipitari inde fœtum metus eſt: ita calidiores

Digitized by Google

d'ores, æſtate præſertim, talibus copioſe acceptis facile incenduntur, febribuſq; ardentibus fiunt obnoxij. Quod ſi tamen iiſdem uti allubeſcat, remixtione frigidoorum alterata, aut aceto, ſuccove citri macerata offerantur: quod & in illis, quę ore detinentur, aut maſſicantur, obſervandum. Sed nec uni alexipharmaco perpetuo inhærendum: quod, ut peſtilentium morborum varia indoles eſt, ita ex communibus horum remediis hoc aut illud magis profuturum. *Reſolvitur etiam omnium vis conſuetudine, & deſinunt prodeſſe, cum opus eſt, quæ quotidie in uſu fuere, æque quam nocere*, ut obſervavit *Plinius lib. 27. hiſt. natur, cap. ult.* Quod & de peſtis alexipharmacis monent *Crato Epiſt. med. 131. & 134. Untzerus lib. 2. d. peſt. cap. 7. Dan. Sennertus lib. 4. d. feb. cap. 5.* Unice enim & heic cavendum, *ne*, quod *C. Celſus lib. 1. d. re med. cap. 1.* docebat, *in ſecunda valetudine adverſæ præſidia conſumantur.*

Convenit etiam trochiſcos ſublinguales ore detinere, ex prædictorum medicamentorum materia paratos, quo vis eorum una cum anhelitu cor cerebrumq; penetret, & adverſus venenata *μιάσματα* aeri inhærentia præſervet: quorum ſylvam cæduam apud authores paſſim reperire licet.

Foris ſacculus cordialis ex *floribus lavend. roſmarin. roſar. rub. violar. purpur. leucoij, meliſſa, corticibus citri, aurantiorum, rad. ireos Flor. zedoar. angelicæ, valerianæ, ligno aloes, ſantalu, caphura, croco, mace, ambra* pulveriſatis, & bombace exceptis, ac ſindone involutis cordi apponatur: quibus pulveribus etiam veſtes repoſitæ conſperguntur. *Oleum ſcorpionum Matthioli, & oleum magni Ducis Hetruriæ*, aliaque linimenta ad iſtorum imitationem parata arteriis, itemque regioni cordis præſervandis corporibus illinuntur. *Acetum rutæ calendulæ, angelicæ, theriacale* naribus od adorandum apponitur, ſpongiis illo inebriatis, ac ſphæræ concavæ ac perforatæ incluſis. Eodem fine *balſami citri, rutæ, angelicæ, lavend. ſuccini, macis, roſmarini, roſar.* naribus & arteriis affricantur, cordi cerebroq; reficiendis, & adverſus malignitatem purpuræ epidemiæ *πορφυρῶν ἐπιχειρησίαν* confirmandis.

CAPUT

CAPUT XXI.

De Purpuratæ febris indicationibus.

QUæ in præſenti morbo fieri debeant, ordinis ratio exigit tandem proponere: cum propterea omnis à medico labor ſuſcipiatur, atq eo communia ægrotantium vota inclinent, ut à graviſſimo morbo liberari, atque priſtinæ ſanitati reſtitui poſſint. Qua in re eo major gloria medicos manet, quod morbus hic cæteris pleriſque truculentior plurimos jugulet, & non induſtriam medentis modo, verum etiam exquiſitiſſimum ejus judicium requirat. Hinc ob liberatam peſte *Græciam Hippocrati* ſtatua erecta, & honores divini, quos *Herculi Græcia* tribuit, decreti.

In curatione vero maxima controverſiarũ ſeries occurrit, ut nulla curationis hujus pars ſit, quæ, ut loquitur *Joh. Thomas Minado, non habeat plurimos dubitationum nodos. Fracaſtorius l. 3. de contag: mor. cur. cap. 5.* in curatione hujus luis tantam medentium diſcordiam fuiſſe memorat, ut pene ludibrio medici haberentur: inter quas controverſias mortalium magna pars & nobilitas urbium periit, ut fatetur *eodem libro cap. 6. Lud. Mercatus lib. 7. d. febr. peſt. & malign. curat. c. 2.* ab anno milleſimo quingenteſimo quinto, uſque ad annum quinquageſimum ejuſdem ſeculi de curatione hujus luis apud *Italos* medicos dubitatum fuiſſe ſcribit. Et *Joannes Coyttarus l. de febr. purp. epid. cap. 1.* in curatione dictæ luis *Gallicos* medicos hæſitaſſe memorat. Apud *Hippocratem & Galenum* curationem ut peſtilentium, ita & harum malignarum febrium, non reperies, quamvis ab hoc *lib. 10. m. m. in fine* promiſſum fuerit, ſe acturum de febribus peſtilentibus. Qui etſi *lib. de diff. febr. cap. 6.* ex *Hippocratis 3. epid. ſ. 3.* peſtis eſſentiam ex putredine deducat, omnemque προφυλάξεως ſcopum ad tollendam putredinem dirigat, humiditatem exiccando, excrementa purgando & obſtructiones reſerando: qua tamen ratione receptus jam morbus expugnari debeat, nuſquam docuit. *Matthæus Curtius* propterea curationem harum febrium à dictis authoribus poſteri-

poſteritati non fuiſſe relictam exiſtimat, quod eadem curatio ſit febrium malignarum, quæ eſt aliarum putridarum. Quo inclinat *Marcellus Capra l. de morbo Pandemico fol. 18.* dum inquit. *Cum perſpicuum ſit apud Galenum, febres peſtilentes atq; malignas à cæteris putridis non aliter differre, quam majori putredine: quapropter ſi præcavendi atq; curandi rationes habere volumus, totum negotium non in antidotis, & tollendo veneno, eſſe debet, ſed ſiccatione, purgandis excrementis, tollendis obſtructionibus, aliisq; id genus præſidiis conſiſtere oportet. Joh. Thom. Minadous lib. 1. de febr. malign. cap. 11.* curationem peſtilentis febris à *Galeno, Hippocrate Avicennaq;* propoſitam, totam in curatione putredinis conſtitutam eſſe, aſſerit: hinc *lib. 2. cap. 1.* ſcopos curationis ad putredinem flectit, febrique refrigerantia, cauſſæ vero ejusdem proximæ, putrido ſcilicet humori, evacuantia per alvum, urinam, habitum corporis, item quæ putredinem exiccent, ejusque cauſſam, unde producitur, obſtructionem ſcilicet tollant, commendat; non tamen neglecto virium robore, cui periclitanti ſubvenire jubet medicamentis & alimentis convenientibus. Hinc *P. Pereda in ſchol. meth. med. Joh. Paſchal. lib. 2. c. 2.* nil malignitatis aut veneni his febribus adeſſe, easque cæterarum continuarum modo curandas, ſcribit: alexipharmaca vero heic incommode exhiberi ſtatuit, quod craſſa ſint atque obſtruentia, nec febris qualitati adverſentur. *Avenzoar lib. 3. theiſir, tract. 3. cap. 1.* (quem ſequitur *Avicenna lib. 4. fen. 1. tract. 4. cap. 4.*) curam epidemiarum cum frigidis & ſiccis inſtituit, remixtis talibus, quæ poſſint aperire, abſtergere, detrahere malos humores: *Sed antequam fiat purgatio aliqua,* verba authoris ſunt, *præcipiatur, ut fiat evacuatio utilis, & hæc cum phlebotomia, ſubtiliando regimen, quantum fieri poteſt, & utendo frigidis, & abſtinendo omnino à ſuperflua repletione* quam curandi rationem etiam in quodam ægro obſervavit: cui tamen ſimul, quæ epidemiis conferre dixit, *bolum Armenum, terram ſigillatam,* interdum & *Mithridatii* quid exhibuit. *Rhaſes* quoq; curandę huic febri refrigerantia pręcipue commendat: namq; *tract. 10. c. 14 in febribus, quæ ex peſtilentia accidunt, directe incedendum eſt,* inquit, *aquam frigidam dando, & rob ex fructibus acetoſis & ſtipiticis, ut eſt rob quod fit ex granatis, ex ſucco uvæ acerbæ; & ex pyris & macianis & acetoſitate citri. Quod ſi nullum iſtorum habeatur, acetum cum aqua ægris dandum eſt, & lac acetoſum*

roſum cum farina hordei. Et paulo poſt. *Domus autem in quibus moratur i ſunt, cum hoc frigidæ ſint, ſint & ventoſæ, & aceto rorentur. Patientes vero herbas frigidas & bene olentes olfaciant. Trochiſci quoq; de camphora cum rob de citri quatidie dentur, & pectoribus eorum emplaſtrum ex ſandalu & camphora, & aqua roſata ſuperponatur: ſintq; eorum manſiones ex foliis ſalicu, & vitis, & malorum, & omnium aliarum rerum, in quibus eſt frigiditas & ſtipticitas plene. Et ſandalu & camphora ſuffumigentur, & ex aqua roſata multoties in die rorentur.*

Non heic prolixius agam, quæ confirmandis aut oppugnandis iſtis ſententiis conferre videntur: ſuperius purpuræ eſſentiam ejuſque cauſſam, unde indicationes peti debent, ſatis luſtravi: quæ ſi huc transferantur, agendi conſilia ſponte emergent. De *Hippocrate* & *Galeno* illud dixerim, aut periſſe eorum ſcripta, quæ febrium harum, ut & peſtilentium θεραπείαν proponerent; aut interveniente morte ſcribendi hanc materiam poſteris reliquiſſe. Ut mirari merito quis poſſit *Minadoum*, qui cum petechiales febres Hippocrati & Galeno ignotas fuiſſe *l. 1. d. feb. malign. c. 3* ſcribat; de iis tamen ſub genere putridarum ab *Hippocrate, Galeno, Paulo, Aetio, Avicenna* agi *lib. 1. d. febr. mal. cap. 16.* dicat. Equidem, ſi, quæ pauca ex veterum monumentis de curatione purpuratarum ac peſtilentium febrium reſtant, diligentius conſiderare mecum quis volet, tantum aberit, ut putredinis curandę principem ſcopum illis propoſitū fuiſſe dicat, ut potiꝰ malignę ac venenatæ qualitatis præcipuam rationem eos habuiſſe, ac talia, quę putredini aut nocitura, aut ab ejus amotione aliena, venenatæ vero qualitati maxime profutura eſſent, ab iiſdē celebrata eſſe, cognoſcat. Nam quis illum luculentum ignem, pro curandâ peſtilentia ab *Empedocle Agrigentino* & *Hippocrate* publicis locis extructum, putredini conferre dixerit? qui, quod ex fragrantibus rebus ſuccenderetur, totâ ſubſtantiâ venenatis μιάσμασι extirpandis prodeſſe poterat. *Galenus* dum in præcavenda peſte putredini medetur, eam, ut fomitem mineramq; creberrimam mali, tollere voluiſſe dici poterit: quod commode fieri poſſe, nec ego inficias iverim: ita tamen, ut, nec ſola putredine malignos hos morbos ſuccreſcere, nec illi ſoli in horum præſervatione aut curatione eundem mederi voluiſſe quis arbitretur. Namque idem cum *Paulo, Aetio, Avicenna*, aliiſque, *theriacam*, *mi-*

 thrida-

Digitized by Google

thridatium, *bolum Armenum*, *terram ſigillatam* aliaque alexipharmaca non putredini ſuperandæ, cui pleraque obeſſe poſſent, ſed malignæ ac deleteriæ qualitati expugnandæ, tam in curatione, quam præſervatione peſtilentiæ, celebravit: de qua re in loco pluribus jam diſſerui.

Illud de adſtringentibus, ab *Arabibus* laudatis, monere præſentis loci fuerit, ſuſpectum eorum uſum mihi videri, ſecus quam volunt *Amatus Luſitanus centur. 3. cur. 74. Fernelius lib. 2. d. abd. rer. cauſ. cap. ult.* & alii. Quod etſi ſpirituum ac partium diſſolutionem prohibeant, taliaq; ut frigida & ſicca, nequaquam ſint improbanda, cum putredini ſimul reſiſtant: quia tamen conſtringendi meatus vim habent, ut noxia rejiciuntur: quod venenatam ſubſtantiam corpori magis infigant, materiamque putridam, quam penitus evacuari decebat, cohibeant; nec alterationi putreſcentis materiæ adſtringentia conferant: quod, ubi non dum penitus putrefacta materia fuerit, corpus perſpirabile fieri debeat, ut monet *Galenus 11. m. m. cap. 8.* hæc vero omnem poriis liberioris aeris aditum intercludant, ac ventilationem humorum prohibeant. Nec eſt, quod temere quis objiciat, acidorum uſum in febribus admitti: tantum enim abeſt, ut quatenus acida ſunt, adſtringant, ut attenuare, incidere, diſſolvere, abſtergere, atque in penitiſſimos corporis partes penetrare poſſint, ut docuit *Galenus 4. ſimpl. cap. 7.* niſi quandam auſteri aut acerbi ſaporis permixtionem habeant, ut omphacium, ſuccus granatorum acidorum, berberum, & pleraque alia. *Bolum Armenum* ſiccare & refrigerare, non vero adſtringere, notum eſt, & hunc, itemque terram ſigillatam, theriacam, mithridatium non putredinis, & exiccationis, ſed venenatæ qualitatis ratione, hîc auxiliari, jam demonſtravi.

Cum a. omnis curandi ratio ex eſſentia morbi & ejus cauſſis deducatur, habito ſimul ad vires reſpectu; ut *Galenus* tandem poſt multa concludit *9. m. m. cap. 6.* purpuræ vero eſſentia in venenata ac perniciosa qualitate, quæ congenerem cauſſam habeat, conſiſtat, alexipharmaca poſcet remedia, quæ veneni vim corrigere, cauſſamque intro hærentem foras propellere poſſint. Præterea cum veneno putridus calor ſit conjunctus, calor refrigerandus & humectandus; putre-

Digitized by Google

putredinis vero materia, quæ emendari non poteſt, evacuanda: quæ vero eo corruptionis nondum venerit, impedienda, alteranda & ſiccanda, ne putreſcat, ut *Galenus lib. 9. m.m. cap. 8.* & *10. Averroes ſect. 3. collect. cap. 17.* docent. Quia 3. putredo ob impeditam tranſpirationem naſcitur, aut ab eadem fovetur, quæ obſtructiones removere poſſint, ſimul huc transferenda: multitudo ſcilicet humorum evacuanda, craſſities attenuenda, lentor detergendus. Tandem vires in hoc morbo maximè languentes refocillandæ, ſymptomataq; ſi curantis induſtriam interpellent, ſuis tollenda remediis. Omnia vero & improſpere adhibentur, & damnis plerumque infirmos afficiunt, primis viis ab excrementis impeditis, quas ab omni colluvie mundare decebit.

Cæterum ut cunctis cæteris in rebus gerendis, ita & in medicina magna momenta ſunt temporum, & multum intereſt, idem illud, utrum ante, an poſt decernatur. *Scire enim, quid fieri oporteat,* teſtimonio *Galeni 6. m. m. cap. 2. magna res non eſt, ſed quibus rationibus illud efficias, id vero ſcire arduum eſt.* Itaque ſingula auxilia, qua lege in uſum flecti, aut quo ordine, debeant, docebo. Cum vero in inventione indicationum methodo reſolutiva utamur, quod facit *Galenus lib. 11. m. m. cap. 10.* & in conſultationibus obſervari docet *Ariſtot. lib. 3. d. mor: cap. 5.* ac quod ultimo fuerit inventum, id primùm omnium in curatione ſit peragendum, præcepto *Galeni loco adducto,* hoc ordine inſtituenda curatio. 1. Primæ viæ ab excrementis liberandæ 2. Hinc materia venenata, quæ penitus corrupta, ac putredinem paſſa, evacuanda. 3. Quæ malignam qualitatem impreſſam corrigant, & quod ex ea nondum penitus corruptum alterent, item quæ putredinem impediant, ejus cauſſam obſtructionem tollant, materiam, quæ proxima putredini, alterent, exiccent, evacuent, ac febris calorem temperare poſſint, uſurpanda. 4. Vires reſtaurandæ alimentis ac medicamentis convenientibus, quæ ſpiritus evanidos reficere, partiumque principum robur ac temperiem conſervare poſſint. 5. Tandem ſymptomatum heic ineunda ratio, quæ, ſi vires maximè proſternant, tollenda, aut mitiganda: illa enim, ſi vehementius afficiant, operam & induſtriam medentium non modo ad ſe vocant, verum ipſum etiam curationis ordinem aliquando in-

invertunt, teſtibus *Galeno lib. 11. m. m. cap. 11. Averr. lib. 3. collect. cap. 17.*

Dum autem hanc curationis viam inſiſtimus, probè conſiderandum erit, an maligna & perniciosa qualitas, an vero putredo heic præcipue vitium faciat, febrilisque calor magis urgeat: item, an à corrupto aere aut contagio hic affectus illatus, an vero in ipſo corpore ortus ſui cauſſas ac principia habeat. Ut enim illic ad ea ſtatim veniendum, quæ venenum directo oppugnant: ita heic, quæ putredini tollendæ, calorisque incendio extinguendo conferunt, magis ex uſu erunt. Quin etiam ut vires robuſtæ debilesve, ſymptomataque ſæviora aut remiſſiora, fuerint, ita cujusque indicationis poteſtate diligenter conſiderata, omnibusque inter ſe collatis, urgentiori primo paranda remedia, docente *Galeno lib. 11. m. m. 3.*

CAPUT XXII.

Quæ ventriculum & inteſtina ab excrementis vacuent, proponit.

PRincipium curationis ab iis medicamentis ordiar, quæ ex primis viis excrementa leniter educunt, quo præſenti ac inſtanti corruptioni fomes ſubtrahatur, & aliorum medicamentorum expeditior ſit tranſitus, nec, alexiteriorum penetrante vi, fœda inteſtinorum ac ventriculi colluvies ſimul in interiora venarum deferatur, aut remediorum iſtorum nobilis ſubſtantia hac camarina inquinetur, aut obruatur. Qua in re dudum nobis ſuos uſus enemata probarunt, tum maximè adhibenda, quotiens alvus pigrior reſtagnat, aut materia prava magis in inteſtinis, quàm ventriculo collecta hæret, nec tanta datur temporis mora, ob invaleſcentem veneni vim, ut lenientia ſuam actionem integre abſolvere queant. Clyſmata vero pro præſentis morbi atque ægroti conſtitutione vario medicamentorum delectu parari poterunt: quæ heic leniora eſſe debent.

debent ut ſordes inteſtinorum ſolùm abluant. Si enim δραςικὰ purgantia commixta habeant, metuendum, ne materia purpuræ corrupta, naturæ penitus adverſa, quæ alias in proclivi eſt ad alvi fluxum & funeſtas diarrhœas, horum ſtimulis concitata, metuendà hypercatharſi ægrum abripiat.

Materiem enematum accipiemus ex radicibus *malv*: *althææ, liliorum alborum, branc. urſinæ, angel. valerian.* &c. ex *herbis, malva* ſcilicet, *althæa, parietaria, mercuriali, fumaria, violaria*, *endivia, borragine branca urſina, ſumm: chamomillæ Romana, centaur: min: ruta, ſcordio* &c. *ſeminibus lini, fœnigræci, malv: alth. cumini, carui baccis lauri, juniperi* &c. *agarico in petia ligato, floribus chamæmeli, meliloti, calendulæ* &c. Decocti colati tanta quantitas non ſit, ut inteſtina gravet, ociusque refluat injectum: ſuffecerit ſelibra, aut ℥viij, aut libra integra in corporibus grandioribus: hinc *caſſiam pro clyſteribus* addemus, aut *de prunis ſimplex, electuarium lenitivum, diacathol: hieram ſimplicem*: item *mel anthoſatum, roſatum* adjectis *oleis violarum*, *chamameli, anethi*, *rutæ:* ac ſi effera flatuum vis inteſtina diſtendat; oleorum ſtillatitiorum *chamæmeli, anethi carui, cumini, baccarum lauri, rutæ, angel.* &c. quid adjungemus, adjecta ſalis communis ſemidrachma, aut duobus ſcrupulis. *Euporiſton clyſma* parari poterit *ex jure pulli aut carnis alterius non ſalito, cui quid ſeminum fœnic. aniſi aut carui* incoctum fuerit: colato miſcebimus *mel roſatum ſolutivum*, aut ejus loco ſaccharum, ovi vitellum, *oleum olivarum*, aut *butyrum* non ſalitum; adjecto pauxillo ſalis.

Quod ſi ventriculus noxiis humoribus ciboque oppletus ſit, promptus alias in vomitum, aut jam nauſea, ac repetita vomitione conceptam pravorum humorum molem ejicere conetur, nec ex voto medici, ſed cùm δυσφορίᾳ ægroti illud efficiat, cardiogmo aliiſque accidentibus comitantibus, juvandus lenioribus vomitoriis, præcepto *Herodoti* apud *Aetium lib. 5. de re med. cap. 120.* qui, in acceſſionibus febrium malignarum, ob ingentes circa ſtomachum eroſiones tepidà propinatâ, aut pennâ intromiſsâ vomitum ciere jubet. Heic commode utemur *aqua ſimplicis aut hordei tepidæ hauſtu*, cui *oleum amygdalarum dulcium, aut juglandium, ſyrupus acetoſus ſimplex*, aut *oxymel ſimplex*, ſingulorum uncia, remixta. Qui volet poterit accipe-

 re

Rad. aſari, peponis an. ℨ ß.
Julorum jugland: ℈ ij.
Sem: anethi atriplic.
Urticæ, raphan. an. ℨ ß.
Præparata l. a. coquantur in
jure pulli, vaſe clauſo,
Colaturæ expreſſæ ℥ iij. *miſc.*
Oxymell ſimpl. ℥ j *fiat potio tepida offerenda.*

Quin & penna *oleo ſcorpionum* illita, & in gulam demiſſa excitabit vomitum: cujus guttulæ aliquot cum *vino* aut *hydromelle* exhibitæ non rancore ſolum vomitū provoçabunt, ſed & vi alexiteria veneno adverſabuntur, ut & in ipſa peſte illo fine exhibeatur. *Gilla Theophraſti* ℈ ß aut ℈ j. pondere cum juſculo carnis, cereviſiæ, hydromelle, vino, conſerva roſar. violar. exhibita vomitum elicit, nec ventriculo noxam relinquit. *Balthaſar Conradinus de febr. miſc. Ungar. cap. 5.* ſequens vomitorium in his febribus malignis commendat.

℞. *Rad. bryon. cyclamin. an.* ℥ iij.
Helleb. alb. ℥ j.

Quibus probè lotis, ac in aëre ſiccatis, poſteaque in pulverem comminutis ſpiritum vini rectificatum affundit, ad eminentiam duorum digitorum; ut per aliquot dies in balneo ſimul digerantur: poſtea leni igne deſtillantur ad ſiccitatem: fæcibus pulveriſatis deſtillatum ſpiritum ſecundò affundit, iterumq; abſtrahit, idq; tertia vice repetit. In hoc liquore ſi quis plumæ extremitatem madefaciat, eamque malvatico aliove liquore diluat, emeticum habebit, quod potum vomitum excitet & ventriculum optimè vacuet. Sed & heic, quod apprime in vita utile eſt, NE QUID NIMIS, & ne fortiora ſint emetica, nec ex abditis partibus trahant, ſedulo attendendum, propter damna quę ex fortiore purgatione, cum in principiis morborum, tum in hoc morbo ægrotis evenire, ſuo loco relaturus. Falluntur enim, qui, ſicubi ventriculum, in vomitiones effundi videant, exuperantis cacochymię auguria inde capeſſunt, quod & in peſte & in purpura vis veneni ventriculum labefactet, & ad crebrius vomendum impellat. Nec obſtat in morbo *Ungarico* à *Thob: Cobero obſerv. Caſtrenſ. Ungar. decad. 2. obſerv. 5.* vomitoria tantoperè commendari, & à *Rulando* Aquam terræ ſanctæ

ſanctæ quæ ex antimonio paratur *l.4.theſauri Ruland.de febr.* proponi. Ut enim in illis, quibus ventricul⁹, peſſima diæta ſaburratus, mineram morbo præſtat, leniora emetica tutò, valentiora ſumma cum cautione vix admitti poſſunt: ita hæc magis tremenda ſunt, ubi aer aut contages vitium fecerit, ut temeraria iſta cura, quæ nec morbo, nec cauſſæ morbi, nec ſymptomatis ſatisfacit, plures, & ipſos aliquando empiricos jugulatos noverim.

Poſt vomitum corroborando ventriculo quid dabimus, *vinum cydoniorum, granatorum, baccarum rubi Idæi, cum ſyrupo corallorum, ribium, berberum, granatorum, miva cydoniorum* & pauxillo *aquæ cinamomi*, ac *menth. cum vino* deſtillatæ; granis item paucis *extracti rad. tormentillæ.* Sic & *mentha* cum fruſtulo carnis *cydoniorum* in *vino* & *aqua tormentillæ* coquitur, cujus decoctum, *rob, ribium* aut *berberum* ad gratiam permixto, ab exacto vomitu propinatur.

Quod ſi in inteſtinis ac meſaræi proximis venis materia cruda hæreat, quæ collecta excrementa blandè educant, leniſſima remedia commodiſſima erunt. Ex quorum cenſu hæc præcipua ſunt: *Syrupus ſolutivus, florum violarum, roſarum, flor. Perſicorum, flor. prunorum ſylveſtrium*, qui crebra infuſione vim laxandi adeptus, præcipue qui cum rore majali, loco vulgaris aquæ, paratus ſit: quod is potentius alvum ſubducat teſte *Fallop. tract. d. med. purg. ſimpl. cap. 39.* item *mel violatum, roſatum ſolutivum, cremor tartari*, cui aliquot guttulæ *ſpiritus vitrioli* affuſæ, *tartari* vim ſolutivam promovent: *cryſtalli tartari*, ſed eę minus alvum ſolvunt, promptiusq; ad vaſa urinaria abeunt. *Manna* diſſoluta in decocto prunorum de prunellis, & colata, quo à ſordibus adhærentibus liberetur. Eadem quoque decocto *tamarindorum* diſſoluta minus bileſcit in morbo calidò, naturisve ad bilis proventum pronis. *Caſſia condita*, (i.e. ſiliquæ ejus nondum adultæ ſaccharo conditæ,) ℥ j. doſi leniter alvum *ſubducit*, tenellis naturis, & quæ aliorum catharticorum uſum faſtidiunt, gratum palato remedium. *Flos caſſiæ* noviter extractus: qui tamen lubricitate ſuà ventriculum debilem reſolvit, cui corrigendæ nihil magis conferet *tamarindu.* Sed & flatus, qui ab uſu caſſiæ in nonnullis valide inteſtina diſtendunt, permixtione *elæoſacchari macis, fœnic. cort. citri aurant.* diſcutiuntur. *Pulpa tamarindorum* acore ſuo grata eſt, refrigerat, malignitati

ac

ac putredini reſiſtit. Ex compoſitis quædam huc transferre licet, crebro officinarum uſu nobilitata, ut *Electuarium de prunis ſimplex, elect: de prunis leniens* ſeu *diadamaſcenôn, Diacaſſiæ cum manna* &c. Qui volet, ſuperiora conſilio ſuo variè permiſcere, atq; alia addere poterit, pro morbi, ægroti, temporis, aliarumque circumſtantiarum conditione. Horum unum aut alterum paradigma in gratiam tironum ſubjungam.

℞. *Pulp. tamarindor.*
Fl. Caſſ. noviter tract. an. ℥ ß.
Crem. tartari ʒ ß.
Sem. citri ℈ ß.
Macis g. vi. miſc. f. bolus, conſperſus ſaccharo violato, offerendus.

℞. *Decoct. tamarindor. aut prunor. d. prunell. cum aqua acetoſæ parat q. ſ.*
Mann. Calabr. puriß. ℥ j ß.
Acidi tartari ℈ j ß. miſce pro potione.

℞. *Mell: roſat. ſolutivi* ℥ ij.
Tartari vitriolati ℈ j.
Decoct. prunor. d. prun. q. ſ.
Elæoſacch cort. aurant. g. vj.
miſc. f. hauſtus.

℞. *Crem. tartari* ℈ iij *aut* ℈ iv.
S. Vitrioli rectiſ. g. iv.
Elæoſacch. cort. citri, aut macis g. iij. miſc. f. pulvis.

Quod ſi ſegnius hæc actura putes, ob ignavam plerorumq; lenientiũ vim, & quod corpora in his *Arctois* locis, rigentis *Boreæ* flatu, aut conſvetâ victus ratione ex cibis craſſioris ſucci, pleraque obdurata ſint adverſus lenientium operationem, fortioris cathartici parum illis remiſcebimus, quod imbellem lenientium virtutem excitet; ea tamen cautione, ne, quæ ſtimuli vice adjecta, modum excedant: quemadmodum nec lenientia copioſus exhibeantur, quàm par eſt: quod numeroſis ſeceſſibus fortioris purgantis vires æquare interdum ſoleant,

leant, damniſque ægrum afficiant, quæ primo morbi acceſſu, crudâ adhuc materiâ, aut malignâ, quæ fortiores purgationes non ſuſtinet, viis ad evacuandum nondum expeditis ac liberis, evenire experientia monſtrat. *In patrui mei D. Zachariæ Neucrantzÿ uxore* ejus *rei* exemplum vidi: quæ, cum *cremoris tartari* unciam loco drachmæ imprudenter accepiſſet, tota quanta diſſoluta, copioſiſſimis dejectionibus per alvum erumpentibus. Idem ex *ſyrupo roſar: ſol:* copioſius accepto interdum accidere referunt, *P. Salius Diverſus d. feb. peſt. cap. 22. Septalius in animadverſ. medicis.* Ab exhibito ſuperiorum medicamentorum aliquo, poſt mediam aut integram horam juſculum offerendum, quod ſubſtantiam medicamenti ex tunicis ventriculi abluat, ac deorſum verſus abducat, ne vel ad nutritionem natura abutatur, aut, longiore mora in varias varias diducta ac fracta medicamenti qualitate, ejus operatio ſegneſcat aut penitᵒ impediatur. Tempᵒ exhibendi commodiſſimum eſt ante prandium, quamvis & veſperi & mediâ nocte, nullâ circumſcriptione horarum porrigi poſſint, modo primarum viarum impuritates id poſtulaverint, & ex mora inſtet periculum. Namque in re medica *puncto ſæpe temporis maxima rerum momenta vertuntur*, quod in republica fieri *Livius lib. 3. cap. 27.* dicebat.

Non tamen auſpicium curationis à lenientibus perpetuùm fieri ſuaſerim, niſi primæ viæ excrementis circumfluant, ac vis veneni minus inſtet: cæteroquin, ſi purpuræ pernicioſa ac deleteria qualitas valide urgeat, ob potioris indicantis privilegia, huic ſtatim occurrendum: & tum ſuffecerit clyſmate alvi σκύβαλα abluere; minorque noxæ metus fuerit ab excrementis intus remorantibus, quàm à dilato alexipharmaco, ſi venenata qualitas morbi vehementer affligat, aut intermiſsâ phlebotomia, ſi ſanguinis copia præſens periculum minetur, quod horum dilatione irreparabile damnum non raro ſoleat emergere.

CAPUT XXIII.

Quæ venenum intro conceptum expellant & foras educant.

PRoximus ac præcipuus poſt hæc labor erit, veneni vim nocentem (cum ſumma ſit in agendo, maximumque curandi faciat negotium, ac cætera ſymptomatum, tanquam *ἐξ ἀνάγκης ἑπόμενα*, inde fere producantur) corporibus ſubito excludere, ne intus hærens tempore invaleſcat, vireſq; acquirat eundo.

Itaque ubi prima hujus morbi, aere, aut contagio, illati, veſtigia ſeſe oſtendent, quæ ex ſignis ſuperius relatis cognoſcemus, cum *Balthaſare Conradino lib. de feb. muſcell: Ungar. cap. 4.* author fuerim, curationis auſpicium facere ex ſuffimentis, quibus totum corpus, præcipue os, nares, aures, inguina, alæ, & ubicunque ſpiracula cutis ſe pandunt, ſuffumigari debent: quo uno remedio plures à malignis febribus liberatos *Conradinus* vidit. Noſtris muliericulis, ſi, quem ex pravô quodam afflatu, aliave de cauſsâ male habere contingat, eundem abſinthio, antirrhino, ſuccino, thure, juniperi aut lauri baccis &c. ſuffire, frequens admodum eſt: quod non vana ac muliebri perſvaſione, aut ethnicâ ſuperſtitione quadam, expiandis adverſus Dæmonum veneficia corporibus, fieri, ſed conſilio prudentis medici olim profectum, non ſine ratione adhiberi cenſeo; cum cauſſas graves habeat, ac veterum recentiorumque medicorum authoritatibus dudum ſit confirmatum. Præterquam enim quod ejusmodi thymiamata aerem infectum corrigunt, etiam ſpiritus vitales, pravitate ſpiritalis veneni per reſpirationem & arterias recepti infectos, à fœdis inquinamentis depurant, & quaſi *θυμῶν ἰάματα* grato odore pleraq; efficiunt: quemadmodum quævis odorata in abdita corporis ſe trajiciunt, ſpirituſq; variè alterant, ac in lipothymiis rerum fragantium odore evaneſcentes ſpiritus revocantur & inſtaurantur. Ita *Dio-*

genes

Digitized by Google

genes Laertius lib. 9. d vit. Philoſ. Democritum, inſignem ſuorum temporum Philoſophum, morti proximum, calentis panis odore integrum triduum effluentem ſpiritum retinuiſſe, memorat. Contra vero fœtido putore inquinata, aut alienâ ac pravâ qualitate infecta, intro admiſſa labem communicant ſpiritibus adverſiſſimam; hinc occurſu fœtentis rei animam contrahimus, nares obturamus, ne intro recipiamus fœtentia *μιάσματα* aeri permixta: quę, deleteriam vitæq; noſtræ totâ ſubſtantiâ inimicam qualitatem nacta, ſi reſpiratione hauſta fuerint, ſpiritus, humores, ac ſolida corporis cito corrumpunt, hominemque de medio tollunt, quemadmodum in peſte purpuratisque febribus, item ex antris venenatis, locis diu occluſis, venenatos halitus effundi ſœpiſſimè obſervamus. Sed & antiquis ſuffitus ſatis familiares fuere. *Hippocrates* plures deſcribit ad fluorem uterinum *lib. 2. d. morb. mul.* quod & facit *de natura muliebri, & lib. d. ſteril.* in prolapſu uteri pudendis ſuffitum ex graveolentibus, naribus ex odoratis fieri mandat: qui ciendis menſibus ſuffitum aromatum *lib. 5. aph. 28.* pariter commendat. *Aetius lib 3. cap. 119. thymiama Berenices* deſcribit, quod ſuffitum anginoſis proſit, ſi hiante ore vaporem hauriant. In empyemate, aſthmate, tuſſi magna, ſuffumigia à veteribus propoſita fuiſſe conſtat ex eodem *Aetio lib. 3. cap. 153. & lib. 3. cap. 56.* ubi ſuffitus parat ex *ſandaracha, galbano, ſulphure, ſtyrace, Paulo Ægineta lib. 7. d. re. med. cap. 22.* ubi ſuffituum varium uſum exponit. *Odor namq; fumi ac ſpiritus per os ac nares ingrediens penetrat ad ulcerum omnes receſſus, ac curat ſæpius loca, quæ potiones non potuerunt curare*, ut docet *Vegetius art. veterin: lib. 4. cap. 12.* Pariter *Avicenna lib. 3. fen. 10. tract. 5. cap. 6. Meſue de ægritud. pect: & pulm: cap. d. tuſſi humida, & cap. de aſthmate*, ex *arſenico citrino, ariſtolochia rot. ſtyrace, galbano, myrrha, thure* &c. ſuffumigia dictis affectibus pariter adhibent: Idem *Meſue de ægritud. cerebri c. de ſoda calida* ſuffumigium *Gabrielis* deſcribit ad *ſodam calidam*: *& cap. de caput purg.* in *ſoda frigida* ejusdem *Gabrielis* ſuffumigia proponit: *quo* etiam *capite* ſuffitum aromatum moderatè adhibitum cerebrum confortare & calefacere tradit. Sic *cap de epilepſia* ex *Democrito* ſuffitum tam in curatione, quam in præſervatione epilepſiæ conferre docet: quem ex *aſa*, itemq; *gallia moſchata* parat. *Avicenna lib. 3. f. 16. tr. 3: cap. 17.* ſuffumigium ad te-

neſmum deſcribit. Et *lib. 4. f. 1. tract. 4 cap. 4.* in curatione febris peſtilentis ſuffumigia, quibus aer corrigatur, non ſolum pro ſanis, ſed & pro ægris commendat. Parat autem ſuffumigia ex *ſantal. caphura, corticibus granatorum, myrto, malis cydoniis, ebeno, alſegi, tamariſco* & *ribibus*: quæ ſæpius repetere jubet. *Rhaſes tract. 10. cap. 14. in peſte manſiones ſuffumigare* docet *ſantalo* & *caphura*. *Ægineta loco allegato* pro præſervatione peſtilentiæ ſuffumigia laudat. *Vegetius lib. 3. art. veterin. cap. 2.* bobus peſtilentia affectis ſuffimenta fieri jubet, ex *ſulphure, bitumine, allio, origano, ſem: coriandri*, carbonibus inſperſis, coopertis capitibus, ut fumus os eorum capiat, ac nares impleat, atque ita ad cerebrum & interna ſalutari remedio penetret. Confirmat *lib. 4. art. veterin. cap. 12.* ubi ſuffimentorum compoſitionem recitat, quæ faſcinum pellat, luſtret animal, fuget dæmones, ſubmoveat morbos, peſtilentiam, abigat, non armentis tantum, ſed & hominibus ſalutarem. Noſtris temporibus *Nicotianæ ſuffitus* adeo increbruit, ut viliſſimæ ſortis hominibus ejus uſus cottidianus ſit, dum inſtar *Caci Vergiliani lib. 8. Æneid.* quisquis fere in cauponis

> *Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,*
> *Evomit, involvitq; domum caligine cæca,*
> *Conſpectum eripiens oculis, glomeratq; ſub antro*
> *Fumiferam noctem, commixtis igne tenebris.*

Unde rivos catarrhi manare adſtantibus ac prætereuntibus videre licet: cum alias, ſi recte ejus uſus ineatur, deplendo frigidis catharris cerebro, præſentiſſimum ſit auxilium. Creberrimi etiam ſuffitus hoc ſeculo fiunt lue veneria affectis, quibus valide ſudorem eliciunt atque una venenum. Ut & hac ratione in purpura thymiamata commode uſurpari poſſe credam, quo evocando per diaphoretica ſudori viam ſternant, corpusq; præparent, reſeratis per ſuffitum cutis ſpiraculis. Suffimentorum bina exempla proponam.

℞. *Sandarach: Arabum* ſeu *gummi*
Juniperini, Benzoes
Ladani Styrac: calam. an. ℥ij.
Lign: aloes ℥j ß.
Thuris ſplendidiſſ.
Maſtich: myrrh: an. ℈ij.

Caphur.

Caphur: ℥ß.
Troch: gall: moſch: ℈j.
Pulveriſata miſc. & excipiantur *ſtyrace liquidæ* aut *balſamo Peruviano*. f. *trochiſci* pro fumo.

℞. *Succin: alb: & flavi an.* ℥iij.
Myrrh: aloes, galbani an. ℥ij.
Bacc: lauri, juniper: an. M ß.
Rad. angel: valerian: an. ℥j ß.
Fol. roſmar: ſcord:
Fl. lavend. an. p. j.
Caphur: ℥j. Miſc: f. ps. pro fumo, qui & *terebinthinæ* ac *ſtyracis liquidi* æquis partibus exceptus formatur in trochiſcos pro ſuffitu.

In calidioribus ac ſiccoribus corporibus parcior ſuffimentorum uſus eſſe debet, item illis, qui caput oppletum catharris habent, qui ſub papilione & exerto capite ſuffumigari poſſunt. In gravidis religioſe cavendum à ſuffimentis his, utero ſubditis, quod aromata ſuffita muliebria educant, teſte *Hippocrate l. 5. aph. 28.* ſed & fœtidarum rerum ſuffitus φθόριος eſt, irritata expultrice uteri, qui fragrantium rerum odore oblectatur, fœtidarum & graveolentium maxime impatiens, ut aliquando abortus cauſſa fiat odor, à lucernarum extinctu, referente *Plinio l. 7. hiſt. nat. c. 7.* Nec morbo nimis provecto, aut febrili calore intenſo, copioſiorem ſuffitum probaverim, ne ſpiritus humoresque incandeſcant, vires debiles collabantur: ut in talibus vaporari potius corpora ſuadeam decocto rerum alexiteriarum: cujus vapor, duplicatis linteolis obvoluto ægro, toto corpore interdum capite extra papilionem exerto, receptus penetrantiſſime totum corpus pervadit, (cum & vaporis vi cornu cervi duriſſimum tandem molleſcere videamus) alterat ac reſeratis poris eliciendo ſudori, unaque veneno, illud maxime diſponit.

Peracta hac ὑποθυμιάσει, purpuræ, aere aut contagio introductæ, materia venenata talibus evacuanda, quæ vim alexipharmacam habeant: iſta enim, juxta *Galenum 6. epid. comm. 6. text. 5.* mortiferis venenis adverſantur: cum proprietates veneni præcipuæ ſint, ut curentur alexipharmacis, quæ, ut idem *13. m. m. cap. 6.* docet, ſola ex-

 expe-

Digitized by Google

perientiâ, nullâ methodo cognoſcuntur: quod confirmat *1. comp. med. ſec: gen: cap. 18.* Hæc vero non ſolum virtute ſuâ alexiteriâ perniciem purpuræ corrigere; & ſiccando putredinem ac diſſolutionem partium prohibere, ſed & conceptum venenum, quod oborto horrore, recurrentibus verſus vitę principium ſpiritibus, cordi nobilioribusq; membris communicatum fuit, procul à cordis regiâ, principibusque partibus amandare, ac per ſudorem atque ἄδηλον διαπνοὴν, virtute ſua diaphoretica, foras propellere poſſunt. Vere *Hippocrates lib. 1. aph. 2.* de purgationibus docuit, *Si, qualia oportet, purgentur, confert, & facile ferunt:* item *l. 1 aph. 21. Quæ educere oportet, quo maxime vergere videbuntur, ducere, viu ac locis utiliter eo ferentibus.* Quæ ad alexipharmacorum in purpuratis febribus commendationem merito transferenda. Cum n. non materialis, ſed ſpiritalis & vaporoſa purpurati veneni natura ſit, quia cum aere per inſpirationem, aut patentes corporis poros intra corpus admiſſum fuit, nulla purgatione aut phlebotome, (ut toto genere alienis, ac nequicquam profuturis auxiliis, quod morbi cauſſam non tollant,) ſed alexipharmacis, quæ venenum directo oppugnant, ac conſimili evacuatione, qualis ea eſt, quæ per διαφόρησιν fit, quæ & venenum à corde interioribusq; membris longe propellit, educi debet, quà venenati ichores humorum, & cum iis venenum penitus exhalat. Nullum enim magis in omnia valens auxilium dari poteſt, quam ut proximo loco virus foras exhauriatur, priusquam invaleſcat, teſte *Dioſcor. l. 6. de re med. in præfat:* Equidem, ut omne eryſipelas ab interioribus partibus foras ferri, bonum dicebat, *Hippocrates, 6. aph. 25.* ac quosvis alios morbos ex profundis ac principibus partibus ad cutem traduci, optimum eſſe *Galenus* cenſebat in *hujus loci comment* ut ſignum & cauſſam; & ut bubonem anthracemque in peſte, quamvis non criticè erumpentes, ſemper ſtudemus foras evocare: ita omni cura nobis annitendum, ut receptum purpuræ venenum primo tempore, quantum licet, à corde, & partibus interioribus ad habitum corporis abducamus. Ut ſanctè teſtari poſſim, unico diaphoretico alexipharmaco primo morbi acceſſu exhibito, incipientem purpuram penitus aliquando ſublatam, aut in intermittentem minus periculoſam terminatam, fuiſſe. Quin infantes, & qui adhuc infra adoleſcentiam annis

annis fuere, nec adeo graviter ægrotaſſe, pleroſque vero ex purpura citius reſtitutos vidi, non ob caloris nativi ſolùm copiam; verum etiam quod corpora horum calida & humida, poriſque undiq; pervia, copioſum ſudorem effunderent atque una venenum. Nec in priſca medicina, in febribus peſtilentibus, ad quas purpuratas refero, ſudores adeo inſolentes, aut damnatos penitus fuiſſe, quis arbitretur. *Hippocrates lib. 3. epid. ſ. 3. text. 42.* longius vitam produxiſſe memorat, qui in Aſiatica illa gravi peſte largius ſudarunt. *Idem lib. 2. epid. ſ. 3. t. 3.* in febre cauſone, in qua aſpredines miliaceæ, culicum morſibus fere ſimiles, erupere, initio morbi ſudores factos refert, neque tamen malignè, i. e. non cum damno ægrorum: quibusdam etiam judicationem ſudore factam ibidem teſtatur. *Corn: Celſus lib. 3. cap. 7. de febri peſtilente* diſſerens ait. *Fere poſt longam inediam ſitim & vigiliam, poſt multam ſatietatem, poſt infractum calorem ſomnus venit, per quem ingens ſudor effunditur, idq; præſentiſſimum auxilium eſt. Galenus* dum *lib. d. theriaca ad Piſonem, cap. 16.* tam curandæ, quàm præcavendæ peſtilentiæ, theriacam omnibus antidotis præfert, ac tanquam ignem expiatorium, qui cuncta mala peſtis amoliatur, commendat, item dum *bolum* in graviſſima peſte, cujus eadem facies fuit, ac quæ *Thucydidis* tempore graſſata, ſumme ſalutarem fuiſſe refert, quod & de *eodem bolo* recenſet *Aetius lib. 2. de re med. cap. 12.* ſudorem laudaſſe vereſimile eſt; quod horum vis per *διαφόρησιν* potenter agat: quo fine cæteros *Græcos Arabesq;*, ac recentiores varia peſtis alexipharmaca propoſuiſſe arbitror: cum, ſi ſudor ab aſſumptis his non provocetur, ignavas eſſe medicamentorum operationes, nec in diſſitas partes facile penetrare poſſe, videamus. *Aetij* quoq; celebrata *inunctio ex hydrelæo & nitro*, etſi exanthematis in ſuperficie detinendis potiſſimùm excogitata ſit *lib. 5. de re med. cap. 130.* quod & cutem laxet, & materiam ex profundo attrahat, ſudorem tamen ſæpius inde fieri, per quem ingens acrium humorum copia diffletur, idem author memorat. Qui *eodem libro cap. 95.* dum calori maligno peſtilentium febrium, ex profundo corporis in ſuperficiem evocando, quæ calefaciunt, adhibere ex *Ruffo* docet, (quem ſequuntur *Ægineta, Oribaſius, Avicenna*,) annon corpora ad ſudorem fomentis diſponit? qui ſi conſequatur, reſeratis corporis ſpiramentis, exhalare ſimul ma-

ſignum

lignum calorem, eoq; viſcera liberari certiſſimum eſt, & ex *Aetio* jam recenſui. Ex recentioribus medicis *Fracaſtorius lib. 2. d. morb. contag. cap. 7.* ex lenticulari febre multos evaſiſſe teſtatur, quibus largus ſudor ſuperveniſſet, quod convenientior eſſet, quæ per cutem fiebat, expulſio. *Hechſtetterus decade 1. obſerv. med. 6. in ſchol.* in febre purpurea *Auguſtanis* fere omnibus judicationes cum ſudore factas narrat. Confer. *Jul: Palmarium d. febr. peſt. cap* 21. 22. & 24. *Minderum in append. lib. de peſt. cap. 7. Sennertum lib. 4. de febr. cap. 11. & 13.*

Contra vero *Lud: Mercatus lib. 7. de febr. peſt. mal. cap. 2.* & alij in his febribus raro ſudores utiles eſſe arbitrantur, quia in omnibus aliis evacuationibus natura, excrementum ut pellat, ab omnibus aliis ſecernit & ſeparat: at in ſudoribus medio fervore, qui neceſſarius eſt ad materiæ ſudandæ attenuationem, omnes agitantur & miſcentur, ac ſubinde non infecti venefica labe inficiuntur & turbantur: quo fit, ut quamvis ſeptimâ appareant, undecimâ & decima quartâ deinceps laborans & intenſius febricitet, & deterius ſe habeat, & urinæ deteriores excernantur. Et *Johannes Thomas Minadous lib. 2. d. febr. malig. cap. 16. 17. 18.* ſudorifera in principio præſertim calidiora damnat; quod facultas lædatur novi caloris acceſſione, quod idem calor calorem innatum ſpiritusque diſſolvat, & diaphoretica talia ratione præſentis putredinis plus calore ſuo noceant, quam ſudore proſint: cum hæ febres non ſemper, neque ſæpe, mineram habeant in totius corporis ambitu, ſed ut plurimum in centro & viſceribus, ſudoresque non niſi cocta materia, bonis naturæ rebus, cieri debeant. Qua de re pluribus agit tractatu ſingulari. An *diaphoretica ſecundo ordine calida in febribus malignis debeant adhiberi?*

Verum dictis authoribus aſſenſum dare non poſſum: quod, venenata ac maligna qualitas, aere aut contagio introducta, cum omnis imbecillitatis heic princeps cauſſa ſit, (adeo ut ipſa vis veri ſequentia verba expreſſerit *Ludovico Mercato, venenoſam contagionem omnium aliarum rerum indicationem ſuperare*) unde putredo febrisque dependent, unde & vires maxime proſterni contingit, ratio bonæ methodi exigat, ut tantorum malorum cauſſæ primum medeamur ex mente *Gal: 12. m. m. c. 1. & 1. ad Glauc. c. 14.* Concoctionem morbi,

quam

Digitized by Google

quam uſu diaphoreticorum turbari, dicti autores aſſerunt, ut in aliis putridis libenter admitto; ita à peſtilentibus ac purpuratis febribus heic excludo, quemadmodum & ſudores non niſi cocta materia utiliter cieri, conſtantiſſime nego. Coctio enim à purpuratâ materiâ, ut ab omni venenorum genere, aliena eſt: quod, ut illa perenni ſuâ actione, fermentatione quaſi quadam multiplicata, continuo incrementa ſumunt, & ope ſolius naturæ raro debellari poſſunt, ac propterea, quovis licet ingenio, ociſſime expellenda: cum venena paulisper neglecta medicamentis ægre cedant, ut monet *Dioſcor. lib. 6. in præf.* ita & purpuræ venenum longiore paulo in corpore mora, humores ſpiritus ac partes ſolidas corrumpat, niſi primo tempore educatur: illo enim remoto, ſi quæ reſtat in corpore noxa, facilius ſuperari poterit. Sed quam coctionem heic dabimus, cum nulla hujus morbi fida *πέψις* fiat, & ægroti cum optimis ſignis coctionis contra communem cæterorum ſimplicium morborum rationem plerumque moriantur? Equidem doceri ab his cupio, cum præſens morbus malignitate ſua peſtem æmuletur, quam illi coctionem in peſte ſibi promittant: cujus morbi principio ſymptomatum ſtatim plena ſunt omnia, ut niſi brevi admodum tempore naturæ ductu ac remediorum efficaci operatione venenum expellatur, aut alio ubi minus nocet, decumbat, nulla poſtea ſpes ſalutis ſuperſit, irritaque omnis medici opera ſit futura. Quin nec purpuræ venenum aere aut contagio receptum præparationem aliquam deſiderat, ut per *διαφόρησιν* commodè evacuetur: quod tenue ac ſpiritale ſit, ac dum ſudore humorum maligni ichores vaporesq;, in quibus minera veneni ſubſiſtit, effunduntur, ſimul excludatur. Annon in aliis morbis venenatis, qui foris adveniunt, diffuſo jam per corpus veneno, diaphoretica alexipharmaca primum locum meruere, in demorſis cane rabido, vipera, &c. citra metum fermentationis veneni, auctæque ob calorem, ſudore excitatum, venenatæ ſubſtantiæ? Tantum vero abeſt, ut uſu diaphoreticorum excitato fervore venenum humoribus nondum infectis communicetur, ut ea potius alexipharmaca virtute malignitatem partim jugulent, partim per *διαφόρησιν* potenter expellant: quæ alias diutius in corpore latens ſenſim invaleſceret: dum tandem ſubitaria irruptione facta momento graviſſima excitaret

ſymptomata. Quod ſi poſt ſudores febres interdum exacerbentur, urinæ turbentur, id morbo ſua ſponte graviore facto, non vero occaſione ſudoris evenire ſtatuendum, qui totiens cum ſalute ægrotantium à me probatus: quo erumpente & harum & aliarum continuarum atque intermittentium febrium calor plerumque remittere ſolet, poris apertis, per quos febrilis flamma effumare ſolet. Accidere tamen interdum vidi, purpurato veneno ſeu naturâ ſuâ, ſeu morbi progreſſu valido, alexiterij virtute oppugnato, nec penitus victo, commoveri ac diffundi ejus malignam vim atque inde exacerbari ſymptomata: quemadmodum ſterquilinio commoto fœtor late ſe diffundit, qui antequam agitaretur, minus moleſtus erat. Cæterum tum inſidus latet maligna qualitas, quæ ingenita proprietate ſæpe abdita hæret, lentoq; gradu incrementa accipit, dum ſubitò emergens non opinantes abripiat. Hanc igitur ociſſime foras propellere, maximè neceſſarium duco, etiamſi ea commota ſymptomata & increbreſcere & augeri interdum videantur, cum alias diutius corpori inhærens certam perniciem afferat. Nec novum in medicina eſt, uſu remediorum etiam ſalutarium aliquando in ſpeciem exacerbari morbum, quod ab antiſcorbuticis exhibitis in ſcorbuto ſæpius fieri experientia docuit. Sic & dolores in lue veneria *ſalſa parilla* primum crudeſcere ſolent: quæ tamen dictæ luis, inprimis vero atrociſſimorum dolorum, præcipua cenſetur antidotus. Nec obſtat, quod materia venenata purpuræ perpetuo non ſubſiſtat in habitu corporis: plerumque enim in vaſis majoribus hæret, unde continuæ malignæ ſuccenduntur, queis prompta ſatis via eſt, ut à majoribus in minores venas, ab his ad minimas, venarumque capillamenta expurgari poſſint. Qua in re naturæ ductum imitatores ſequemur, quæ in his febribus ſæpe ad habitum corporis longè propellit venenum, effuſo cum ἰυφορίᾳ ſudore, maculiſque magno morbi ſublevamento illic efflo reſcentibus. Quod ſi extra venas materia venenata ſubſiſtat, ut in intermittentibus malignis, alia tum curandi ineunda ratio: quamvis enim in illis uſum alexipharmacorum penitus non improbaverim, ad diaphoretica tamen, ſudoreſq; principio morbi ciendos, nondum victa maligna putredine, nec viis ab omni impedimento liberis, devenire haud ſuaſerim: quemadmodum in talibus per alvum aut phle-

phlebotomen largiter evacuare nequaquam conſultum duxerim, metu calamitoſæ ſuperpurgationis, ac magnæ, quę perpetuum his febribus adeſt, virium imbecillitatis.

Calidorum vero medicamentorum, præſertim inter principia morbi, tantus metus eſſe non debet, ut propterea facultas concoquens morbum lædatur: quod calor febrilis illo tempore, ſępe levis admodum, aut prope nullus ſit, ac tum præcipuè locum diaphoretica inveniant: ut etiam, ſi corpora curanda ſint frigidiora, pori in ambitu corporis adſtricti, his reſerandis illa neceſſaria fore cenſeam. Sed nec Bezoartica calidiora calorem innatum ſpiritusque ſemper diſſolvunt: quod plurima horum tota ſubſtantia venenum excludant, ſpiritibusque gratiſſima ſint. Quemadmodum & illud falſum eſt, quod Minadous ſtatuit, ſudorifera hac ratione præſentis putredinis plus nocere calore, quàm ſudore prodeſſe: quamvis enim ubi putredo fere ſola, aut inſignior, pauca vero malignitas fuerit, à ſudoriferis auſpicium curationis facere, nunquam ſuaſerim: ſi tamen venenatæ qualitatis exuperantis characteres manifeſtò ſe proferant, principi cauſſæ primùm quærenda eſſe remedia, ratio docet: quæ ita temperari debent, ne, ſi una cum veneno calor valide æſtuet, hic uſu calidorum augeatur. Sed demus calidorum iſtorum alexipharmacorum aliquas eſſe noxas, ſpirituum quandam fieri jacturam, calorem augeri, qui plerumq; in progreſſu morbi major ſua ſponte fieri ſolet. Illæ enim facile ſuſtolli, atque analepticis, quæ deperditum virium robur reſtituere, ac evanidos ſpiritus refocillare ſolent, contracta imbecillitas reſtaurari, calorque illatus (qui ab exacto ſudore alias ſuâ ſponſe remittit) refrigerantium uſu emendari, poſſunt: longeque major utilitas ac luculentior votivæ ſanitatis ſpes affulget, ſi purpuræ ſeminaria inter initia ſubnaſcentis morbi celerrime diſcutiantur; (quod calidorum plerorumque alexipharmacorum penetrante vi felicius obtinebimus) quàm ſi lentis remediis, ac ſæpe parum profuturis, ægrum morbo ſuccumbere ſegnes patiamur. Et profecto *difficile eſt*, quod *Galenus* dicebat *11. m. m. cap. 11. ejuſmodi aliquod auxilium inveniſſe, quod citra noxam ullam magnificè proſit.*

Quæ venenum purpuræ corpore educant, plurima ſunt. *Natura omniparens* (verba ſunt *Octav. Horatiani l. 4. rer. med. pag. m. 81.*

 velu-

Digitized by Google

veluti adjuncta charitate cuncta animantia proſecuta eſt. Quæ enim naſcendi ſortem tribuit, vivendi ac valendi ſubſtantiam non negarit. Ut vero venenorum diverſa genera ſunt, ac varia alexipharmaca à natura condita, quę deleterium ſingulorum virus oppugnant: pariter & purpuræ venenum non ſemper ſui ſimile eſt, ſed varia induit ſchemata, ac pro diverſitate naturæ ſuæ alia atque alia poſcit alexipharmaca, ut à doctiſſimis medicis obſervatum ſciam, quæ uni peſtilentiæ ſaluti atque auxilio plurimis fuere, eadem in alia peſte votivos iſtos effectus non habuiſſe. Optandum ſupra dixi, ut res ipſæ ſuis veris formis ſe nobis offerrent, docerentque diſcendi cupientiſſimos, quales in ſe re vera eſſent: ita peſtis & cujusque febris malignæ curatio facilior multo foret, & in tot rerum ingenti farragine illa tantum adhiberentur, quæ iſti venenatæ qualitati ſpecifice reſiſterent. Nunc quoniam umbras & ſimulachra rerum tantùm videmus, atque in communibus rerum principiis hæremus, in conſtitutione λοιμώδει communia ſaltem quærimus alexipharmaca, verorum ac propriorum ignari. Ea tamen in re non improbaverim τὴν τοῦ ὁμοίου μετάβασιν, *tranſitum à ſimili ad ſimile* facere, ut loquitur *Galenus de ſubfiguratione empir. cap. 2, 4, 11.* & collecta ſymptomatum ſyndrome, quæ olim in conſimili epidemiorum morborum genere viſa, conquiſitisq; remediis ac medendi methodo, in iſtis morbis cum voto ægrotantium adminiſtratis, cum præſenti morbo, aliisve, ſi quos novos futura ſecula producent, comparatione invicem inſtituta, conferre, remediaq;, quæ tum laudem invenere, ac tot ægrotantium teſtimoniis probata, una cum medendi methodo huc transferre. *Similes enim affectus ſimilia remedia poſtulant,* eodem authore *lib. 10. m. m. cap. 11.* Et *C. Celſus lib. 1. de re med. in proœmio* cenſebat. *Si incidat mali genus aliquod ignotum, non ideo tamen fore medico de rebus cogitandum obſcuris, ſed eum protinus viſurum, cui morbo id proximum ſit, tentaturumq; remedia, ſimilia illis, quæ vicino malo ſæpe ſuccurrerint, & per ejus ſimilitudinem opem reperturum.* Quod ſi morbus modo hujus, modo alterius veneni, e. g. *napelli, cicutæ, arſenici, bellebori* naturam induere videatur, talia quidam adhiberi cenſent, quæ veneno iſti, cujus indolem morbus æmulatur, ſpecifice adverſentur: quorum inveniendorum nulla methodus, ſed omnia per experientiam ſunt inventa, ut

docet

docet *Galenus 13. meth. med. cap. 6.* & *1. comp. med. per genera cap. 16.* Quod ſi non ſimplicis veneni ideam ſymptomata exprimant, & duo aut plura, diverſa ſæpe, atque operatione contraria venena juncta videri poſſint, pari imitatione talia conjungenda, quæ ſingulorum venenorum virus domare valeant. Verum ut *Marcus Varro, in literis atq; vita fide homo multa, & gravis,* (ut eum *A. Gellius lib. 17. noct. Attic. cap. 18.* celebrat) *in libro 10. rerum divinarum, qui erat de diis ſelectis ajebat,* HOMINIS EST HÆC OPINARI, DEI SCIRE. Nam, cum ſua cuiq; veneno certa & nota ſint remedia, peſtis peſtilentiumque febrium verum propriumque *ἀλεξιτήριον* confeſſione medicorum hactenus ignotum latet, ut diſcamus eas & divinitus immitti & cæleſti auxilio præcipue curari poſſe. Quo ante omnia implorato, in re dubia, communibus alexipharmacis contenti erimus, quod in curatione ignoti veneni fieri juſſit *Dioſcorides in proœm. l. 6. de re med.* & *P. Ægineta lib. 5. de re med. cap. 28.* cui ſcopo quoque inventam theriacam arbitratus *Averroes tract. d. theriaca cap. 1.*

Medicamentorum alexiteriorum ſylvam cæduam apud authores reperire licet: ex quibus, quæ præſenti propoſito commoda erunt, ad ſuos uſus transferre quivis poterit; in quorum tamen dilectu adhibenda tanquam obruſſa ratio: quod hodie plurimi ſua ſecreta commendent magnificis titulis, propter quos (ut de Græcorum quorundam librorum inſcriptionibus ajebat *Plinius in præfat: nat. hiſt. ad Veſpaſianum Imperatorem,*) *vadimonium deſeri poſſit. At cum intraveris Dii Deæq; quàm nihil in medio invenies,* ſi veris pretiis medicamenta æſtimentur! Hinc non niſi gemmatis & auro inique appretiatis remediis, ut loquitur *Heurnius* in notis ad juſiurandum Hippocratis, in alienas opes graſſantur: quales vulturij & noctuæ ad aucupia crumenarum, ut facete eos nominabat *Clariſſimus D. D. Meibomius in eruditiſſimis ad dictum juſiurandum commentariis cap. 15.* credulos magnates & imperitum vulgus circumducunt paſſim, & pecuniâ *περιμύσσουσι*. De cujus viri laudibus nihil dicam, ne homini amiciſſimo publicè blandiri videar: judicium hac in re appello cujusque docti, qui ejus operum proſcenia, *commentarium εἰς ὅρκον Hippocratis,*

Et tinctas ſale prurienti chartas,

de flagrorum in re veneria uſu, legit, an non illa reconditæ eruditionis

 gra-

gratiam ſpirent? Optant vero doctiores, ut porro ſingularis ingenij atq; eruditionis ſuæ monumenta, quæ ultimam jam videre manum, in plauſum literarum emittere velit, cum immortali nominis fama, gratæ poſteritatis magna admiratione. Sed à tanto viro ad ſeculi noſtri pſeudomedicos revertor: quorum alij, quo ignorantia pariat admirationem, obſcuris nominibus ſua involvunt medicamenta, eorumque compoſitionem, imitatione quaſi quadam ſummi Philoſophorum. quo de *A. Gellius l. 20. c. 4.* referebat, quod libros ἀκροαματικοὺς ediderit, & non ediderit, quod ab iis ſolum, qui cum audiviſſent, intelligi poſſent. Ego quotiens iſtorum impoſtorum recordor, occurrit mihi Luciani, Dialogo de gallo, judicium de Pythagora, qui rudis alioquin bonarum litterarum, ſi Luciano fides adhibenda, commento conſimli carnibus fabisq; veſci vetuit, aliaq; propoſuit ſervanda, nullis talium decretorum certis aut notis cauſſis, ὡς εἰκάζοντες ἄλλοι ἄλλως, ἅπαντες ἐκπεπλῆχθαι, καθάπερ ἐν τοῖς ἀσαφέσι τῶν χρησμῶν: quo alij aliud conjectantes, omnes redderentur attoniti, quemadmodum in obſcuris oraculis fieri ſolet. Namq; & heic ignorantiæ velamenta à talibus plerumq; quæri videmus; qui, dum meliorem ætatem, nihil, aut aliud, agendo, triverunt, ut ſe à mendicitate vindicare, aut aliis viris, quos fama ſolidæ eruditionis commendat, comparari nequeant; &, ſi quæ, nota & forte proletaria eruditis viſa, proponant, nihilo plus laudis inde ſint adepturi, revoluti ad illa nova; ſed vana ſua myſteria, oſtentatione artis & portentoſa ſcientiæ venditatione ampullantur, & reconditos naturæ receſſus, admirandas ſuorum medicamentorum vires, adeo ſcilicet incognitas, ut vix mille homines noverint, tot annorum ſecreta jactant, corrumpuntque artis fidem, cujus clara documenta antiqua ætas & noſtra tulit. *Cæterum dubium non ſit, omnes iſtos, famam novitate aliqua aucupantes, animas ſtatim humanas negotiari velle*, ut cenſebat *Plinius lib. 29. nat. hiſt. cap. 1.* Et tamen videas quosdam magnates horum tenebrionum aliquod pretium ponere, ut dolendum profecto ſit, quod nulli magis credatur, quàm medicinam, facienti: ut, cum omnibus delictis pœna ſit propoſita, iſtis crumenimulgis medicaſtris impune in vitas, in crumenas ſuorum ægrotantium graſſari liceat: qui feliciorem unius curationis eventum mille poſtea errorum diſpendio traducunt.

Verum

Verum ſuus cuique ex merito reddetur honos: alij vanæ credulitatis ſuæ pœnas dabunt ſera pœnitentiâ.

In uſu etiam remediorum *nova & inexperta remedia haud injuriâ ſuſpecta apud Curtium lib. 3. hiſtor. Alexander* dicebat; quæ in horrida antiquitate poſita, ac quæ ſæpius effectus ſuos (ut *Soldurij milites apud Cæſarem lib. 3. comm. bell. Gall.*) nobis probarunt, ad præſentem uſum transferenda: quamvis & heic adeo arrideant nova prurientibus quibusdam ingeniis, ut vetera cum iis ſola exſpectationis gratia commutare velint. Ex plurimis, vero remediis quæ prodidere authores, cum delectu modum ſervabo. *Et nemo reprehenſus, qui è ſegete ad ſpicilegium reliquit ſtipulam, juxta Varronem de lingua lat: prope finem.*

Commendantur præ cæteris radices *ſcorzoneræ, belenij, angelicæ, valerianæ, tormentillæ, dictamni albi, zedoariæ, petaſitis, pimpinellæ, leviſtici, chelid: major: acetoſæ, myrrhidis, contrayjervæ*, quas *Nicol: Monardes l. 5. & 2. de ſimpl: medicamentis ex novo orbe, delatis*, & Chriſtoph: à Coſta *lib. de arom: & med. in India naſcent*, adverſus omne venenum, cujuscunque tandem ſit generis, præſentiſſimum eſſe remedium teſtatus, vomitione illud rejicere faciens, aut per ſudores evacuans. Sed & amatoria pocula eo pulvere hauſto educi ferunt. Ventris etiam animalia pellit. *Marius Zuccarus Philoſophus ac Medicus Neapolitanus in methodo occurrendi venenatis corporibus, cap. de arſenico, radicem contrayervæ manum Dei vocat*, ob ſingulares effectus, quos accepto arſenico præſtat. Ego purpuratis his febribus contrayervæ radices maxime ſalutares fuiſſe lectori meo ſancte affirmare poſſum; educto per ſudorem veneno, raro vomitu, quem, niſi & aliorum medicamentorum ſaporem nauſeabundus ventriculus averſaretur, labefactata retentrice ventriculi aliquando oboriri vidi. Contrayerva dicitur, quod venenis contraria ſit. *Radices* quosque *Anthoræ* ſeu *Antithoræ*, in peſte peſtilentibusque febribus, cum quibus exanthemata lentium figura emergunt à *Matthiolo comm: in 4. lib. Dioſcor. cap. 73.* item *Augenio lib. 3. de peſte cap. 10. Guainerio de peſte diff. 2. cap. 3.* tanquam egregium antidotum commendantur, ſi ℈ij: pondere pulvis earum exhibeatur. *Sarſaparilla* alexiteria eſt, ſudorem provocat, & morbis contagioſis venenatisque eximie opitulatur. Hanc eandem

cum

cum ſmilace eſſe demonſtravit *Falloppius tr. de morb. Gall. cap. 63.* Cui adſtipulantur *Matthiolus comm: in lib. 1. Dioſcor: cap. 111. Herc. Saxon. med. pract. lib. 9. cap. 26. Zacutus lib. 2. prax: hiſt. cap. 1.* quam *Dioſcorides* adverſus venena admodum efficacem eſſe teſtatus *lib. 4. cap. 127. Sarſæ* efficaces operationes in ſcirrho hepatis à *Capivaccio lib. 3. pract. med. cap. 22.* lienis *lib. citato cap. 25. & 26. Maſſaria lib. 3. cap. 17. & lib. 6. cap. Andernaco de vet. & nov. med. comm. 2. dial. 5. Fallopp. loco adducto*, in tophis Gallicis duriſſimis, ſcrophulis, ab eodem *Falloppio Maſſaria loc: alleg. Ludov. Mercat. lib. 1. de comm: mul. aff. cap. ult.* in cancro non exulcerato à *Falloppio & Maſſaria*, in elephantiaſi incipiente ab *Andernaco iisdem locis* commendari notum, & ego tumorem cancroſum minui, dolorem à ſarſæ uſu manifeſto remittere obſervavi. Sed quis fando, legendo, aut experiendo unquam comperit, decocto ſarſæ parillæ, ex lege artis parato, & per pluſculos dies cum ſucceſſu exhibito, cruentari urinas, cordis ſummam anxietatem ac dolorem, aliaque ſymptomata inde obirire, quæ in præſentaneum vitæ diſcrimimen ægrum præcipitent?

Herbæ quoq; plures heic ſuum invenere locum, quarum præcipuæ ſequentes habentur: *ſcordium, carduus benedictus, ruta, galega ſeu ruta capraria, ſcabioſa, calendula, pimpinella noſtras*, item *Italica, ſangviſorba* dicta, quam in contagioſis peſtilentibusque febribus plurimum laudat *Matthæus Curtius, acetoſa, acetoſella, trifolium odoratum.*

Semina ſelectiora ſunt, *card: ben: citri, myrrhidis, aquilegiæ, fœniculi, napi, acetoſæ, bardanæ, ocymi, trifolij odorati.*

Flores calendulæ, ſucciſæ, ſcabioſæ.

Terra ſigillata Sileſiaca, item *Lemnia, bolus Armenus verus*, qui *luteus* eſt, tantopere in peſte celebratus à *Galen: 9. ſimpl. Aetio lib. 2. cap. 12.* nam noſter bolus rubrica potius eſt. *Baccæ lauri, juniperi, Caphura*, & quæ inde parantur, virtutem alexiteriam habent, atq; his morbis feliciter dantur, quod in cordis affectibus ac domanda putredine miros effectus caphura præſtet; quæ in mulieribus uteri ſuffocationi obnoxiis, purpura affectis, tutiſſime offertur: quoniam omnes nebuloſos ac venenatos vapores ad cor exhalantes diſcutit ac conſumit, aliorumque medicamentorum actiones penetrante ſua lepto-

meria

Digitized by Google

meria promovet. Quidam tamen cum caphuræ odorem ferre non poſſint, aut qui jam intolerabilibus capitis doloribus in purpura infeſtantur, hujus uſu abſtinendi ſunt; quod caphura ſurſum facile expiret, caputque feriat. *Cornu cervi* quoquo modo præparatum & omnia quæ ex cervo parantur, quod totum animal excepta cauda alexiterium ſit. *Cornu unicornu* verum, *Lapis Bezoar, Smaragdus*, quem omnibus aliis præfert *P. Salius Diverſus, de febr. peſt. cap. 23.* ſi ſubtiliſſime comminutus novem vel decem granorum pondere exhibeatur. Smaragdus enim contra omne venenum valet, authoritate *Avenzoaris l. 2. tract. 1. c. 5 Averrois 5. coll: cap. de ſmaragdo* Confirmat *Amatus Luſitanus cent: 3. obſerv: 74. in ſchol: Julius Palmarius de febr: peſt. c. 18. Langius l. 2. epiſt. 49. Falloppius lib. 2. de tumor: cap. 27.* qui *ſmaragdi* virtutes ſuo ac medicorum *Florentinorum* nomine commendat.

Ex his aliiſque inter ſe remixtis, pro cujuſque medici arbitrio varia parari poterunt compoſita, quæ illa remixtione & mutuâ qualitatum contemperatione novam ſubeunt *κρᾶσιν*, coadunatis omnium alexiteriorum viribus adverſus malignitatem luis præſtantiſſimam. Quod ſi virtus eorum præparatione chymica exaltata novum acquirat ſplendorem, non heterogenea modo & quæ corruptioni obnoxia ſequeſtro calore ſeparabuntur: verum etiam penetrantius cunctas partes pervadent, terreſtri mole libera, potentiuſq; agent adverſus veneni vim, contracta in exiguam portiunculam totius virtute, ægrotis minore moleſtia propinanda. Inde multo pulcherrima naſcentur remedia, eſſentiæ herbarum & radicum *Angeli Salæ*, vix cochlearis menſura dandæ. Ita longa præmiſſa digeſtione ſpiritum ex iiſdem eliciemus inflammabilem, quantitate ʒj aut ʒij. exhibendum: qui ſi ſale proprio ex capite mortuo per calcinationem, & hinc affuſæ aquæ homogeneæ eliquationem, atque coagulationem extracto, animatus fuerit, nobile diaphoreticum erit, cum convenienti vehiculo, *aqua card: ben: calend: ſcabioſ: veron: acetoſ: ſcorzoneræ, atq; aquæ theriacalis* cujuſdam momento, exhibendum. Ex horum ſpirituum ſerie ſunt *ſpiritus card: ben: angelicæ, valerianæ, petaſitis, ſambuci*, &c. *aquarum* item plerarumque *theriacalium*. Aliter parantur *ſpiritus* C.C. *Eboris, tartari, fraxini*, & per retortam deſtillantur, qui pariter materiam malignam per ſudorem efficaciter propellunt.

Horum fœdus odor ob acquiſitum empyreuma repetita diſtillatione magna ex parte removeri ſolet: quamvis & honeſto fuco fœtorem ablatum viderim, ſpiritibus his ſcobi ligni ſaſſaſras, alterive materiæ, affuſis, & inde rurſus diſtillatis. Extracta dictarum radicum & herbarum iisdem uſibus inſerviunt, ut & ſales per calcinationem, diſſolutionem & coagulationem parati. His multo maxime præſtant ſales volatiles herbarum *cardui benedicti*, *acetoſæ*, *acetoſellæ*: quorum ſinguli propria figura, ut quadrangula *acetoſa*, quadrangula oblonga *acetoſella*, eleganti ſpectaculo concreſcunt, ſaporemque ſuæ originis referunt, amarum, acidum, ſalſum, pro cujusque herbæ, unde ſal iſte conficitur vernaculo ſapore. Medicamentum hoc, ut virtute nobile eſt, ita vix niſi magnatibus dandū, ob pretij caritatem, & quod operoſam hujus ſalis præparationem pharmacopœi, aliis diſtricti negotiis, refugiant. Sequenti modo parantur. Herbæ recentes tunſæ affuſa aqua calida, per aliquot dies macerantur: hinc vaſe clauſo coquuntur, dum probe contabeſcant, & prælo ſubjectæ fortiſſime exprimuntur, atque aliquoties colantur: poſtea leni calore aqua humiditas evocatur; (nam ſi fortiorem ſubdideris ignem, ſal volatilis ſimul exhalabit) quod reſtat in cella frigida collocatum, cryſtallos dabit: quæ, ut dixi, ſapore imbuant linguam ſimili, qualem in iisdem herbis contineri advertimus. Reliquus humor blando calore iterum exhalet, qui in locum frigido ſubterraneu repoſitus eaſdem cryſtallos rurſus proferet. Sales omnes collecti ac conjuncti nova diſſolutione, filtratione, coagulatione, puriſſimi evadent. At non ex omnibus herbis æque copioſum ſalem elicies, ubertim eum fundunt naſturtium, cochlearia, carduus benedictus: ex majorana parva admodum quantitate illum educes. *Salis* igitur *cardui benedicti* ʒj. in appropriato liquore diſſoluti & exhibiti plus præſtabit, quam integer manipulus ejuſdem herbæ: namque, omni recremento liber, inoffenſa actione per abditas partes ſe trajiciet. *Sal volatilis* C. C primum locum inter omnia alexipharmaca meretur, quem copioſiſſime *Cornu Cervi*, per retortam deſtillatum, fundit, maximarum virium, cum multo potentius cornu cervino uſto, aut philoſophice calcinato malignum virus expellat, tam penetrantis ſubſtantiæ, ut vaſe etiam probe obturato longo tempore tandem

eva-

evaneſcat & imminuatur. Novi *Dreſdenſes* medicos in ſecretis habuiſſe mixturam *ſalis C. C. volatilis* & *Bezoartici mineralis cum Sole* parati, ex quibus remixtis cum pauxillo *muccaginis tragacanthæ* (cui *gelatina* C. C. commodius ſubſtituitur) conficiebantur paſtilli ℈ ſ. aut ℈j. pondere offerendi. Nimia hujus ſalis volatilitas figetur affuſo ſpiritu *Vitrioli*, quo ſal inebriatus diſſolvitur peculiari menſtruo, &, lege artis evaporata prius nimia humiditate, rurſus abit in cryſtallos. Quamvis nec adverſum illum ſaporem penitus tolli, nec ætheriam ac ſpiritalem illam ſubtilitatem nimis domari velim: quod, cum veneno foras expellendo præcipiti auxilio opus ſit, *ſal volatilis* C. C. penetrantiſſima ſua virtute ociſſime illud efficiat. Plura alia medicamenta ex cervo petere licet, huic morbo auxiliatura, & ad diverſos alios uſus ab authoribus commendata. In aula *Sereniſſimi Electoris Saxoniæ, Joannis Georgij*, vidi cervi excoriatam pellem, adeo affabre ſuffartam, ut vivi ſpeciem referret: in cujus ventre ultra ſexaginta remedia ex cervo parata, ſingula peculiaribus capſulis incluſa, ſervabantur. *Cornua cervi philoſophicè*, ut loquuntur, aut *citra ignem calcinata* ſpectatæ magnitudinis atque integra in capite cernebantur. Quod nobile remedium multo plus efficaciæ habet, quàm vulgare C. C. uſtum & præparatum, quod ignis violentia ſpiritus & ſal volatilis (quos una cum oleo abunde effundit per retortam diſtillatum,) pereant. Caſu inventum remedium à *Caſpare Pantzero*, hoſpite olim meo, & amico ſingulariter dilecto, cum ille, pro digeſtione cujusdam medicamenti, alembici roſtro ramulum C C. imponeret, quem tandem exemptum emolleſcere, ac caſei duritiem vix ſuperare cognovit. Unde & adhuc *Dreſdæ* nomen originis ſuę refert. Das Preuſſiſche Hirſchhorn. Illud memoria veteris amicitiæ, citra tamę palpum, ingenua profeſſione heic interponam, dictum *Caſparem Pantzerum* ejusque cognominem filium, rei pharmaceuticæ promovendæ ſedulo operatos, multa in chymicis incomperta, rara, ſelecta, inveniſſe, hujusque officinam nulli univerſæ Germaniæ hoc tempore inferiorem eſſe, pauciſſimas illi vix poſſe comparari. Sequenti autem modo philoſophice, ut ajunt, calcinatur. *Cornu cervi* in fruſta diſſectum in alembico ſuſpenditur, donec vapore aquæ fontis aut alterius convenientis aquæ, *card: ben: Acetoſæ*, *calendula ſcabioſæ* &c. in balneo

maris tenereſcat. Aqua cujus vapore C. C. hoc præparatum, pariter alexiteria eſt. *Aqua* etiam *ex turionibus cornuum cervi recens enatis* diſtillata adverſus omnem maligni morbi perniciem laudatur à *Jul. Palmario de febr. peſt. cap. 18. & aliis. Gelatina* C. C. *Pantzeriana* conficitur, ſi illud raſum ac tenuiter conſciſſum tam diu coquatur, donec longa coctione prope contabeſcat, & affuſus liquor craſſitiem convenientem acquirat, qui adhuc calens per linteum trajectus effunditur in cælatas figuras: quarum imagines, eleganter expreſſas coagulata materia refert. *Lachryma cervi*, ob raritatem non ubivis obvia, maximæ virtutis, cujus effectus in peſte ipſe viderim. Dono mihi data ab *Electorali, Saxonico, Archiatro, D. D. Fabro.* Ante centeſimum annum in cervo nulla eſt, ut ſentit *Scaliger exerc. 112.* Poſt eam ætatem accreſcit ad oculi canthum ipſis oſſibus, atque in os protuberans concreſcit ea duritie, qua cornu ſuperet. Qua parte prominet, rotunda eſt, inſigni nitore, coloris fulvi, non ſine veſtigiis atriorum venularum: tanta lævitate, ut penetractum effugiat: ita enim ſe ſubtrahit, ut propemodum ſeipſam movere videatur. Adverſus venena remedium præſentiſſimum. Peſte correptis datur cum momento vini, unde tantus cietur ſudor, ut pene totum corpus ſolvi credas. *Amatus Luſitanus cent. 3. ſchol* 74. lapidem ad rubedinem vergentem, admodum durum, caſtaneæ figura, lachrymam cervi dictum, febri malignæ prodeſſe teſtatur. Cujus efficacem virtutem in febre maleficentiſſima *Patris Emmanuelis Alvares* expertus *Zacutus* celeberrimus *lib. 5. med. princ. hiſtor. 29. obſervatione ſingulari. Avenzoar l. 1. theiſir tract. 13. cap. 6. filio Haly, Regis Coneſtablij*, hujus tria grana cum aqua cucurbitæ exhibuit, & eum à virulenta aurigine, à dato veneno producta, reſtituit, quo loco vires alexiterias *lachrymæ cervinæ* unicè commendat, cæteriſque bezoarticis lapidibus præfert. *Sordes oculis cervorum* exemptas adverſus ictus ſerpentum prodeſſe refert *Scribonius Largus de comp. med. cap. 42.* De generatione hujus lachrymæ *Theomneſtus lib. 1. art. veterin.* memorat, cervos vermes, gyris inteſtinorum implicitos, ſerpentum eſu necare: has enim avide anquirunt, eaſq; è cavernis narium ſpiritu extrahunt ac mandunt, teſte *Plinio lib. 8. hiſt. nat. cap. 32. & lib. 28. cap. 9.* Quo ſpectat illud *Lucretij lib. 6. rer. nat.*

Nari-

Naribus alipedes ut cervi ſæpe putantur
Ducere de latebris ſerpentum ſecla ferarum.
item *Martialis lib. 12. epigramm: 9.*
Cervinus gelidum ſorbet ſic halitus anguem.

Quin & *Oppianus lib. 2. κυνηγετικῶν* pugnam cervorum cum ſerpentibus graphicè deſcripſit. *Avenzoar loco citato* cervos eſu ſerpentum novum robur acquirere exiſtimat. Qui ubi veneno ſe gravari ſentiunt, ad fluviorum gurgites feſtinant, cancrosque copioſe comedunt, quibus tandem reconvaleſcunt: acciditq;, dum ad labra uſq; ſe immergunt, lachrymas viſcidas canthis oculorum effundi, quæ condenſatæ nucis juglandis magnitudine in angulis oculorum concreſcunt: inde cum viſum impediri advertant, caput ad arbores fricando, concretam materiam avellunt; quam, ut efficaciſſimam antidotum contra quævis venena, venatores Siciliæ & orientis magno pretio vendunt. Sordes has ex patulis infra cervorum oculos foraminibus eruit, & in ſolo papyri involucro per ſeptennium illibatas ſervari *Langius l.3. epiſt.24.* docet. Ego denſatas has lachrymas, viroſi odoris, flavas & viſcidas, aurium ſordibus colore & ſubſtantia fere ſimiles, ſed duriores, intercurrentibus villis nigriuſculis (quos in duratis lachrymis veſtigia atriorum venularum referre arbitror) tum alibi, tum in aula *Reverendiſſimi ac Celſiſſimi Principis, Dn. Johannis, Epiſcopi Lubecenſis, Hæredis Norvvegiæ, Ducis Holſatiæ, Domini mei clementiſſimi,* (quem *Deus opt. max:* rebus humanis diutiſſimè præeſſe clementer velit,) ex cervis junioribus, bimis, trimis, erui, colore ſubfuſco, & quo jam dixi odore. Ad cujus aulam quotiens, ut *Illuſtriſſimum Principem* ejusque familiam curarem, accerſitus, *Academiam* intrare mihi ſemper viſus fui: nec enim, qui deploratiſſimus alibi fere mos eſt, crapulis, heluationibus à ſummo mane in noctem concubiam protractis, aliisq; ludicris rebus, ſed doctis ſermonibus de rebus ſacris, arduis, *Principem Optimum* prandium cœnamq;, diem vero ſtudiis tranſigere offendi: qui maximum litterarum litteratorumq; pretium ponit, horumque ſummus *Mecenas* maximo jure veneratur. Has v. lachrymas tandem flaveſcere, temporisq; diuturnitate in lapidem in annoſis cervis durari, pro certo habeo: ut, quas nos lachrymas, *Scribonius Largus* ſordes appellavit, eaſdem eſſe cum lapide, ſub can-

Digitized by Google

this oculorum reperto, (qualem *Theomneſtus, Scaliger, Amatus Luſitanus* aliiq; deſcribunt,) ſoloque annorum intervallo, & hinc natis mutationibus à ſe invicem differre, credam. Laudatur *os in corde cervi* repertum; ſed cavendum, ne fraude impoſtorum oſſa in bovum cordibus reperta, aliave his ſimilia, verorum loco, ignari ſubſtituamus. Commendatur *magiſterium* C. C. item *ſuccini*, *Sal volatilis eboris* ac *ſuccini* deſtillatione oleorum ſimul elicitus: *oleum ſtillatitium eboris*, C. C. *ſuccini albi* rectificatione iterata depuratum, ut & olea deſtillata *angelicæ, rutæ, citri, valerianæ, baccarum lauri*, quæ pauca quantitate 3. aut 4. guttularum mole cum conveniente liquore propinata præclare malignitati auxiliantur. *Flores, Cryſtalli, balſamus, ſulphuris* potenter venenū per *διαφόρησιν* expellunt, ſed metus ab his aliiſque calidis, ſi ægroti retorrido æſtu jam occupentur, ne oleum camino infundere videamur; ſed & prægnantibus minus tuto talia offeruntur. *Antimonium diaphoreticum ſimplex, Bezoarticum minerale cum Sole.* Hæc aliaque plurimis clariſſimorum virorum teſtimoniis, ac cottidianæ experientiæ fide, in præſenti morbo potiſſimam meruere laudem, quæ numeroſa, ſed ſelectiſſima heic notare in gratiam lectoris mei volui: *quod utilius ſit vitæ*, authore *Plinio lib. 32. hiſt. nat. cap 4.* contributa *habere remedia*: *cum aliud alij proſit, aliud alibi facilius inveniatur.* Namque, ut *Scribonius Largus* ad calcem operis ſui monet, *eadem remedia in iiſdem vitiis interdum melius deteriuſve reſpondent.*

Compoſita alexipharmaca quivis medicus pro re ac tempore, niſi extremi plane ingenij fuerit, varia forma parare facile poterit: qua etiam in re ſcriptores medici admodum luxuriant, ut in illis referendis multus eſſe nolim. Laudantur, *pulvis Pannonicus uterq;, pulvis liberantis, pulvis Bezoarticus Nicolai Præpoſiti, pulvis electuarij de bolo, pulvis rubeus & griſeus Cæſaris contra peſtem. Antidotus Scaligeri* deſcripta *exercitatione 185.* non tantum adverſus tarantulæ maleficium, ſed & aliumquemvis morſum, aliosque malignos morbos utilis. *Diaſcordium Fracaſtorij, Antidotus Matthioli, Antidotus Saxonica, Confectio Orſiciana*, quæ à quibuſdam ſummis laudatur encomiis, &

Rad.

℞. *Rad: Ariſtolochiæ utrimq;*
anthoræ, gentianæ,
angelicæ, tormentill:
biſtortæ, dictamn: alb:
Herb: card: ben:
Sem. echij, anchuſæ.
citri an: part: æquales.
Rad: ſcorzoneræ ad pondus omnium.

Subtiliſſimè pulverata perfecte miſceantur: hinc mellis probe deſpumati triplum pondus, vini generoſiſſimi, malvatici ſcilicet orientalis, modico affuſo, in vaſe mundiſſimo leniſſimo igne effervescat, & continuo agitetur: cui prædicti pulveres ſenſim immittantur, perenni agitatione, quo exactiſſime miſceantur, ac pauco igne coquantur, donec affuſum vinum exhalarit: poſt quæ *Theriacæ* veteris *Andromachi* decima pars omnium additur, &, remoto penitus igne, denuo exquiſitiſſime ſimul miſcetur: tandem vaſe clauſo confectio ſervatur ad uſum. Dosis ʒj in *aq: ſcabioſ: calendulæ acetoſæ*, cum *ſyr: acetoſ: citri* Ex aquis compoſitis exhiberi poſſunt *Aqua cordialis Herculis Saxoniæ lib. 5. de febr. cap. 37.* ab eodem propoſita, *Aqua contra febres malignas Sennerti l. 4. de febr. cap. 11. ex ſucci citri acetoſ:* &c. parata, *Aqua ſcordij compoſita Petri Salij Diverſi de febr. peſt. cap. 23.* *Aqua theriacalis Fernelij, Aqua theriacalis camphorata Andernaci*, & inde parata *mixtura ſimplex Andernaci*, relata ab eodem *de nova & veteri medicina part. 2. Dialog. 7.* ex *ſpiritus tartari diligenter rectificati partibus iiij. Aq. dictæ theriacalis part. v.* & *ſpiritus vitrioli part. 1.* inter ſe remixtis. *Mithridatium*, *Theriaca*: quæ duo poſteriora longa ſeculorum ſerie in peſte peſtilentibus ac malignis febribus aliisque venenatis morbis effectus ſuos nobis probarunt. Hinc *P. Salius Diverſus*, ubi videt pravam qualitatem intendi, corpus refrigerari, ſimpliciaque alia & facile parabilia inefficacia & invalida eſſe, theriacæ ʒj ſummo mane ſingulis diebus exhibet cum vino, ſi non adſit caliditas tanta, aut ſi hujus metus urgeat, minorem ejus quantitatem cum conſerva refrigerante porrigit. Calidiora tamen merito heic ſuſpecta, præſertim morbo jam adulto, & ubi calor febrilis toto corpore flagrat, quod caloris flammam oppido luculentiorem faciant. Quare ſi corpus

ſuæ

ſua natura frigidum aut *δυσδιαφόρητον* fuerit, ut inde ſudorem difficulter prolicere queamus, principio morbi, aut ubi nondum omnia incendio penitus torrentur, valida malignitate, talia danda, ſed aliis remixtis, quæ eorum calorem temperare queant: quin ab uſu talium illatus calor aliorum refrigerantium exhibitione reſtingui debet: Unde majus emolumentum veneno penitus excluſo emerget, quam jactura ex unius aut alterius calidioris alexiterij uſurpatione eſſe poſſit.

In gravidis quoque formidatus theriacæ & id genus aliorum valentiorum alexipharmacorum uſus: qua de re ſi illis aliquando uti ſuprema neceſſitas exigat, *aqua acetoſæ* aliove refrigerante liquore calor nimius corrigi, &, ſi quæ vulgo exiſtimata vis nocitura fœtui theriacæ adſit, ea aliis adjunctis, ut *eſſentia totius citri*, *confectione alchermes*, *extracto tormentillæ*, *ſpir: roſar: cydon: baccar: rubi Idæi*, emendari debet: qua de re etiam elicito ſudore mox talia offerantur, quæ matrem prægnantem ipſumque imbecillum morbo embryonem reficere poſſint. Quamvis *καταμήνιος* vis theriacæ tanta non ſit, ut ea ab adjunctis corrigi nequeat: cum apud nos plebeiæ mulieres gravidæ, ingreſſuræ balneum, mithridatium aut theriacam frequenter accipiant, citra abortus periculum, aut gravioris noxæ metum, qualem ab accepta theriaca afferri quidam arbitrantur, qui eam mediæ inter venena noſtrumque corpus naturæ eſſe volunt; de qua re paulo poſt Illud profecto metuendum, ne, dum nimis timidi efflagitante veneni ſumma ac perniciosiſſima actione à generoſioribus & efficacibus remediis abſtinemus, levioribus contenti, ſalutem miſerarum prodamus, ipſamque matrem cum fœtu ſupinâ noſtrâ vecordiâ interire patiamur. Placet tamen non temere ad illa validiora in in gravidis devenire, cum alias effato *Hippocratis 5. aph. 31. gravidam acuto quodam morbo corripi, ſit pernitioſum*, ne, ſi morbo confecta infirma ſuccumbat, medicus occidiſſe, ubi non ſervarit, rerum ignaris videatur: *Fine namq; vitæ noſtræ variis & occultis cauſſis expoſito, interdum quædam immerentia ſupremum fati titulum occupant: cum magis in tempus mortis incidant, quam ipſam mortem accerſant notante Valerio Max. lib. 9. cap.*

Quæ

Quæ tempore epidemiæ hujus luis mihi in frequenti uſu fuere, pauca ſubjungam: ex quibus ſequens eſt, quod

R. C. C. *Phil: præpar:*
Rad: contrayerv: an: ℈*j.*
Sp: pulv: Pannon:
liberant: an: ℈*ij.*
Sem: citri napi
card. ben: an: ℈*j.* miſc: f. pulvis: qui cum ſequentis liquoris hauſtulo pondere denarij exhibetur.

R. *Aq: ſcorzoner: acetoſ:*
card: ben: an: ℥ *jß.*
theriacal: Fernel: ℥*j.*
Aceti bacc: rub: Idæi ʒ*vj.*
Balſ: embryon: ℥*ß.*
Syr: ſucci acetoſæ
acetoſ. citri an: ʒ*vj.* miſc.

Aut R. *Rad. contrayervæ* ℈ *iv.*
angelic: valerianæ,
dictamni albi,
vincetox: zedoar an. ℈*j.*
Sp: cord: temperat: d. gemm: an: ℈*ß.*
C. C. *phil: præparati* ʒ*j.* miſc. f. pulvis cujus ʒj. in ſequentis potionis q. ſ. diſſoluta exhibeatur. Vel

R. *Aq: theriacal: Fernel:*
nucum compoſ:
theriac: caphur: ſandern: an: ℥*ß.*
acetoſ: calend: an: ℥*ij.*
Vini granator: ℥*j.*
Syr: ſcordij ℥ *jß.* miſc.

Hoc remedio in fortioribus utebar, qui remediorum uſum non nauſeabant, gravi malignitate, calore pauco; à quo poſt quadrantem horæ compoſitum ad ſudorem ægrotum totum diffluere vidi, ut cordis anxietates, aliaque ſymptomata, ab una aut altera remedij exhibitione manifeſto remittere viderentur. Qui volet, ſequens tutò dabit.

Digitized by Google

℞. *Theriac veter: Androm:* ʒ ß.
Sal: C. C. volat: ℈ ß.
Spir: card: ben: ʒ j.
theriac: caph: Ander: ʒ ß.
Conf: d. hyacinth: alchermes an: ℈ ß.
Aq: galegæ acetoſæ an: ʒ vj.
Syr: acetoſellæ ℥ ß.
Spiritus ſulphuris per campan: gutt: iv. miſc: f. potiuncula, quæ potentiſſimè ſudorem movet, vim veneni frangit, cordisq; robur tuetur. Nec ſequens infelicius aget.

℞. *Extr: Theriacal. caph.* ℈ j.
Spir: C. C. rectif: ʒ ß.
Sal: fraxini ℈ ß.
Aq: acetoſæ card: ben: an: ℥ ß.
theriac: Fernel: ʒ ij.
Syr: totius citri aut
contrayervæ ℥ ß.
Conf. d. hyacinth: ℈ j. miſc: f. hauſtulus.

Aut ℞. *Diaſcord: Fracaſtor:* ʒ ß.
Sal: C. C. volat. g. viij.
Ol: ſtill: angel: g. iij. cum *aq: ſcabioſæ* aut *calendulæ & Syrupo granatorum* remixta dentur.

Item ℞. *Rad: contrayervæ* ℈ ij ß.
Mag: C. C. ſuccin: an: ℈ j.
Smaragd: præparat: ℈ ß.
Lap. Bezoar or: gr. vij.
Ambr: griſ: g. vj.
Mag: perlar: corall: an: g. v.
Elæoſacch: citri macis an: g. iij.
Extr. rad: tormentillæ g. iv. miſc. f. pulvis, cujus tertia pars in tenellis naturis gravidisq; cum ſequenti potione tutò exhiberi poterit.

℞. *Aquæ totius citri,*
acetoſæ, meliſſ. an: ℥ ij ß.
alexiteriæ ex ſuccis Sennerti ℥ j.

theriac:

theriac: Fern: ℥vi.
Magiſterij citri liquidi ℥ß.
Vini granat: ℥j.
Spir: bacc: rub: Idæi ℥ij.
Syr: corallorum ℥j. miſc: pro tribus doſibus O-mnibus conferendus antidotis pulvis alexiterius ſequens pretioſus, qui

℞. *Rad: contrayervæ* ʒj.
Bezoartici miner: c. ☉*le* ʒß.
Sal: volat: C. C. eboris an: ℈j.
ſuccin: ℈ß.
volat: card: ben:
acetoſæ acetoſell: an. ℈j.
Extr: zedoar:
tormentill: an: g. vj.
xyloaloes g. iij.
Terr: ſigill: opt:
Bol: Armen: veri an: ℈ ij.
Lap. Bezoar or:
Smaragd: ppar:
Mag: perlar: corall: an: ℈j.
Ambr: griſ: ℈ß.
Moſchi g. iij.
Elæoſacch: citri
aurantior:
roſar: veri, macis an: g. viij.

Fol. auri N. j. miſc. f. ps. ſubtiliſſimus, cujus ſemidrachma, in aqua C. C. cujus vapore C. C. calcinatum, aliave convenienti aqua propinetur.

Hauſto horum medicamentorum aliquo ægrotus lectum [redacted] debet, hinc poſt quadrantem aut dimidium horæ ſudori ſe diſponat, impoſito lecto leviori, cum jam ante ægroti, cordis anxietate, compreſſione, anhelitus difficultate, plerumque afficiantur: quod ſi corpus denſum atque impermeabile ſudorem non emittat, aut malignus calor in interioribus hærens cucurbitulæ adinſtar hu-

mores ad ſe trahat, omni cura ſudor provocandus erit, lateribus calidis, aliisq; ad hanc rem idoneis: quo à centro ad ſuperficiem retrahatur calor, ac reſeratis poris unà virus conceptum expiret: Commodiſſima enim hæc via eſt, qua itur ad ſanitatem: cum reliquæ evacuationes nihil auxilij, ſæpe plus damni afferant, quia veneni minera non in craſſa materia, ſed in ſubtili, aerea & ichoroſa ſubſtantia conſiſtit, quæ ſudore & inſenſili tranſpiratione, ductu naturæ & auſpiciis medicamentorum prompte vacuatur. Quemadmodum non paucos in purpura perire vidi, quotiens vis morbi nimis jam provecta, corporaq; ad ciendos ſudores imprompta eſſent, aut ægri impatientia ſe tegendi, ne dixerim effœminata mollitie, moleſtiam ſudandi ſuſtinere nollent, aut magna virium debilitate, ſymptomatisque nimium quam ſævis, id facere non poſſent. Creberrimè enim illis accidit, ut levioris cujusdam ſtragulæ tegumentum ferre nequeant, ob magnam cordis anguſtiam & compreſſionem; argumento apodictico, deleteria veneni qualitate cor jam manfeſto peti, quod maligno calore accenſum, undique refrigerationem atque liberiorem aerem poſtulet: quare & morbo creſcente, aucta virulentia, nullis tanti caloris manifeſtis indiciis, membris ad tactum ſubfrigidis, aut tepidis, linteolo tenuiori ſe operiri non patiuntur: interdum propius adſtantes voce, vultu, manibus à lecto arcent, quo liberiori inſpiratu aeris infirmi fruantur. Quo in caſu eo magis pugnandum adverſus purpuratum calorem, ut ille ex alto corporis foras ad ambitum trahatur. Quod etiam fieri jubet *Aetius tetrabibl: 2. ſermon: 1. cap. 95. Si ardor,* inquit, *occuparit interiores partes, extremitates autem & ſuperficies frigidæ fuerint & præcordia diſtendantur* &c. *his calfactoria fomenta adhibere oportet, ut calor ad ſuperficiem corporis trahatur, & quibuscunq; id fieri poteſt conandum eſt, ut calor ex profundo ad exteriora trahatur*: quod iisdem prope verbis confirmat P. *Ægineta lib. 2. cap. 36.* Et *Avicennæ* præcepto *lib. 4. fen. 1. tract: 4. cap. 4. ſi extendantur hypochondria, refrigerentur extrema, & prolongentur vigiliæ, & permiſtio mentis, & vides pectus, & quod ſuper ipſum eſt, levari & deſcendere, tunc neceſſum eſt adminiſtrare regimen trahens caliditatem exterius.* Cum autem ægrotos moderate regere jubeo, ſuffocari eos lectis nolo, quemadmodum *Prodicus* memorante *Hippocrate 6. epid. ſ. 3. t. 1.* febrientes

inter-

interficiebat curſibus, luctationibus, fotibus calidis. *Plinius* quoque *lib. 26. hiſt. nat. cap. 3.* hanc *Aſclepiadis* curam, nimis anxiam, & rudem vocat, obruendi ægros veſte, ſudoreſque omni modo ciendi, nunc corpora ad ignem torrendi, ſoleſve aſſidue quærendi. Ita in hidropyreto *Anglico*, cum copioſo ſudoris proventu morbus ſolvi videretur, quidam iſta lue detentos veſtibus adeo obruiſſe memorantur, ut unà cum ſudore animam exhalaverint. Dum hæc ſcribo, mentem ſubit recordatio virginis cujuſdam, quæ purpurâ correpta, nimio ſudore diffluens, naturæ debitum ſolvit, & conſtituto nuptiarum ſuarum die humata fuit; cujus hiſtoriam hoc loco inſerere non abs re fore arbitror. Hæc igitur, frequenti jam totâ urbe malo, cum pluſculos dies ægre habuiſſet, parens me accerſiri curavit, qui, quæ conferre poterant, ſingulari diligentia præcepi. Cæterum illa ſeu natura ab accipiendis pharmacis aliena, ſeu morbo valide afflicta, ac inſtantis delirij feritate aut ingenita quadam pervicaciâ moroſa, omnis remedij uſum recuſabat, ſimulque leviſſimæ ſtragulæ tegmen, aut quid linteorum corpori imponi non patiebatur. Cum igitur reverſus periculi magnitudinem monſtrarem, niſi dicto foret obediens; parens homo martialis ac ferox, me digreſſo, nec hujus rei quicquam conſcio, eam vi coeret accipere potionem, à me commendatam, hinc exſpectare ſudorem in lecto jubet: quantum vero ille operabatur eam tegendo, tantum hæc obluctabatur impoſita rejiciendo: qua de re novo commentô, ligna duo grandiora, qualia *Raceburgo* advehuntur, & quæ ægrotę coercendæ ac ſub lecto continendæ ſufficerent, filiæ cruribus ac ventri imponit, manibuſque brachia cubantis ſub lecto vi attinet: quo facto illa tandem nimio ſudore exoluta, & inter ſudandum vehementiſſimis correpta convulſionibus, expiravit morbi maligni, quæ mea eſt ſententia, gravitate: quamvis vehementi illa luctâ, ſudoribus copioſè manantibus, viribus ſatiſcentibus, morboq; jam in pejus inclinato, materia morbi ſua ſponte, ac graviſſimâ animi commotione, in caput raptâ, obortis convulſionibus, feſtinatam fuiſſe mortem certo mihi perſuadeam. Hujus rei rumor in vulgus delatus tantam omnibus ſudoriferis attulit infamiam, ut quidam ægroti nullâ ratione, vix numeroſis exemplis in eam rem allatis, diaphoreticorum uſum longo poſt tempore admit-

Digitized by Google

tere voluerint. Scio eadem tempeſtate aliam ab agyrta detentam, in mediis ſudoribus defunctam eſſe, cum ille ſyncopticum ſudorem pro ſalutari haberet, mala mercede doctus audaciam, fiduciamque peccandi imitatione falſa eruditus.

Inter ſudandū panis furno recens extractus, aut alias ad ignem modice toſtùs, calens adhuc & excavatus cum theriaca & caphura, admixto pauxillo aceti, umbilico ſub axillis & inguinibus imponi poterit: ut venenum per patentiores corporis poros foras trahat: qui panis, venenata qualitata delibut⁹, poſtea defodi, autin ignem aut fluentem abjici debet: namque ab ejus eſu canem interemptum novi. Præterea, dum ſudat æger, ſomno arceatur, ad quem proni aliquando ſunt, ſi ſcilicet vis morbi narcotica ſit atque in caput ruat, (quod in peſte admodum frequens eſt,) ne cum ſomno intro ſimul rapiatur venenum. Sanguis enim teſte *Hippocrate 6. epid. ſ. 4. text. 18.* & *Palladio Sophiſta in dicti loci comm:* ſomno ad interna magis refugit: quod & *6. epid. ſ. 4. t. 24. Hippocr:* ſentire videtur. Hinc *Avicenna l. 4. f. 6. tract. 1. c. 4.* à poto veneno, ægrotos omni cura ſomno arcendos eſſe ſcribit. Et *Rhaſes tract. 8. cap. 2.* Qui à vipera demorſus eſt, aut qui napellos in potu ſumpſerit, ne ea die dormiat, prohibendus eſt. Quo fine *Galenus lib. 2. aph: comm: 1.* ſomnum præterea in acceſſionibus febrium damnavit, quod ſymptomata inde fiant diuturna, ægreque febres ad vigorem perveniant: contra vigiliis motum ſanguinis & ſpirituum foras fieri idem *eodem loco* dixit. *Felix Platerus* quidem *tom. 1. prax. de feb. c. 2.* peſte infectos, niſi dum ſudant, ſomno non interdicit: quod calorem tempore ſomni ad exteriora diffundi exiſtimet: quod potius tepore lecti apertis corporis ſpiraculis, quàm naturæ expellentis robore illo tempore fieri credendum.

Dum vero ſudor ſe toto corpore diffundit, æger, ne vires collabantur, analepticis inſtaurari debet, porrectis, *conſerva fl. roſarum, violar: tunicæ coronariæ, acetoſæ, acetoſitatu citri, berberibus, ribibus, ceraſis, baccis rub. Idæi conditis, moru, granatis* quæ vinoſum ſaporem habeant, *rob ribium, berberum, rotulu manus Chriſti perlatis, rotulis ex ſucco berberū ribium, acido citri* &c. paratis: quæ & ſiti fallendæ tum temporis quaſi pitiſſando utiliter accipiuntur. *Acetum* quoq; *theriacale*, aut quod bibit odorem & colorem *fl. tunicæ coronariæ, violar: roſar: fol: rutæ, baccarum*

rubi

rubi Idæi cùm pauca *aqua Damaſcena* &c. ad odorandum apponi debet. Illo etiam lateres candentes perfundi ſolent, quo vapor per totum cubile ſparſus tum aerem corrigat, tum vires ægroti infirmas refocillet. *Balſami* fragrantes *roſar: citri, cinamomi* naribus & arteriis illinutur.

Sudor fluat certa temporis periodo, quæ tamen circumſcriptione duarum horarum ad ſummum in robuſtis, dimidiæ horæ ad minimum finiri in imbecillis debet: nec committendum, quod *C. Celſus l. 2. de re med: cap. 17.* monebat, ut per æſtum anima deficiat. Vere *Seneca* in *Oedipo act. 4. ſcena 4.*

Quicquid exceſſit modum,
Pendet inſtabili loco.

Fieri namque facile poteſt, ut exceſſu aliquo ſudandi facto, Bezoartica, tot ægrotantium cùm ſalute experta, apud imperitos diffamentur: quod fieri vetat *Galen. 11. m. m c. 9.* Cum alias vulgus, *cui neq; judicium neq; veritas eſt*, cane pejus & angue à ſudore abhorreat, metu jam collapſarum virium, & quod ægrotos magna cordis anxietate jam attineri conſtet: qui nudato corpore flabello potius ſibi ventulum fieri cupiunt, quo cor liberaliori refrigerio perfruatur, quàm ut præcepto medici ſe moderatè tegere velint, pro unius horæ faſtidio multorum bonorum penſationem adepturi.

Sudor poſtquam ſatis pro arbitrio prudentis medici fluxit, calidis linteis abſtergeri debet, ſummè vitato aere frigido, metu funeſtæ *παλινδρομῆς* veneni ad partes interiores: linteamina quoque mutari velim, novis ſubinde poſt ſudorem ſubſtitutis, calidis, & prius aliquo thymiamate ſuffitis. Neſcio equidem, quàm vanâ ſollicitudine, heic loci receptâ, mundorum linteaminum & induſiorum crebram mutationem in morbis clinicæ plurimæ reformident: præterquam enim quod viſu fœdum ſit, conſpurcatis linteis ægrum decumbere; unde fœtidus odor etiam adſtantium nares ſæpe feriat; æger ipſe linteaminum mundorum tegumento ſe allevari ac recreari ſentiet, ſed nec continua *διαπνοὴ* per cæcos corporis meatus expirantes vapores, in quibus morbida ſeminaria continentur, linteis adhærentes (quorum contrectatione lues ſæpè aliis communicatur;) tepore

lecti

Digitized by Google

lecti patentibus poris intra corpus ſe recipere, priſtinamque ſedem crebrâ linteaminum mutatione factâ repetere poterunt.

Sudore probè abſterſo, quæ cordis languorem tollere, ſpiritus evanidos reficere, fervorem, à ſudore relictum, morboque ſuccenſum, extinguere, ac malignitati purpuræ mederi poſſint, offerenda: qualia inter ſudandum exhiberi dixi. Præter quæ *confectio alchermes* aut *de hyacintho acido citri & ſpiritu roſarum* diſſolvitur, & adjecta *vini baccarum rubi Idæi, cydoniorum* q. ſ. à ſudore propinatur. Vel *ambræ griſeæ* grana aliquot *ſpiritu roſarum* aut *bacc: rubi Idæi* excepta, cum *acredine citri, rob berberum, ribium,* aſperſo *ſaccharo manus Chriſti perlato exhibentur*. Quin & bucella panis ſimilaginei leniter toſta, & *vino granatorum* aut *baccarum rubi Idæi* imbuta, *ſaccharo perlato* conſperſa, cum voluptate accipitur. Scio quosdam hauſtulum *vini baccarum rubi Idæi*, ſi modo viſcera non nimis maligno æſtu torrerentur, magna conteſtatione præſentis in tali vino analepticæ virtutis, accepiſſe. Sequens noſtro propoſito ſatisfaciet.

R. *Aq: ſcorzoner: acetoſæ.*
fragor: ſimpl: an: ℥j. ß.
Aceti bacc: rub: Idæi
fl: tunic: an: ʒ iij.
Aq: cinam: diabor:
balſ: embryon: an: ℥ ß.
Spir: roſar: ʒj ß.
Conſ: alcherm: ℈j ß.
Mag: perlar: ℈ ß.
corallor: ℈j.
Syr: acet: citri acetoſell:
è ſucco violar: an: ℥ ß miſc.

Emulſio ex amygdalis & ſeminibus quatuor frigidis cum *aqua fragorum, acetoſæ, roſar:* &c. adjectis cardiacis parata, bibitur. Noſtri *cerevisiam*, cui panis bucullæ intritæ, affuſo *ſucco citri*, interdum & momento *vini Rhenani*, pauco *ſaccharo* aſperſo, ſummo cum prolubio hauriunt: quam tamen leniter prius tepeſcere velim. Exolutis ſudore viribus, remittente æſtu, à ſudore contracto, juſcula caponis, pullorum, aliaque inſtaurantia, tortiva medicis dicta, aut panatella ex jure pulli & vitel-

& vitello ovi parata, & id genus alij cibi εὔχυλοι καὶ εὔπεπτοι utiliter offeruntur, de quibus ſuo loco dicetur.

Alexipharmica a. ſuperius recenſa eodem die repetenda, & , ſi vomitu rejiciantur, iterum offerenda, junctis talibus, quæ reſoluto ſtomacho robur addant. Eadem etiam ſequentibus aliquot diebus, ſi res poſtulet, & non raro in medio morbi decurſu, aut inclinato jam morbo, iteranda. Venenum enim purpuræ ſua natura magis lentum eſt, quàm peſtilentiæ, & ſpiritali ac fixa tinctura adeo firmiter corpori adhæret, ut non niſi crebriori ſudoriferorum uſu expelli, & aſſidua alexiteriorum continuatione maligna qualitas aboleri queat. Quod tum factu maximè neceſſarium fuerit; ſi purpuræ venenum circum viſcera nobiliora hæreat, retractis ac recurrentibus intro ſpiritibus ac humoribus, corporis habitu adſtricto: dum tandem longo uſu alexipharmacorum evictus malignus humor foras expellatur, corpusq; hactenus impenetrabile copioſiſſimum ſudorem profundat. Sæpe etiam in inſidiis latet hoſtis infenſiſſimus, quaſi jam victus, qui niſi ex intervallis hidroticis propulſetur, novas reſumit vires, ac non opinanti pejorem malo recidivam parit. Sed ne totiens exhibitis remediis ægroto nauſea oboriatur, decet ea ὑπαλλάττειν, & ſubinde mutare. Oportet etiam quod de mortiferis venenis *Dioſcorides lib. 6. cap. 35.* præcipiebat, *quæ pericula ferunt, pervicacioribus auxiliis expugnari, & minus infeſta mitioribus. Quippe abſurdum fuerit in gravioribus ſegnioribus medicamentis homines in diſcrimen adducere, in minoribus vehementiorum auxiliorum injuria corpus laceſſere.* Confer *Hippocratem d. loc. in hom: edit: Foeſ: pag. m. 422. l. 30* Qua de re in his malignis febribus validiora diaphoretica, quib⁹ in peſte uti ſolemus, ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, nec niſi gravi malignitate ac confirmato jam morbo, vix dabimus; quæ tamen diutius in purpura quàm peſte continuanda. Illud tandem medicinam in purpura facturus ſedulo attendat, ne vel ægrum nimiis ſudoribus conficiat, vel, dum cubantis deliciis ſubſcribit, de ciendis ſudoribus parum ſollicitus, turpi ſua aſſentatione eundem malignitate morbi jugulandum tradat: quo ei *liceat inter abruptam contumaciam ac deforme obſequium pergere iter ambitione & periculis vacuum*; quod à *M. Lepido*, gravi ac ſapienti viro, tempore Tiberij factum *C. Tacitus lib. 4. annalium* maximè extollit.

Digitized by Google

Quod ſi nullo aeris vitio, aut contagij occaſione, ſed prava diæta aut internis cauſſis purpurata febris nata fuerit, ut alexipharmaca in tali cauſu præ cæteris medicamentis laudantur, quæ corruptionem venenatam emendent, ita ad diaphoretica properari, & ſudorem principio morbi cieri, nolim: quod locis a *περιφερία* cordis remotioribus materia morbi ſubſiſtat (namque per vicinam maxime partem, qua morbo exitus eſt, is vacuari debet mandato *Hippocratis loco, de locis in hom: allegato*) eaque materialis potius, quam ſpiritalis & vaporoſa exiſtat, ac difficulter aut nequaquam per ſudorem, niſi levato jam morbo, præmiſſis ſuis cuique cauſſæ remediis, vacuari poſſit. Quemadmodum nec in intermittentibus malignis febribus diaphoretica in principio earum ſalutaria ſtatuo: quæ victa malignitate præparatis atque lege artis vacuatis humoribus, tum demum locum invenere.

Cum itaque tantus ſit alexipharmacorum in his morbis uſus, operæ pretium facturus videor, ſi eorum indolem ac naturam explicatius hoc loco proponam. *Alexipharmaca Græcis* dicta, ab *Arabibus Bezoar* appellantur, talia, quæ vim veneno contrariam habent, ut docent *Avicenna lib. 2. fen. 1. cap. 4. Averroes lib. 5. colliget cap. 3. Scaliger exerc: 184. ſect. 5. Bezahari quaſi vitam conſervantia patria lingua ab Arabibus* vocari teſtis eſt. Hæc *alexipharmaca Galenus 5. ſimpl. cap. 18. media* interponit *inter corpora patientia & inter ipſa venena*, ut videlicet eadem ſit proportio corporis ad facultatem alexiteriam, quæ eſt alexiterij ad venenum. Quapropter *propemodum omnia, quæ deleteriis adverſantur, ſi largius ſumpta fuerint, graviter animantis corpus lædere* ſcribit monens, ut ea moderatione quantitatis omnes id genus facultates exhibeantur, ut neque copia nimia corpus offendant, neque exiguitate à deleteriis vincantur. Contra vero *idem lib. de theriaca ad Piſonem cap. 15.* non ſolum plurimis morbis, in quibus nulla veneni ſuſpicio, *theriacam* auxiliari; ſed & *ſanitatis tempore ſi continenter accipiatur, maximè juvare* teſtatur: *quod redundantiam humorum abſumat, vividumq; calorem corpori inducat*. Et *cap. 16.* ait: *theriaca corpus bene conſtitum ſervat, & ſalubritate beat, abſorbet excrementa humorum, refovet refrigeratas humani corporis partes, naturales facultates ad muneris ſui functionem corrobat, Idem lib. 1. de antidotis, Aurelium Antoninum*

toninum Imperatorem ſingulis diebus inſtar *fabæ Ægyptiæ* ex ipſa *theriaca*, deglutiviſſe memorat: ut illo loco, qui ſingulis diebus, quemadmodum dictus *Imperator*, & ipſe *Mithridates*, antidotum acceperit, eum à deleteriis venenis fore ſecurum promittat. Quod *Mithridatis* exemplo confirmat *lib. de theriaca ad Piſonem cap. 16.* Pariter & *Avicenna* referente *Averroe tract. de theriaca cap 2.* teſtatur: quod *theriaca confortet à tota ſpecie calorem naturalem, & det ei multitudinem virtutum illarum, per quas curantur omnes ægritudines, & det ſanitatem omnibus membris.* Sic *lib. 5. ſum. 1. tract. 1.* præter inſignes effectus, quos in aliis morbis præſtare theriacam refert, *cor confortare, ſenſus acuere & appetitum, confortare ſtomachum, ac ſanitatis tempore acceptam à peſte immunes homines reddere* memorat. At *parte tertia cantic. aph. 51. Bezobar uſum tempore ſanitatis non eſſe convenientem* author eſt.

Averroes loco citato hunc diſſenſum perſtrinxit, nec alexipharmaca media eſſe voluit inter corpora & venena, eam ob cauſſam, quod ſi, ut *Galenus* ait *lib. 5. ſimplicium, nutrimentum eſt, quod conſervat ſanitatem perfectam, & medicina ſanitatem lapſam, venena vero ſunt, quæ auferunt ſanitatem, & medicinæ dominantes in theriaca ſunt medicinæ inter medicinas & venena; omne vero compoſitum medicamentum declinat in virtute ſua verſus latus medicinarum vincentium in compoſitione ejus, videtur, quod theriaca ſit media inter medicinas & venena, & ſi eſt media, eſt fortior medicinis, & debilior venenis. Ergo non conſervabit ſanitatem, quam conſervant medicinæ, nec curabit ægritudines, quas ipſæ curant, quoniam eſt fortior omnibus eis: & ſi conſervat ſanitatem aliquam, erit ſanitas illius, qui paratus eſt cadere in ægritudines humorum ſimilium venenis, & ſi iterum curabit, non curabit, niſi illã, quæ ex illis eſt.* Qua de re *Galenum* taxat ſcribenté, crebriore theriacę uſu corpus à veneno impatibile reddi: quod, cum medicina venenoſa ſit contraria corpori, ſi ea non amplius operetur in corpus, neceſſum ſit, ut ſimile factum fuerit veneno: *quoniam id quod in aliud non agit, eſt procul dubio illi ſimile, & res, quæ in aliam agit, eſt ei contraria.* Quod ſi tale corpus detur, in quod ſuas vires exerere venenum amplius non poſſit, iſtud ſimile veneno erit, &, cum venenum contrarium ſit corpori humano, ſequetur, *tale corpus uſu theriacæ diverſum factum à corpore aliorum hominum: & id quod eſt diverſum à corpore humano, & cujus complexio ab humana*

Digitized by Google

mana differt, impoſſibile eſt, ut remaneat homo: quod ſi remanſerit, brevi temporis intervallo complexio ejus accedet ad illorum complexionem, qui habent humores venenoſos. Et *lib. 5. colliget cap. 23.* idem author improbat medicorum ſententiã, qui bezahartica media ponunt inter medicinas & venenum: *quod medium & extrema ſint unius generis, & quæ ſunt unius generis, ſint ſimilia.* Cum enim docente *Ariſtotele lib. 10. metaphyſ. cap. 7. contrariorum contingat aliquod medium eſſe, & quorundam ſit, neceſſe ex contrariis media eſſe: omnia enim media & illa quorum media ſunt, in eodem genere ſunt.* Quamobrem *Averroes* ſtatuit *melius eſſe dicere, quod Bezahar ſit in fine contrarietatis cum veneno: quia medicatio contrarietatis ſemper debet attribui contrarietati. Sed cauſſa, quare Bezahar occidit ſanum, non eſt, niſi quia non habet prodeſſe, niſi quando in corpore eſt diſpoſitio venenoſa. Et eſt, ut iſtæ medicinæ faciant duas operationes in corpore humano. Una eſt, ut venenoſa, quando recipitur non exiſtente in corpore diſpoſitione venenoſa. Et alia eſt juvatrix, quando in corpore eſt diſpoſitio venenoſa, & ſunt ſicut venenum ex una parte, & medicinæ ex alia: non quod ſint medicinæ ex parte, ex qua ſunt venenum: quia non eſt extraneum, ut dicatur, quod diverſificantur actiones unius agentis diverſificatis diſpoſitionibus ſubjectis locorum.* Hactenus Averroes. Cujus ſententiæ adſtipulari videtur *Plinius lib. 27. hiſt. nat. cap. 2.* ubi de aconito diſſerit: *quod venenorum omnium ociſſimum in uſus humanæ ſalutis verſum, ſcorpionum ictibus adverſari experiendo datum in vino calido: quod ea ſit natura, ut hominem occidat, niſi invenerit, quod in homine perimat. Cum eo ſolo colluctatur, velut pari intus invento. Sola hæc pugna eſt, cum venenum in viſceribus reperit: mirumq́; exitialia per ſe ambo cum ſint, duo venena in homine commoriuntur, ut homo ſuperſit.* Horſum referri poteſt hiſtoria *Eumpinæ* adulteræ apud *Auſonium epigramm. 10.* quæ

Toxica zelotypo dedit uxor mœcha marito
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum.
Miſcuit argenti lethalia pondera vivi:
Cogeret ut celerem vis geminata necem.
Dividet hæc ſi quis, faciunt diſcreta venenum,
Antidotum ſumet, qui ſociata bibet.
Ergo inter ſeſe dum noxia pocula certant,
Ceſſit lethalis noxa ſalutiferæ:

Proti-

Digitized by Google

Protinus & vacuos alvi petiere receſſus
Lubrica dejectis qua via nota cibis.
Quam pia cura Deum! prodeſt crudelior uxor,
Et quum fata volent, bina venena juvant.

Pariter *Smaragdum*, quem tanquam alexiterium plurimum commendavit, etiam venenatum eſſe, ex ſuis experientiis prodidit *Avenzoar lib. 2. theiſir, cap. 5.* Hos ſecutos *Joh: Michael Paſchal: qui lib. 1. de cur: morb: cap. 8.* theriacam magnam veneno affectos curare, & ſanos veneno afficere, idemq; de aliis bezaharticis ſimiliter aſſerendum, exiſtimat: quemadmodum medicamenta purgantia, quæ ægros juvant, ſanos lædunt, teſte *Hippocrate 2. aph. 36. & 4. aph. 16.* quod theriaca venenata ſit, ob ea, quæ confectionem ejus ingrediuntur: & quod ratione extremæ contrarietatis venenum corrumpat, ſicut cætera bezortica.

In hoc ſententiarum divortio notandum, venena, quorum actionib⁹ oppoſita ſunt bezoartica, diverſis modis corpori inferre noxam: quædam manifeſtis qualitatibus, calida, frigida, humida, ſicca, ſimplicibus aut his varie conjunctis, harumque conſectariis qualitatibus ſecundis & tertiis, quædam ſolum totius ſubſtantiæ proprietate, qua complexionem cordis occulta quadam actione, nullo aliarum qualitatum exceſſu corrumpunt: quædam fortitudine attractionis, ut *helleborus albus* teſte *Averroe 5. colliget, c. 22.* Totidem quoq; modis medicamenta bezoartica agent *ejusdem ſententia, libro citato cap: ſequenti, & Avicenna part: 3. cantic: aph: 51.* Quædam enim manifeſta qualitate permutant: quædam à tota ſubſtantia id agunt: quædam fortiter venenum attrahunt. Ex quibus ea, quæ tota ſubſtantia venenum excludunt, duum generum ſunt: vel enim proprietatem obtinent cordis complexioni ſimilem, quam conſervant, ut veneni labem à ſe amoliatur, vel generis ſimilitudine id præſtant. *Illa* innoxie ſanitatis tempore præſervationis, & in morbis curationis gratia porrigi poſſunt. Quemadmodum *ſemina citri* venenis omnium authorum teſtimonio adverſantur. *Ita bolus Armena*, qualis deſcribitur à *Galeno 5. ſimpl. cap. de terra Samia* (noſtra enim vulgaris rubrica potius eſt, nec *Armeniam* unquam vidit) maximos effectus in peſtilentia *Galeno* coæva præſtitit, ut qui ab ea non fuerint reſtituti,

 nec

nec ab alio quopiam juvari potuerint. Ea non ſolùm refrigerat, ſed & manifeſte exiccat ac partes corroborat, ne impreſſum venenum recipiant: præterquam, quod ſponte ſua, quæ dos eſt tertij ordinis medicamentorum, determinatam partem, cor ſcilicet, petat, illudque occulta illa proprietate, virtute innatâ alexiteriâ, huic terræ propria, à malignâ veneni peſtilentis qualitate liberet & conſervet. *Hæc* alexipharmaca, quæ ex venenatis rebus accipiuntur, mediæ quodammodo facta ſunt naturæ, ut quadam ſimilitudine cognatum venenum appeterent, & cum eo ſe miſcerent, atque aliorum commixtorum virtute alexiteria phthartìcam veneni qualitatem domarent & expellerent. Agentis enim & patientis, etſi contrariorum, quædam tamen debet eſſe analogia: nec enim quodlibet agit in quodlibet; ſed *tam agens quam patiens genere quidem ſimile, ac idem, ſed ſpecie diſſimile atq; contrarium eſſe neceſſe eſt*, ut docet *Ariſtoteles lib. 1. de gener: & corrupt: cap. 7.* Hujus generis alexipharmaca plurima ab authoribus deſcripta habentur: *Antidotus Scaligeri ex muſcis Napello victitantibus Oleum ſcorpionum Matthioli, Oleum magni Ducis Hetrariæ.* Eodem propoſito *antidotum de ſanguinibus animalium*, quæ *ſerpentibus, lacertis, buſonibus, araneis veſcuntur* ab authoribus inventam arbitror: cui talia junxere, quæ auxiliari adverſus venena ſolent; præcipuè cum à calore iſtorum animantium vis venenata aliquo modo jam ſit perdomita. Sic *Avenzoar* in ſuo *theiſir lib. 3. tract. 3. cap. 1.* remedio, quod adverſus peſtem parat, *ſtercus columbinum* addit certo & conſtituto conſilio. Quanquam non omnia medicamenta, quæ ex rebus venenatis parantur, deleteria ſint: quod non ſimplex omnium natura exiſtat, ſed pro diverſitate partium varias ſæpe & contrarias facultates obtineant: quemadmodum in quibusdam feris venenatis certæ quædam partes venenum habent, cæteris innoxiis, ſæpè & proprij veneni alexipharmacis. *Scorpius tritus* percuſſo loco impoſitus ſuæ plagæ remedium eſt teſte *Dioſcoride lib. 6. cap. 44. Homini icto putatur eſſe remedio ſcorpionum cinis potus in vino* authore *Plinio l. 11. nat. hiſt. c. 25. Vulneribus quæ crocodilorum morſibus infliguntur eorundem adipem eximie mederi: murem araneum diſſectum, ſuo morſui appoſitum ſine ſenſu doloris eum ſanare: viperis demorſos, ſi carnes harum tritas vulneri inflicto applicent*, reſtitui docet *Galenus lib. de theriaca*

riaca ad *Piſonem cap. 10. & Avicenna lib. 4. f. 6. tr. 3. cap. 1. Mulorum ſanguis* potus venenum eſt, carnes eorum cibo datæ, ſunt remedio *Alcyonio* herbæ paſtæ oves periclitanter, mox radice ejus aſſumpta liberatur, tradente *Octav: Horat: lib. 4. ad Euſeb: Jecur canis rabidi* ab eodem demorſis potenter auxiliatur, authore *Vegetio lib. 3. art: veterin: cap. 84. Cantharides* veſicæ renibusque infeſtam vim gerunt, quarum ala noxium illud virus emendant *Galeni* teſtimonio *lib. 11. ſimpl.* & *2. de antidotis* ex authoritate *Aſclepiadis*, ſi ſcilicet earum pedes & alæ tritæ cum melle eclegmatis forma aſſumantur, Confer *Aet l. 13. c. 49.* Itaq; conjunctione eorum remediorum, quæ ex venenis venenatisq; corporibus parantur, cum alexipharmacis, quæ tota ſubſtantia cor à malignitate tuentur, præclariſſima naſcentur antidota, quæ media quodammodo ſint inter corpora & venena: quodammodo inquam ex *Galeno*, non exacte media: ſiquidem contraria ſuo modo ſunt, quod venenis & propterea corpori noſtro lege contrariorum adverſentur; non tamen adeo contraria, ut occidant, ſed quod potius ambigant, ac temperamento aliquo modo ſint ſimilia illis, quæ lędunt, non tamen ita graviter officiant. De his alexipharmacis *Galeni* verba intelligenda cenſeo, non de prioribus: nec enim abſolute cuncta alexipharmaca, ſed quamplurima talia eſſe dixit. Multa enim, ut jam dixi, dantur alexipharmaca, quæ tota ſpecie venenis inimica ſunt, non quia media inter medicinas & venena, ſed quia connatis viribus, totius ſubſtantiæ ſimilitudine, cor cęteraq; membra tuentur ne labem veneni recipiant, quam & receptam oppido expugnant: ex quorum cenſu ſunt *citri ſemina, bolus Armena, ſphragis Lemnia, zedoaria.* Quo etiam *theriacam* refero, quæ ex ſelectiſſimis alexipharmacis, quæ longa ſeculorum ſerie à ſummis medicinæ authoribus adverſus venena venenatosq; morbos commendata ſunt, compoſita; quæ & à ſanis, præſervandis corporibus, & in morbis, ubi nulla etiam veneni ſuſpicio, ab *Andromacho, Galeno, Avicenna* aliisque diverſis locis laudata. Hæc ex *Mithridatio* originem traxit, ut fatentur *Galenus lib. 1. de antid: cap. 1. Avicenna lib. 4. ſumm. 1. tract. 1.* quibusdam ab *Andromacho Neronis Archiatro* additis, demptis & mutatis, cumprimis vero adjecta viperina carne, propter quam *mithridatio* adverſus viperarum morſus magis auxiliatur etſi in

aliis-

Digitized by Google

tere voluerint. Scio eadem tempeſtate aliam ab agyrta detentam, in medijs ſudoribus defunctam eſſe, cum ille ſyncopticum ſudorem pro ſalutari haberet, mala mercede doctus audaciam, fiduciamque peccandi imitatione falſa eruditus.

Inter ſudandû panis furno recens extractus, aut alias ad ignem modice toſtùs, calens adhuc & excavatus cum theriaca & caphura, admixto pauxillo aceti, umbilico ſub axillis & inguinibus imponi poterit: ut venenum per patentiores corporis poros foras trahat: qui panis, venenata qualitata delibut⁹, poſtea defodi, aut in ignem aut fluentem abjici debet: namque ab ejus eſu canem interemptum novi. Præterea, dum ſudat æger, ſomno arceatur, ad quem proni aliquando ſunt, ſi ſcilicet vis morbi narcotica ſit atque in caput ruat, (quod in peſte admodum frequens eſt,) ne cum ſomno intro ſimul rapiatur venenum. Sanguis enim teſte *Hippocrate 6. epid. ſ. 4. text. 12.* & *Palladio Sophiſta in dicti loci comm:* ſomno ad interna magis refugit: quod & *6. epid. ſ. 4. t. 24. Hippocr:* ſentire videtur. Hinc *Avicenna l. 4. f. 6. tract. 1. c. 4.* à poto veneno, ægrotos omni cura ſomno arcendos eſſe ſcribit. Et *Rhaſes tract. 8. cap. 2.* Qui à vipera demorſus eſt, aut qui napellos in potu ſumpſerit, ne ea die dormiat, prohibendus eſt. Quo fine *Galenus lib. 2. aph: comm: 1.* ſomnum præterea in acceſſionibus febrium damnavit, quod ſymptomata inde fiant diuturna, ægreque febres ad vigorem perveniant: contra vigiliis motum ſanguinis & ſpirituum foras fieri idem *eodem loco* dixit. *Felix Platerus* quidem *tom. 2. prax. d. feb. c. 2.* peſte infectos, niſi dum ſudant, ſomno non interdicit: quod calorem tempore ſomni ad exteriora diffundi exiſtimet: quod potius tepore lecti apertis corporis ſpiraculis, quàm naturæ expellentis robore illo tempore fieri credendum.

Dum vero ſudor ſe toto corpore diffundit, æger, ne vires collabantur, analepticis inſtaurari debet, porrectis, *conſerva fl. roſarum, violar: tunicæ coronariæ, acetoſæ, acetoſitatu citri, berberibus, ribibus, cerafis, baccu rub. Idæi conditu, moru, granatu* quæ vinoſum ſaporem habeant, *rob ribium, berberum, rotulu manus Chriſti perlatu, rotulu ex ſucco berberũ ribium, acido citri* &c. paratis: quæ & ſiti fallendæ tum temporis quaſi pitiſſando utiliter accipiuntur. *Acetum* quoq; *theriacale*, aut quod bibit odorem & colorem *fl. tunicæ coronariæ, violar: roſar: fol: rutæ, baccarum*

rubi

Digitized by Google

rubi Idæi cum pauca *aqua Damaſcena* &c. ad odorandum apponi debet. Illo etiam lateres candentes perfundi ſolent, quo vapor per totum cubile ſparſus tum aerem corrigat, tum vires ægroti infirmas refocillet. *Balſami* fragrantes *roſar: citri, cinamomi* naribus & arteriis illinutur.

Sudor fluat certa temporis periodo, quæ tamen circumſcriptione duarum horarum ad ſummum in robuſtis, dimidiæ horæ ad minimum finiri in imbecillis debet: nec committendum, quod *C. Celſus l. 2. de re med: cap. 17.* monebat, ut per æſtum anima deficiat. Vere *Seneca* in *Oedipo act. 4. ſcena 4.*

Quicquid exceſſit modum,
Pendet inſtabili loco.

Fieri namque facile poteſt, ut exceſſu aliquo ſudandi facto, Bezoartica, tot ęgrotantium cum ſalute experta, apud imperitos diffamentur: quod fieri vetat *Galen. 11. m. m c. 9.* Cum alias vulgus, *cui neq; judicium neq; veritas eſt*, cane pejus & angue à ſudore abhorreat, metu jam collapſarum virium, & quod ægrotos magna cordis anxietate jam attineri conſtet: qui nudato corpore flabello potius ſibi ventulum fieri cupiunt, quo cor liberaliori refrigerio perfruatur, quàm ut præcepto medici ſe moderatè tegere velint, pro unius horæ faſtidio multorum bonorum penſationem adepturi.

Sudor poſtquam ſatis pro arbitrio prudentis medici fluxit, calidis linteis abſtergeri debet, ſummè vitato aere frigido, metu funeſtæ παλινδρομῆς veneni ad partes interiores: linteamina quoque mutari velim, novis ſubinde poſt ſudorem ſubſtitutis, calidis, & prius aliquo thymiamate ſuffitis. Neſcio equidem, quàm vanâ ſollicitudine, heic loci receptâ, mundorum linteaminum & induſiorum crebram mutationem in morbis clinicæ plurimæ reformident: præterquam enim quod viſu fœdum ſit, conſpurcatis linteis ægrum decumbere; unde fœtidus odor etiam adſtantium nares ſæpe feriat; æger ipſe linteaminum mundorum tegumento ſe allevari ac recreari ſentiet, ſed nec continua διαπνοῇ per cæcos corporis meatus expirantes vapores, in quibus morbida ſeminaria continentur, linteis adhærentes (quorum contrectatione lues ſæpè aliis communicatur;) tepore lecti

lecti patentibus poris intra corpus ſe recipere, priſtinamque ſedem crebrà linteaminum mutatione factà repetere poterunt.

Sudore probè abſterſo, quæ cordis languorem tollere, ſpiritus evanidos reficere, fervorem, à ſudore relictum, morboque ſuccenſum, extinguere, ac malignitati purpuræ mederi poſſint, offerenda: qualia inter ſudandum exhiberi dixi. Præter quæ *confectio alchermes* aut *de hyacintho acido citri & ſpiritu roſarum* diſſolvitur, & adjecta *vini baccarum rubi Idæi*, *cydoniorum* q. ſ. à ſudore propinatur. Vel *ambræ griſeæ* grana aliquot *ſpiritu roſarum* aut *bacc: rubi Idæi* excepta, cum *acredine citri*, *rob berberum*, *ribium*, aſperſo *ſacchar o manus Chriſti perlato exhibentur*. Quin & bucella panis ſimilaginei leniter toſta, & *vino granatorum* aut *baccarum rubi Idæi* imbuta, *ſacchar o perlato* conſperſa, cum voluptate accipitur. Scio quosdam hauſtulum *vini baccarum rubi Idæi*, ſi modo viſcera non nimis maligno æſtu torrerentur, magna conteſtatione præſentis in tali vino analepticæ virtutis, accepiſſe. Sequens noſtro propoſito ſatisfaciet.

R. *Aq: ſcorzoner: acetoſæ.*
fragor: ſimpl: an: ℥j. ß.
Aceti bacc: rub: Idæi
fl: tunic: an: ʒ iij.
Aq: cinam: diabor:
balſ: embryon: an: ℥ ß.
Spir: roſar: ʒj ß.
Conſ: alcherm: ℈j ß.
Mag: perlar: ℈ ß.
corallor: ℈j.
Syr: acet: citri acetoſell:
è ſucco violar: an: ℥ ß miſc.

Emulſio ex amygdalis & ſeminibus quatuor frigidis cum *aqua fragorum, acetoſæ, roſar:* &c. adjectis cardiacis parata, bibitur. Noſtri *cereviſiam*, cui panis bucullæ intritæ, affuſo *ſucco citri*, interdum & momento *vini Rhenani*, pauco *ſacchar o* aſperſo, ſummo cum prolubio hauriunt: quam tamen leniter prius tepeſcere velim. Exolutis ſudore viribus, remittente æſtu, à ſudore contracto, juſcula caponis, pullorum, aliaque inſtaurantia, tortiva medicis dicta, aut panatella ex jure pulli & vitel-

& vitello ovi parata, & id genus alij cibi εὔχυλοι καὶ εὔπεπτοι utiliter offeruntur, de quibus ſuo loco dicetur.

Alexipharmica a. ſuperius recenſa eodem die repetenda, &, ſi vomitu rejiciantur, iterum offerenda, junctis talibus, quæ reſoluto ſtomacho robur addant. Eadem etiam ſequentibus aliquot diebus, ſi res poſtulet, & non raro in medio morbi decurſu, aut inclinato jam morbo, iteranda. Venenum enim purpuræ ſua natura magis lentum eſt, quàm peſtilentiæ, & ſpiritali ac fixa tinctura adeo firmiter corpori adhæret, ut non niſi crebriori ſudoriferorum uſu expelli, & aſſidua alexiteriorum continuatione maligna qualitas aboleri queat. Quod tum factu maximè neceſſarium fuerit; ſi purpuræ venenum circum viſcera nobiliora hæreat, retractis ac recurrentibus intro ſpiritibus ac humoribus, corporis habitu adſtricto: dum tandem longo uſu alexipharmacorum evictus malignus humor foras expellatur, corpusq; hactenus impenetrabile copioſiſſimum ſudorem profundat. Sæpe etiam in inſidiis latet hoſtis infenſiſſimus, quaſi jam victus, qui niſi ex intervallis hidroticis propulſetur, novas reſumit vires, ac non opinanti pejorem malo recidivam parit. Sed ne totiens exhibitis remediis ægroto nauſea oboriatur, decet ea ὑπαλλάττειν, & ſubinde mutare. Oportet etiam quod de mortiferis venenis *Dioſcorides lib. 6. cap. 35.* præcipiebat, *quæ pericula ferunt, pervicacioribus auxiliis expugnari, & minus infeſta mitioribus. Quippe abſurdum fuerit in gravioribus ſegnioribus medicamentis homines in diſcrimen adducere, in minoribus vehementiorum auxiliorum injuria corpus laceſſere.* Confer *Hippocratem d. loc. in hom: edit: Foeſ: pag. m. 422. l. 30* Qua de re in his malignis febribus validiora diaphoretica, quibus in peſte uti ſolemus, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, nec niſi gravi malignitate ac confirmato jam morbo, vix dabimus; quæ tamen diutius in purpura quàm peſte continuanda. Illud tandem medicinam in purpura facturus ſedulo attendat, ne vel ægrum nimiis ſudoribus conficiat, vel, dum cubantis deliciis ſubſcribit, de ciendis ſudoribus parum ſollicitus, turpi ſua aſſentatione eundem malignitate morbi jugulandum tradat: quo ei *liceat inter abruptam contumaciam ac deforme obſequium pergere iter ambitione & periculis vacuum*; quod à *M. Lepido*, gravi ac ſapienti viro, tempore Tiberij factum *C. Tacitus lib. 4. annalium* maximè extollit.

Digitized by Google

Quod ſi nullo aeris vitio, aut contagij occaſione, ſed prava diæta aut internis cauſſis purpurata febris nata fuerit, ut alexipharmaca in tali cauſu præ cæteris medicamentis laudantur, quæ corruptionem venenatam emendent, ita ad diaphoretica properari, & ſudorem principio morbi cieri, nolim: quod locis a περιφερίᾳ cordis remotioribus materia morbi ſubſiſtat (namque per vicinam maxime partem, qua morbo exitus eſt, is vacuari debet mandato *Hippocratis loco, de locis in hom: allegato)* eaque materialis potius, quam ſpiritalis & vaporoſa exiſtat, ac difficulter aut nequaquam per ſudorem, niſi levato jam morbo, præmiſſis ſuis cuique cauſſæ remediis, vacuari poſſit. Quemadmodum nec in intermittentibus malignis febribus diaphoretica in principio earum ſalutaria ſtatuo: quæ victa malignitate præparatis atque lege artis vacuatis humoribus, tum demum locum invenere.

Cum itaque tantus ſit alexipharmacorum in his morbis uſus, operæ pretium facturus videor, ſi eorum indolem ac naturam explicatius hoc loco proponam. *Alexipharmaca Græcis* dicta, ab *Arabibus Bezoar* appellantur, talia, quæ vim veneno contrariam habent, ut docent *Avicenna lib. 2. ſen. 1. cap. 4. Averroes lib. 5. colliget cap. 3. Scaliger exerc: 184. ſect. 5. Bezahart quaſi vitam conſervantia patria lingua ab Arabibus* vocari teſtis eſt. Hæc *alexipharmaca Galenus 5. ſimpl. cap. 18. media* interponit *inter corpora patientia & inter ipſa venena*, ut videlicet eadem ſit proportio corporis ad facultatem alexiteriam, quæ eſt alexiterij ad venenum. Quapropter *propemodum omnia, quæ deleteriis adverſantur, ſi largius ſumpta fuerint, graviter animantis corpus lædere* ſcribit monens, ut ea moderatione quantitatis omnes id genus facultates exhibeantur, ut neque copia nimia corpus offendant, neque exiguitate à deleteriis vincantur. Contra vero *idem lib: de theriaca ad Piſonem cap. 15.* non ſolum plurimis morbis, in quibus nulla veneni ſuſpicio, *theriacam* auxiliari; ſed & *ſanitatis tempore ſi continenter accipiatur, maximè juvare* teſtatur: *quod redundantiam humorum abſumat, vividumq; calorem corpori inducat.* Et *cap. 16.* ait: *theriaca corpus bene conſtitutum ſervat, & ſalubritate beat, abſorbet excrementa humorum, refovet refrigeratas humani corporis partes, naturales facultates ad muneris ſui functionem corrobat. Idem lib. 1. de antidotis, Aurelium Antoninum*

…minum Imperatorem ſingulis diebus inſtar *fabæ Ægyptiæ* ex ipſa *theriaca*, deglutiviſſe memorat: ut illo loco, qui ſingulis diebus, quemadmodum dictus *Imperator*, & ipſe *Mithridates*, antidotum acceperit, eum à deleteriis venenis fore ſecurum promittat. Quod *Mithridatis* exemplo confirmat *lib. de theriaca ad Piſonem cap. 16.* Pariter & *Avicenna* referente *Averroe tract. de theriaca cap. 2.* teſtatur: quod *theriaca confortet à tota ſpecie calorem naturalem, & det ei multitudinem virtutum illarum, per quas curantur omnes ægritudines, & det ſanitatem omnibus membris.* Sic *lib. 5. ſum. 1. tract. 1.* præter inſignes effectus, quos in aliis morbis præſtare theriacam refert, *cor confortare, ſenſus acuere & appetitum, confortare ſtomachum, ac ſanitatis tempore acceptam à peſte immunes homines reddere* memorat. At *parte tertia cantic: aph: 51. Bezoar uſum tempore ſanitatis non eſſe convenientem* author eſt.

Averroes loco citato hunc diſſenſum perſtrinxit, nec alexipharmaca media eſſe voluit inter corpora & venena, eam ob cauſſam, quod ſi, ut *Galenus* ait *lib. 5. ſimplicium, nutrimentum eſt, quod conſervat ſanitatem perfectam, & medicina ſanitatem lapſam, venena vero ſunt, quæ auferunt ſanitatem, & medicinæ dominantes in theriaca ſunt medicinæ inter medicinas & venena; omne vero compoſitum medicamentum declinat in virtute ſua verſus latus medicinarum vincentium in compoſitione ejus, videtur, quod theriaca ſit media inter medicinas & venena, & ſi eſt media, eſt fortior medicinis, & debilior venenis. Ergo non conſervabit ſanitatem, quam conſervant medicinæ, nec curabit ægritudines, quas ipſæ curant, quoniam eſt fortior omnibus eis: & ſi conſervat ſanitatem aliquam, erit ſanitas illius, qui paratus eſt cadere in ægritudines humorum ſimilium venenis, & ſi iterum curabit, non curabit, niſi illã, quæ ex illis eſt.* Qua de re *Galenum* taxat ſcribentẽ, crebriore theriacæ uſu corpus à veneno impatibile reddi: quod, cum medicina venenoſa ſit contraria corpori, ſi ea non amplius operetur in corpus, neceſſum ſit, ut ſimile factum fuerit veneno: *quoniam id quod in aliud non agit, eſt procul dubio illi ſimile, & res, quæ in aliam agit, eſt ei contraria.* Quod ſi tale corpus detur, in quod ſuas vires exerere venenum amplius non poſſit, iſtud ſimile veneno erit, &, cum venenum contrarium ſit corpori humano, ſequetur, *tale corpus uſu theriacæ diverſum factum à corpore aliorum hominum: & id quod eſt diverſum à corpore humano, & cujus complexio ab humana*

mana differt, impoſſibile eſt, ut remaneat homo: quod ſi remanſerit; brevi temporis intervallo complexio ejus accedet ad illorum complexionem, qui habent humores venenoſos. Et *lib. 5. colliget cap. 23.* idem author improbat medicorum ſententiam, qui bezahartica media ponunt inter medicinas & venenum: *quod medium & extrema ſint unius generis, & quæ ſunt unius generis, ſint ſimilia.* Cum enim docente *Ariſtotele lib. 10. metaphyſ: cap. 7. contrariorum contingat aliquod medium eſſe, & quorundam ſit, neceſſe ex contrariis media eſſe: omnia enim media & illa quorum media ſunt, in eodem genere ſunt.* Quamobrem *Averroes* ſtatuit *melius eſſe dicere. quod Bezahar ſit in fine contrarietatis cum veneno: quia medicatio contrarietatis ſemper debet attribui contrarietati. Sed cauſſa, quare Bezahar occidit ſanum, non eſt, niſi quia non habet prodeſſe, niſi quando in corpore eſt diſpoſitio venenoſa. Et eſt, ut iſtæ medicinæ faciant duas operationes in corporo humano. Una eſt, ut venenoſa, quando recipitur non exiſtente in corpore diſpoſitione venenoſa. Et alia eſt juvatrix, quando in corpore eſt diſpoſitio venenoſa, & ſunt ſicut venenum ex una parte, & medicinæ ex alia: non quod ſint medicinæ ex parte, ex qua ſunt venenum: quia non eſt extraneum, ut dicatur; quod diverſificantur actiones unius agentis diverſificatis diſpoſitionibus ſubjectis locorum.* Hactenus Averroes. Cujus ſententiæ adſtipulari videtur *Plinius lib. 27. hiſt. nat. cap. 2.* ubi de aconito differit: *quod venenorum omnium ociſſimum in uſus humanæ ſalutis verſum, ſcorpionum ictibus adverſari experiendo datum in vino calido: quod ea ſit natura, ut hominem occidat, niſi invenerit, quod in homine perimat. Cum eo ſolo colluctatur, velut pari intus invento. Sola hæc pugna eſt, cum venenum in viſceribus reperit: mirumq́; exitialia per ſe ambo cum ſint, duo venena in homine commoriuntur; ut homo ſuperſit.* Horſum referri poteſt hiſtoria *Eumpimæ* adulteræ apud *Auſonium epigramm: 10.* quæ

Toxica zelotypo dedit uxor mœcha marito
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum.
Miſcuit argenti lethalia pondera vivi:
Cogeret ut celerem vis geminata necem.
Dividet hæc ſi quis, faciunt diſcreta venenum,
Antidotum ſumet, qui ſociata bibet.
Ergo inter ſeſe dum noxia pocula certant,
Ceſſit lethalis noxa ſalutiferæ:

Proti-

Digitized by Google

Protinus & vacuos alvi petiere receſſus
Lubrica dejectis qua via nota cibis.
Quam pia cura Deum! prodeſt crudelior uxor,
Et quum fata volent, bina venena juvant.

Pariter *Smaragdum*, quem tanquam alexiterium plurimum commendavit, etiam venenatum eſſe, ex ſuis experientis prodidit *Avenzoar lib. 2. theiſir, cap. 5.* Hos ſecutos *Joh: Michael Paſchal: qui lib. 1. de cur: morb: cap. 8*, theriacam magnam veneno affectos curare, & ſanos veneno afficere, idemq; de aliis bezaharticis ſimiliter aſſerendum, exiſtimat: quemadmodum medicamenta purgantia, quæ ægros juvant, ſanos lædunt, teſte *Hippocrate 2. aph. 36.* & *4. aph. 16.* quod theriaca venenata ſit, ob ea, quæ confectionem ejus ingrediuntur: & quod ratione extremæ contrarietatis venenum corrumpat, ſicut cætera bezortica.

In hoc ſententiarum divortio notandum, venena, quorum actionibꝰ oppoſita ſunt bezoartica, diverſis modis corpori inferre noxam: quædam manifeſtis qualitatibus, calida, frigida, humida, ſicca, ſimplicibus aut his varie conjunctis, harumque conſectariis qualitatibus ſecundis & tertiis, quædam ſolum totius ſubſtantiæ proprietate, qua complexionem cordis occulta quadam actione, nullo aliarum qualitatum exceſſu corrumpunt: quædam fortitudine attractionis, ut *helleborus albus* teſte *Averroe 5. colliget, c. 22.* Totidem quoq; modis medicamenta bezoartica agent *ejusdem ſententia*, *libro citato cap: ſequenti*, & *Avicennæ part: 3. cantic: aph: 51.* Quædam enim manifeſta qualitate permutant: quædam à tota ſubſtantia id agunt: quædam fortiter venenum attrahunt. Ex quibus ea, quæ tota ſubſtantia venenum excludunt, duum generum ſunt: vel enim proprietatem obtinent cordis complexioni ſimilem, quam conſervant, ut veneni labem à ſe amoliatur, vel generis ſimilitudine id præſtant. *Illa* innoxie ſanitatis tempore præſervationis, & in morbis curationis gratia porrigi poſſunt, Quemadmodum *ſemina citri* venenis omnium authorum teſtimonio adverſantur. *Ita bolus Armena*, qualis deſcribitur à *Galeno 5. ſimpl. cap. de terra Samia* (noſtra enim vulgaris rubrica potius eſt, nec *Armeniam* unquam vidit) maximos effectus in peſtilentia *Galeno* coæva præſtitit, ut qui ab ea non fuerint reſtituti,

 nec

riaca ad Piſonem cap. 10. & Avicennalib. 4. f. 6. tr. 3. cap. 1. Mulorum ſanguis potus venenum eſt, carnes eorum cibo datæ, ſunt remedio *Alysonio* herbæ paſtæ oves periclitanter, mox radice ejus aſſumpta liberantur, tradente *Octav: Horat: lib. 4. ad Euſeb: Jecur canis rabidi* ab eodem demorſis potenter auxiliatur, authore *Vegetio lib. 3. art: veterin: cap. 84. Cantharides* veſicæ renibusque infeſtam vim gerunt, quarum ala noxium illud virus emendant *Galeni* teſtimonio *lib. 11. ſimpl. & 2. de antidotis* ex authoritate *Aſclepiadis*, ſi ſcilicet earum pedes & alæ tritæ cum melle eclegmatis forma aſſumantur, Confer *Aet l. 13. c. 49.* Itaq; conjunctione eorum remediorum, quæ ex venenis venenatisq; corporibus parantur, cum alexipharmacis, quæ tota ſubſtantia cor à malignitate tuentur, præclariſſima naſcentur antidota, quæ media quodammodo ſint inter corpora & venena: quodammodo inquam ex *Galeno*, non exactè media: ſiquidem contraria ſuo modo ſunt, quod venenis & propterea corpori noſtro lege contrariorum adverſentur; non tamen adeo contraria, ut occidant, ſed quod potius ambigant, ac temperamento aliquo modo ſint ſimilia illis, quæ lędunt, non tamen ita graviter officiant. De his alexipharmacis *Galeni* verba intelligenda cenſeo, non de prioribus: nec enim abſolute cuncta alexipharmaca, ſed quam plurima talia eſſe dixit. Multa enim, ut jam dixi, dantur alexipharmaca, quæ tota ſpecie venenis inimica ſunt, non quia media inter medicinas & venena, ſed quia connatis viribus, totius ſubſtantiæ ſimilitudine, cor cęteraq; membra tuentur ne labem veneni recipiant, quam & receptam oppido expugnant: ex quorum cenſu ſunt *citri ſemina, bolus Armena, ſphragis Lemnia, zedoaria* Quo etiam *theriacam* refero, quæ ex ſelectiſſimis alexipharmacis, quæ longa ſeculorum ſerie à ſummis medicinæ authoribus adverſus venena venenatosq; morbos commendata ſunt, compoſita; quæ & à ſanis, præſervandis corporibus, & in morbis, ubi nulla etiam veneni ſuſpicio, ab *Andromacho, Galeno, Avicenna* aliisque diverſis locis laudata. Hæc ex *Mithridatio* originem traxit, ut fatentur *Galenus lib. 1. de antid: cap. 1. Avicenna lib. 4. ſumm. 1. tract. 1.* quibusdam ab *Andromacho Neronis Archiatro* additis, demptis & mutatis, cumprimis vero adjecta viperina carne, propter quam *mithridatio* adverſus viperarum morſus magis auxiliatur etſi in aliis-

aliis *mithridatio* inferior aliquantum cenſeatur. Nec eſt, ut permixta *theriacæ* venena quis accuſet, *opium vitriolum*, *carnem viperinam.* Quotula enim eorum portio eſt, quæ ſingula dimidij gran: ponduſculo in ſingulas doſes accepta, ne quidem integris maneat viribus, ſed ante mixtionem jam emendata, poſtea aliis permixta alexipharmacis ſe pervadunt? quæ dum fermentatione velitationem quaſi quandam ſubeunt, refractis ſingulorum viribus, nova & nobilior inde exurgit medicamenti virtus. Annon *opium* majori quantite ægris cottidie datur ſalubertimo conſilio, & præſenti adverſum invictas vigilias auxilio? Sed & *vitriolum* innoxie multò, quàm heic, majori copia datur. Namq; *Dioſcorides l.5. de re med.cap.74.* latas ventris tineas necare drachmæ pondere devoratum, aut cum melle linctum vomitum ciere, adverſus hauſta fungorum venena ex aqua potum auxiliari litteris prodidit. Et ſecretum *Lucæ Ghini*, adverſus peſtem commendatum, paratur ex *vitriolo*, ut conſtat ex *Thoma Jordano tract. 3. de peſt: phænom: cap.9.* Annon *acidulæ*, quæ vim à *chalcantho* præcipuam obtinent, tot tantisq; humani corporis affectibus medentur? *Carnes viperinas* coctas innoxie comedi experientia conſtat, & dudum in clariſſimorum authorum monumenta relatum, *Galenus lib.11. ſimpl: cap.de carne viperina*, viperas inſtar anguillarum *oleo*, *ſale*, *anetho*, *porro*, *condiri ſcribit.* Quo loco tria exempla elephantiacorum refert, qui vino, in quo vipera ſuffocata periit, reſtituti fuere. *Aretæus* quoque *lib.4. de ſign: & cauſſ: diuturn: morb: cap. ult.* quendam elephantiacum potu muſti, in quo vipera ſuffocata perierat, reſtitutum narrat, ut novi crines, unges, cutis, caroque, ſubinde renata fuerint, prioribus mali gravitate corruptis ac decidentibus. Confirmat *Aetius lib. 2. cap. 168.* potu vini hujus viperini elephantiaci cutem, quæ tota tumuerat, tanquam oſtreorum operimenta, decidiſſe, reliqua moliſſima effecta, haud aliter, ac ſi cancer aut locuſta teſtas depoſuiſſent. Quorum imitatione, *Joannes Juvenis in epiſt. de med. Bezoart. ad Brakelemium*, *vinum theriacale* conficit, & tempore vindemiæ duas viperas conjicit vivas in muſti modium: cujus defæcati vini cyathum ante prandium bibitum ſumenti à peſtis contagio ſecuritatem præſtare, eumque à potu hujus rejuveneſcere, promittit. *Galenus* quoque *loco allegato* duo exempla ſubjungit, alterius, qui viperis, anguil-

anguillarum modo præparatis, uſus, reconvaluit, item alterius, qui poto medicamento ex viperis ſanitatem recepit. *Idem de ſubſig: emp: c. 12. l. 2. ad Glauc: c. 10.* elephantiacis viperas comeſas mirabiliter prodeſſe tradidit, quas anguillarum inſtar coquendas monet, Firmat *Aetius loco adducto. Octav: Hor. l. 1. rer: med. c. 32.* carnes viperarum oleo & ſale conditas elephantioſis profuiſſe author eſt. Quos ſequuntur *Amatus Luſitanus centur: 2. curat: med. curat: 79. & Rodericus Fonſeca tom: 1. conſult: med: 66. & tom. 2. conſult: med: 18.* qui elephantiacis fercula ex viperis parari jubent; quorum hic gallinas carne viperarum nutritas decoquere, harumque jus ægris potandum cottidie exhibere, ſuadet. Quemadmodum & *Amatus Luſitanus* loco dicto, ut & *Baldus Angelus Abbatius tr. de viperis c. 4. & 27.* carnes illas viperinas nequaquam venenatas eſſe, docuerunt, venenum vero illis contineri veſiculis, quæ ad hamatos dentes poſitæ conſpiciuntur. Hæc adverſus rudis popelli aliorumque confirmatam opinionem adducere volui, qui *theriacæ* uſum ob recepta venena tantopere reformidant, ut niſi ſudore rurſus eliciatur, in venenum verti arbitrentur.

Averroem quod ſpectat, qua ratione alexipharmaca *Galenus* media inter venena & medicinas poſuerit, jam dixi. Nec enim *theriaca* aliaque id genus alexipharmaca præciſè media dici poſſunt, cum medicinas dominantes in theriaca tot remediorum permixtione & mole & viribus fractas, ac alias innòxie, imo cum ſalute ęgrotàntium dari, conſtet. Sed dentur eſſe media; an propterea medium & extrema inter ſe non agent, quod ea ſint unius generis? Maximè vero agent, ſiquidem agentia & patientia & ſimilia, & diſſimilia, ac contraria, eſſe debere certum eſt. Annon ferventiſſimæ ſed paucæ aquæ tepida copioſe affuſa alterius fervorem temperabit? Sic aloe quæ tertio gradu ſiccare dicitur *Galeno 6. ſimpl:* novies irrigata ſucco roſarum, qui pariter ſiccandi vim habet, tertium ſiccitatis gradum minime retinebit. Quin veneni congeneris corporis permixtione cætera alexiteria potentius venenum oppugnabunt, ob rationem mox allegatam. Sed ſanitatis tempore non habebunt, cum quo ejuſmodi alexipharma pugnare poſſint? Dico parvam eſſe molem, tantopere correctam, nec venenatam cottidianæ experientiæ documento. Quin ſi talia alexipharmaca exhibita corpore jam veneno

occupato, cordis ſubſtantiam ac complexionem non pervertunt, multo minus id præſtabunt, ubi nulla veneni noxa adeſt. Si enim bezoartica naturæ noſtræ adverſa forent, præſente veneno, ab utriſque plus damni pateremur, quam ſi bezoartica ſola exhiberentur.

Illud ultro conceſſerim, venenoſa medicamenta, ad quorum tamen cenſum nequaquam theriacam referendam duco, nec morbis, niſi ex ſimilibus humoribus naſcantur, nec ſanitatis tempore, prodeſſe poſſe, quod hæc a venenis toto genere differat, morbi vero aliam à venenis cauſſam agnoſcant. Fateor equidem conſuetudine adeo familiaria aliquando corporibus fieri poſſe, ut in illa non amplius operentur: quemadmodum id à venenis crebris aſſumptis fieri poſſe plurima exempla teſtantur, *anus* illius *Atticæ* apud *Galenum 3. ſimpl: fac: cap. 18, puellæ*, apud *Avicennam lib. 4. fen. 6. tract. 1. cap. 2.* quæ napello nutrita concubitu ſuo homines veneno inficiebat, cujus etiam ſaliva guſtata animantia interficiebantur, & alterius puellæ apud *Averroem in proœmio 7 phyſicorum, Alexandro Magno* ab *Indorum Rege* tramiſſæ, quem *Ariſtoteles* hortatus, ut ab illius concubitu abſtineret; *Cambajam Regis ſi ij*, qu adultus adeo factus venenoſus, ut muſcæ quæ ſolo ſuctu cutem modo perſtringerent, turgidæ interirent, teſte *Scaligero exerc: 175. ſ. 1.* De quo *Cambajæ Sultbani filio Cluſius annot: ad cap. 25. lib. 1. Garziæ hiſt: arom.* prodidit, eum maſticatis quibusdam fructibus, *choſolu* & foliis, quæ *tambolos* vocant, juncta *oſtrearum carne*, ſaliva interfeciſſe homines, qua conſputati intra mediæ horæ ſpacium in terram corruerent, atque expirarent. Et ſupra jam retuli, *Mithridatem* conſueviſſe quotidie venenum bibere, ut conſuetudine ipſa innoxium fieret. Venenum enim etſi tota ſubſtantia naturæ noſtræ contrarium ſit, ut pauca quantitate calorem innatum diſſolvat ac corrumpat: in illa tamen exiguitate dari poterit diſtincta gradus quantitas, eaque in plures ſubdividi portiunculas, quarum aliqua accepta lædat quidem, ſed non interficiat, imo à naturæ robore victa, ac conſuetudine tandem familiaris reddita, ſenſim auctiori oblata illius mole, innoxia fiat: quemadmodum & medicamenti unius ejusdem vires crebriore uſu ſegneſcere ſcimus. De his tamen corporibus dixerim, ea à ſe ipſis cæteriſque ejusdem ſpeciei corpo-

corporibus aliena eſſe facta, iisdemque nocitura: quapropter accidet, ut remota proprietate corporis eſſentiali; cum ejus complexio ab humana differat, tandem talia ſymptomata appareant, qualia in toxicatis oboriri conſueverunt, niſi ἰδιοσυγκρασίᾳ impervestigabili, & ſua cuique ſubjecto propria, aliquando conſerventur: qua nulla aſſuetudine, naturali inſtinctu, quidam venena appetunt, ut puella apud *Joannem Juvenem in epiſt: ad Brakelemium*, quæ omnes domus angulos perſcrutabatur, ut araneas devoraret: quas & *Bredamum, civitatum Hanſeaticarum in Luſitania Procuratorem*, quem vulgo *Conſulem* vocant, innoxie voraſſe vidi. Cæterum, exempla talia cum particularia ſint, in contemplationem non cadunt monente *Averroe lib. de theriac: & capite citatis & Card: Ponzetto lib. de venen: cap. 8.*

Quod ſi venena venenorum aliquando eſſe remedia contingat, ut allegatis, aliiſque exemplis cognoſcitur, id præſtabunt, non quà venena ſunt (illa enim nullo unquam tempore neque ægrotis hominibus neque valentibus opem ferunt, docente *Galeno 6. in 6. epid. t. 5.* quæ ſi ſimilia facultate fuerint, alterum alterius deleteriam perniciem augebit, ut ſi quis hauſto *arſenico ſublimatum* accipiat, à *cicuta opium*:) ſed quà invicem diſſidentiam interdum habent, vel totius ſubſtantiæ, ut *aconitum & ſcorpiones* authore *Plinio lib. 27. hiſt. anim. cap. 2.* vel qualitatum manifeſtarum ut *mandragoræ & hellebori venena*, eodem *Plinio teſte lib. 25. cap. 13.* illa enim efferam hujus purgandi vim narcoſi ſua potenter ſiſtit. Ita *argentum vivum* marito datum adverſus *toxicum* profuiſſe reor, quod, cum grave ſit ac mobile, ociuſque per alvum ſe præcipitet, porrectum venenum ſimul eduxerit. Quamvis *argentum vivum* à *Galeno 6. in 6. epid. tex: 5. Dioſcoride lib. 6. cap. 28.* inter venena recenſum ad venenorum claſſem meo judicio referri non debeat: cum & crudi & præparati uſus in quibusdam morbis ſalutaris plane ſit, in *lue veneria*, cujus merito ῥιζότομον dicitur: in partu facilitando, ut teſtatur *Matthiolus in comm: in Dioſcoridem loco citato*, experimento mulierum *Goricienſium*: in vermibus ex *Fallop: tract: de morbo Gall: cap. 76. Platero part. 3. prax: cap. 13. Horat. Augenio tom: 1. lib. 11. epiſt. 1.* In iliaca & colica paſſione ex *Æginera lib. 7. cap. 3. Paræo lib. 20. cap. 30.* Imo crudum magna ſatis quantitate innoxie aſſumptum teſtatur *Thomas Jordanus de peſtis phænomenis tr. 3. c. 9*,

exemplo *Georgij, Marchionis Brandeburgenſis*, qui gravi ſiti æſtuans noctu lagena, quam liquore plenam judicaverat, *hydrargyrum* hauſit, ac paulo poſt innoxie per alvum excrevit. Quædam etiam venena cum non niſi certa quantitate perimant, ſi eadem certis venenis contrarientur, modice accepta, illorum vires frangunt: noxa verò illata hominem quidem lædere, at non occidere poteſt, refractis invicem viribus, & quod paucitate quidem nocere, non vero interimere ſoleant.

Hæc de alexipharmacis dixiſſe ſufficiat, præter quæ alia præſidia adhibenda, quæ veneni vim foras ex corpore evocare ſolent. Ea vero authore *Galeno lib. 5. ſimpl: cap. 18. Avicenna lib. 4. ſen. 6. tr. 3. c. 1.* duum generum ſunt. evacuans totius ſubſtantiæ ſimilitudine & 2. caliditate partium, qua venenum foras trahitur: quod confirmatur *13. m. m. cap. 6.* quemadmodum & poſterius *lib. 3. de loc: aff: c. 7.* ex curatione pueri epileptici colligitur, qui exorto ex tibiis malo, *thapſia* ac *ſinapi* parti affectæ impoſitis ſanatus fuit. Ea enim venenatos humores ſpiritusq; ex alto corporis in ſumma evocant, partiumq; tenuitate ſimul reſolvunt.

Celebris apud medicos eſt inunctio *Aetij l. 5. c. 130.* quam in exanthematibus, culicum morſib⁹ ſimilib⁹, adhibet, toto corpore *hydrelæo*, cui portiuncula *nitri* admixta ſit, inuncto: materiam enim profundā attrahit, intimasque partes refrigerat, unde ſæpe ſudore allato ingens acrium humorum copia diſſlatur. Hanc inunctionem *Aetij Hercul: Saxon: l. 3. d febr. c. 37. Rodericus Fonſeca tom: 2. conſult. med: 31. Dan: Sennertus l. 4. d. febr. cap. 11.* & alij ad trahendam ex centro ad ſuperficiem venenatam materiem laudarunt *Melichius comment: de componend: med: rat: pag. m. 319. Andreæ Marino* febre peſtilente correpto ex frictione cum nitro tantum cutis ardorem & acrimoniam accidiſſe ſcribit, ut ante diem ad mortem ſe rapi æger conqueſtus ſit, quod & factum idem *Melichius* narrat. Cæterum virulentia potius veneni iſtum ægrotum abreptum crediderim, quàm ſalutari tot ſeculis comprobata *Aetij* inunctione, niſi vel nitri nimiam quantitatem adhibitam, aut corpus acrimoniam nitri, pinguiumque illinitionem ſuſtinere non potuiſſe, quis dicere malit: quemadmodum non raro tales invenire licet, quibus à litu rerum pinguium aut acrium cutis illico prurit

& exulc-

& exulceratur. Quin, cum ignavior videatur inunctio *Aerij*, variis modis medici illam corrigere ſtuduerunt. *Montanus tr: de febr. peſt. cap. 55.* dum inunctionem ad eductionem macularum commendat, *oleum amygdalarum amararum* loco vulgaris olei ſubſtituit, quod hoc ut plurimum ex olivis immaturis conficiatur. *Ægyptij* memorante *Proſpero Alpino lib. 4. med. Ægypt: cap. 15.* in peſtilentibus febribus, in quibus exanthemata apparere incipiunt, vel exitura ſperant, magna ægrotantium ſalute ſemel ad minimum de die linitionem inſtituunt, ſatis calidam, cum levi frictione, ex *oleo rutæ, juniperi, chamomillæ, amygdalarum & nitro rubeo*: hinc ægrum pannis coopertum ſudare jubent, atq; ſic venenoſum humorem à viſceribus ad ambitum corporis retrahere ſtudent. *Hungarii* teſte *Thoma Jordano de peſtis phænomenis lib. 1. cap. 29. leviſtici radicem* recenter effoſſam & ablutam in *axungia porcina* recenti perpurgata & abluta contundunt: quo univerſum caput abraſis capillis, præcipue frontem & tempora frigide inungunt. Hinc linteo ingenti aqua ardente, aut vino ſimplici calefacto, imbuto, corpus univerſum obductum amiciunt, & ita cubanti ægro ſudorem magna violentia, & non levi ex mordacitate dolore, proliciunt. Præterea *allio in aceto* macerato, & *ſale* carpos manuum & plantas pedum vehementiſſime diverſionis gratia perfricant, ut nec aliis præterea ſe muniverint præſidiis. *Nicolaus Boccangelinus tract: de morb: malign: & peſtil: cap. 24.* in peſte ſæviſſima *Algeriæ*, quæ ex aeris pernicie producta erat, nonnullos mane & veſperi pauco cibo ſumpto mercuriali uſos unguento tradit, quo pubes & inguina inungebantur. Quod, etſi præſervandis à peſte corporibus inſtitutum linimentum referat, in curatione etiam adhibitum fuiſſe videre poterit: cum evocandæ ex centro ad ſuperficiem malignati fuerit propoſitum. Quo fine etiam *Ambroſius Paræus lib. 21. de peſte cap. 29.* ad faciliorem macularum eruptionem unguentum mercuriale laudat, quo ſæpius in febribus peſtilentibus cum ſucceſſu uſus. Contra *Julius Palmarius tract: de febre peſtil: cap. 24.* hydrargyroſin iſtam improbat, quod frigidum & humidum, ejus opinione, hydrargyrum calamitoſam veneni labem una cum humore intro regerere, mortemque inferre poſſit, contaminatis viſceribus, quod in multis evenire vidit. Doctus *Lutetiæ* medicus *Simonius* hoc reme-

Digitized by Google

remedio in ſe ipſo uſus ad digerendum peſtilentem inguinis bubonem, illico vires proſtratas ſenſit, brevique, bubone deliteſcente, occubuit. Mihi uſu incomperta in his morbis unguenti mercurialis vis, etſi dotes mercurij adverſus peſtis contagium à multis laudatæ ſint, nec uno exemplo infamari præſidium ſtatim debeat, cum in peſte purpuratisque febribus cunctis lege artis adminiſtratis, inclinata in melius valetudine, ſubita παλινδρομῇ venenum aliquando cor repetat, ægrumque ſubito juguler, quod & Simonio accidere potuit. Non tamen temere ad uſum hujus remedij venerim, niſi forte in corporibus denſis ac frigidis, quod alia plura ad manus ſint experta remedia, quæ minore periculo, cum votivo ſucceſſu adminiſtrari poſſunt. Laudatur *Unguentum Palmarij*, deſcriptum *tract: de febr: peſte c. 20.* quo cervix, tempora, cordis regio, os ventriculi & genitalia primis diebus mane & veſperi illinuntur. Laudatur *oleum ſcorpionum ſimplex*, item *ol: ſcorpion: compoſ: Matthioli*, cujus miras ἐπαγγελίας vide apud eundem *præfat: in 6. lib. Dioſcor: oleum Pontificis Leonis* ſeu *Gregorij Caravitæ*, propoſitum à *Fallopio tract: de tumor: præter: nat: cap. 27. oleum Ludovici de Leonibus*, deſcriptum à *Cratone Conſil: 275. Oleum Lyconinum* ſive *de araneis Mindereri lib. de peſt. cap. 16. & in append. c. 7.* quibus cor, arteriæ, ſpina dorſi, alternis, ternis aut quaternis, horis inungantur: quæ etiam viribus debilibus, & ubi infirmi medicamenta nec volunt nec poſſunt accipere, adhiberi debent. *Pinguedo viperina* tota ſubſtantia venenum ad ſe trahit, quam cum *caphura* ac *theriaca* præſervationis gratia in peſte *Patavina* arteriis & emunctoriis illinebam. *Plinius lib. 29. nat: hiſtor: cap. 4.* hac pinguedine illitum omnes ſerpentes præſentia ſua fugare credit.

Nec ſuperſtitioſos hos litus quis arbitretur, quos clariſſimorum medicorum fida experientia in his aliisque venenatis morbis totiens comprobavit, ut *Cardanus l. 2. de ſubtilitate* illos intro aſſumptis alexipharmacis præferre auſus ſit, eo à ſolo caſu excepto, quotiens veneni ſubſtantia adhuc in ventriculo ſubſiſtit. Sic *Zacutus lib. 3. prax: hiſt: admir: obſerv: 84.* in toxicato, cæteris fruſtra expertis, unguentum alexiterium toti corpori ſalutariter admovit. Et *Mindererus locis allegatis* in his febribus olea antitoxica laudat. Mihi litus iſti alexiterij uſu frequentes ſunt in *variolis, morbillis, purpura*: quos & in ipſa peſte, ma-

lignis

lignis febribus, ac quotiens cor maligno vapore oppreſſum languet, dictis locis, cum leni, ſed diligenti frictione, ſæpius adhiberi poſſe ſtatuo, quod adſtrictos poros corporis reſerent, viamque ſudori parent, quem & oppido provocent, ac leptomeria ſua in abditas partes ſe trajiciant, calore & familiaritate ſubſtantiæ venenum foras evocent, virtute alexiteria cor roborent, deleteriam veneni perniciem corrigant, nullo caloris metu, qui inter initia emergentis purpuræ raro magnus eſt, & ab admotis rebus tantus excitare nequit: cum totis viribus enitendum ſit, ut à profundo corporis malignus calor ad ſuperficiem retrahatur, monente *Aetio lib. 5. de re med: cap. 95.* qui alias ſua ſponte ad interiora abit. Horum linimentorum aliquot exempla in gratiam lectoris tyronis ſubſcribam.

℞. *Olei commun. vetuſtiſſimi* ℥iij.
Vini albi generoſiſſimi, Cretici ℥ij.
Rad: angelic: valerian:
Zedoar: dictamn: alb:
helen: an: ʒj.
Herb: ſcord: rut:
dictamn: Cret: an: p. j.

Præparata vaſe clauſo ebulliant ad conſumptionem vini & fortiter expreſſa aliquoties colentur; poſtea adde *Theriacæ veteris*, *Mithridatij an* ʒij. *Caphuræ diſſol:* ℈ij. *Lap: prunell:* ʒj. *Flor. Sulphuris*, (nam & hoc *ἰοβόλων ἀλεξητικόν* eſt, & à *Galeno lib. 9. ſimp. cap. de Sulphure*, ad morſus venenatorum animalium commendatum) ℈iv. *Styracis liquidi* ʒiij. Optime remixta toti corpori, imprimis dorſo, arteriis manuum, temporum, cordi regioni emunctoriis principum, membrorum, imo volis manuum ac talis pedum, adhibita leni, ſed diligenti frictione, quo vis linimenti penetrantius ſe inſinuet, tepentia inunguntur: idq; bis ad minimum cottidie repeti debet.

Vel ℞. *Ol: rutacei* ℥vi.
Scorpion: ℥iij
Caphuræ ℈iß.
Fl: benzoes ℈ß.
Nitri præparat ℈ij.
Ol: ſtill: rut:

angel:

angel: an: ℈j.
citri ℈ ß
Styracis liquidi ʒij. miſc: pro linimento.

Vel ℞. *Ol. ſcorpionum ſimplicis* [redacted]
in quo *araneæ grandores* [redacted] extinctæ
& aliquot dies maceratæ fuerint, ℥ j.
Pinguedinis viperin: ʒij.
Extr: Theriac: caphur: Andern: ℈ij.
angelic: zedoar:
valerian: an: ℈ß.
Ol: ſtill: ſuccin: alb: rectiſ:
Rut: an: g. vi.
nuc moſch: per expreſſionem,
affuſo aliquoties S. V. omni
virtute aromatica ſpoliati ʒjß.
miſc. l. a. pro linimento.

Præter hæc fotus externis membris provocando ſudori adhibiti, reſeratis poris viam exeunti veneno ſternent, & calorecucurbitæ adinſtar intus deliteſcentem veneni perniciem foras evocabunt. Ita *Schenkius lib. 6. obſer: medic:* ex *Simonis Riquini epiſtola de febre ſudatoria adComitemHermannum de Nuenare* hiſtoriam ruſtici cujusdam refert, qui hidropyreto correptus, furnum calentem, unde panes jam cocti extracti fuerant, ingreſſus, ibi cum totus ſudoribus deſtillaſſet, emerſit tandem languidiuſculus, ut ſolent ab eo morbo convaleſcentes. Porro qui deinde in eo furno excoctus panis aliquid virulenti manducantibus conciliare viſus. Noſtro tempore increbruit vaporarij ſequentis uſus, quo in paralyſi, ſcorbuto, aliisque frigidis affectibus, feliciter ægri utuntur, ut vix par remedium invenire liceat, quod foris admotum humores frigidos, ſeroſos, alteret, & per poros cutis adeo potenter evacuet: præmiſſa tamen lege artis univerſalium adminiſtratione.

Capſula ſeu inſtrumentum quadratum paratur ex aſſeribus, probe invicem conjunctis, in cujus ſuperiori parte foramen ſit, per quod æger caput exerere, ac liberiori reſpiratione frui poſſit: ſcamnum in medio ſit poſitum, item ſcabellum, ne pedes ſtando defatigentur: inferiori

Digitized by Google

feriori parte prope pavimentum ex utroq; latere feneſtra fiat ſeſquipalmi longitudine per quam phiala intromitti, rurſumq; reduci poſſit. Hinc ſcutellæ duæ, ab utroque latere una, quæ quatuor aut quina cochlearia ſpiritus vini teneat, intra capſulam ponuntur, ac candela cerea papyrove ardenti affuſus ſpiritus accenditur, utraque feneſtrâ ocius occluſâ. Qui ubi totus conflagrarit, reſerata feneſtra novus affunditur, iterumque accenditur, idque toties repetitur, donec ſudoris finem ponere ſit propoſitum; ſemper magna cautione adhibita, ne vel æger pauca flamma refrigeretur, vel nimio calore comburatur, aut prolato ſudore animo linquat. Ab hac ſuccenſa vini flamma totum corpus ſudore prope colliqueſcet, ut eundem cunctæ partes ſtillare, rivulique humorum per anguſtas capſulæ rimas manare, videantur. Remedium tamen hoc in præſenti morbo vix adhibendum, ne ſanguis nimis efferveſcat: vaporari potius infirmum ſuaſerim decocto alexiterio, cujus vapor per tubulum admiſſus ſudorem toto corpore provocabit, exhibito ante ingreſſum alexipharmaco, quod ſudorem eliciat. Sic *Rhaſes lib. de peſte cap. 7.* vapore aquæ ferventis corpus *διαφόρητον* reddere conatur, quo veneni vis promptius exhalet.

Suffumigia quoque huic inſtituto commoda erunt, qualia jam recenſui: quæ & à *Roderico Fonſeca tomo 2. conſult*: in his & ſimilibus morbis celebrata: quanquam heic, quæ venenatos emittunt fumos, merito abeſſe, nec *antimonij* (quod dictus author facit) nec *mercurij* aut *arſenici* quicquam iis remiſceri ſuaſerim, ne aura venenata cor cerebrumque ſubito occupet, ſpiritusque corrumpat ac diſſolvat.

Cucurbitulæ ſcarificatæ, & quæ abſque ſcarificatione apponuntur, item veſicatoria huc referantur: quod calore ſuo humores ipſumque venenum altè demerſum ad ſe trahant: verum cum hæc præſidia non niſi adhibitis aliis catholicis remediis in uſum veniant, ea ſuo loco reſervabo.

Aaa CA-

CAPUT XXIV.

De Phlebotome aliiſque Cheirurgicis auxiliis.

HActenus profuſe relata, quæ veneni noxium virus corpore educant, ſequitur jam parallela curandi ἔνδειξις, quæ febrilis caloris materiem tollere doceat. Qua in re phlebotome præ cæteris præclare auxiliari ſolet, quod non tantum evacuando putrido humori, ſed & refrigerando febrili calori, &c. quo eventatio melior fiat, deplendæ humorum copiæ, quæ inter obſtructionis & putredinis cauſſas præcipua habetur, prodeſſe poſſit: quæ etiam propterea in febribus imprimis laudata à *Galeno l. 9. m. m. c. 4. & 5.* item *11. m. m. c. 15.* ut illa febrem aliquando jugulaſſe viſus fuerit.

An vero dicta phlebotome & his febribus conveniat, authores inter ſe acerrime digladiantur: aliis eam, tanquam neceſſarium morbo remedium, commendantibus: aliis ut maximè nocituram infirmo damnantibus. Ex priſcæ medicinæ ſcriptoribus *Aetius lib. 5. de re med. cap. 130.* in principio harum febrium, niſi quid obſtiterit, ſanguinem vacuare ex *Herodoto* ſuadet. Quod & fieri jubet *Avenzoar ſui theiſir lib. 3. tract. 3. cap. 1.* poſſibile ratus, ut ſic faciendo multi forſan, qui moriuntur, liberentur. *Avicenna lib. 4. fen. 1. tract. 4. c. 4.* ſummam curationis peſtilentium febrium in exiccatione poſitam dicit: in quem finem phlebotomen & ſolutionem ventris proponit: quarum iſta, ſi phlethora urgeat, hæc, ſi humores corrupti luxurient, primum adhibenda. Ex recentioribus *Lud: Mercatus lib. 7. cap. 2. q. 290.* venæſectionem in febribus malignis citra dubitationem fieri debere mandat: tum quod febris ſit de genere putridarum, cui nullum aliud auxilium utilius adinvenerit *Galen: 11. m. m. cap. 15.* tum quod morbus majorem occaſionis partem ex putredine, ab apparatu morboſo orta, originem trahat, cui & vacuationis gratia proficua

cua ſit:tum quod contagio ſubſtrata primo materia ſanguis ſit,quem, antequam ex toto vitium ſuſceptet, minuere deceat: ſiquidem minus veneni ſuperet ſanguine miſſo, ac per conſequens fere ſola communis putredo,citra veneni contagium,à qua facilius ſe expediat natura: quo factum eſſe ſcribit, ut, qui ſanguinis miſſionem neglexerunt, ſpurciſſimâ putredine & venenoſa, quæ nullis uſquam remediis cedere voluerit,miſere perierint: quia & univerſus, & omnis ejusdem maſſa veneni contagio conſpurcata fuerit, ut omnia, quamvis maxima & rationi conſentanea,contempſerit præſidia. Sed nec ſemel ſanguinem vacuare contentus eſt:quin, ſi vires conſtiterint,ſecunda, tertia, ſæpe & quarta vice venæſectionem repetere ſuadet,donec aliquid ejus, quod in minera putredinis continetur, extrahi conſpiciamus, antequam illud reliquum ſanguinem conſpurcet & vitiet. *Job: Thomai Minadoi lib. 2. de febr: maligna cap. 3.* ex *Galeno* aliisque *Græcis* & *Arabibus* medicis demonſtrare conatur, eos phlebotomen familiariter in his febribus adminiſtraſſe: præterea cum ex præſuppoſito fundamento ſtatuat, hanc febrem ſuam ideam habere poſitam in ulteriori quodam putredinis gradu, atque hunc gradum ut plurimum habere fomitem ex obſtructione, vel certe prohibita tranſpiratione: prohibitam vero tranſpirationem interdum foveri vel etiam fieri ab humorum omnium redundantia; fieri a.nulla ratione poſſe, ut obſtructio hæc adimatur, non ademptâ eâ redundantiâ, quæ illam facit foveтve, inde ſatis patere arbitratur, venæſectionem ſingulare in iis fore præſidium, quibus tranſpiratio nativi caloris prohibetur, ab ipſa humorum copia & redundantia. Quibus rationibus ſequens addit argumentum: In quacunque ægritudine, quæ vel magna ſit, vel magna fieri poſſit, ſaluberrimum eſſe ſanguinem mittere, ſi modo & illa ſanguinis præſentiam habeat vel effectricem vel fautricem, vel virium tolerantiam. Quare in malignis febribus, quas ſpectamus fieri vel foveri à ſanguinis præſentia, cum magnitudinem habeant, ſanguinem mittere præſtabit per venam ſectam, ut inde tutius ad tollendas obſtructiones, ad abigendam putredinem curationem convertere valeamus. *Clementius Clementinus Amerinus tract: de peſt:* in febribus peſtilentibus phlebotomen propere fieri præcipit: quod, ſi qua ſpes ſuperſit, in ea conſiſtat, quam cito fieri, quod humores ſint

Digitized by Google

furioſi, & largiter vacuari jubet, ad ſyncopen uſque. *Joannes Coyttarus l.2 de febr purp: curat:* multus eſt in laudibus phlebotomes in purpura inſtituendæ, quam bis, ter, & ſępius, ſi res exigat, repeti poſſe autumat, allatis in eam rem exemplis *lib. 2. cap. 12. 20. aliisq. locis.* Sic & *Marcellus Capra* in libro ſuo de morbo *Siciliæ* pandemico prolixa oratione deducit, in illa maligna febre, ubi vires permiſerunt, ſanguinem copioſe mittendum fuiſſe. Quos alij medici iisdem ducti argumentis numero plures ſequuntur.

Contra vero alij phlebotomen, à purpura aliisque febribus ut alienam maximè, damnant: quod horum morborum eſſentia in venenatâ potius qualitate, quam illâ extremâ ac ſordidâ putredine conſiſtat, morbusque contagio ac permixtis aeri corruptis ſeminariis plerumque producatur, nullo humorum, quantum advertere licet, apparatu: ut propterea venæſectio nil opis allatura ſit, quod malignitatem tollere nequeat, vires quoque perpetuo in hoc morbo debiles, ab evacuato ſanguine nimis infirmentur, venenum intro revocetur, hujusq; ſęvitia, demptâ benignioris ſanguinis portione, augeatur, ut obſervarint, diverſi authores, annis cIɔ Iɔ XXVIII & cIɔ Iɔ VXXIX. quibus in lenticularibus febribus larga manu ſanguis emiſſus, aut idem ſponte ubertim profluxit, omnes fere mortuos fuiſſe, *Fracaſtorius lib. 3. de contag: morb: curat: cap: 6. P. Salius diverſus de febr: peſt: cap: 21.* Firmant *Julius Palmarius de febr: peſtil: cap: 23. Mindererus in append. lib. de peſt. cap. 7: qui unicum ſolum, vel duos novit inter tot ac tantos petechiis laborantes, qui vena ſecta in vivis remanſerint ſuperſtites, Balthaſar Conradinus de febre miſcell: Ungar: cap. 7.* Qui etiam propterea ſanguinem mitti improbat: quod febris hæc maligno ſuo calore inſtar grandioris ellychnii olei aut ſevi quantitatem nimium abſumentis, ſpiritus humidumque nativum cordis depopuletur, ut venæſectione partem eorum vacuare propterea inconſultum factu ſtatuat. Idem quoque ex adminiſtratâ phlebotome, materiam venenatam, quocunque locorum retracta fuit, perículoſos affectus excitaſſe memorat, non quidem quales vulgares phlegmonæ ſunt; ſed quæ eryſipelatum naturam ac indolem expreſſerint, in quibus ſynceris venæſectione interdicit. Ipſos denique pueros, queis ob ætatem ſanguis mitti non poterat, felicius reſtitui, adultis vero peractâ

ſan-

ſanguinis miſſione augeri calorem, cæteraq; ſymptomata ingraveſcere, obſervavit.

In hac ſententiarum diſſidentiâ negativæ ſolidiſſimis rationibus adductus ſtatuo, nunquam ratione purpurati veneni aeris aut contagij vitio advenientis venam ſolvendam: quod experientia (quam heic non tantum meam; ſed & aliorum clariſſimorum medicorum experientiæ illorum oppono) teſtetur, quibus largiter ſanguis profuſus omnes prope mortuos fuiſſe: cum jugulare prius ægrotum, quam educto ſanguine recepta, atque intus multiplicata veneni *μιάσματος* penitus elicere, poſſimus: quorum etſi portio quædam illa vacuatione dematur, quæ tamen poſt ſolutam venam venenatæ materiæ reſtat quantitas, teſtibili fœcunditate ſe multiplicabit, ſanguinemque corrumpet: cum primùm morbi acceſſu longe minori quantitate, & ſub ſpiritalis ſubſtantiæ ſpeciè intra corpus admiſſa ubertim ſe progerminarit, ſanguiniſque potiorem partem fœda labe inquinarit & corruperit. Sed nec conferenda phlebotomes ſperata utilitas, cum damno, quod viribus inde debilitatis præſentiſſimum ægroto imminet: quarum in curatione *μέγιςον ἀξίωμα* eſſe docuit *Galenus lib. 9. meth. med. cap. 13.* earumque ſemper maximam rationem haberi voluit, ut *lib. 1. de art: cur: ad: Glauc:* aere calido & ſicco corpore molli atque alge modo tenero, itemq; obeſo, ob graciles venas, phlebotomę interdixerit, quod in his vires imbicellas eſſe conſtet. *Qui l. 11. m. m. cap. 14.* in ipſo flore ætatis, homine triginta annorum, ſi jam relatæ circumſtantiæ comitentur, ſanguinem vacuari diſſuadet. Idem *loco jam adducto* tantopere diſſolutioni virium cavet, ut in morbo etiam magno, ætate florente, præſente aere calido & ſicco miſſione ſanguinis abſtinendum cenſeat: quod ab aere nimium calido & ſicco corpus diſſolvatur: quod & confirmat *4. de victus rat: 9.* Calor enim nativus per ſumma corporis ad cognatum externum calorem expandi, atque ita ejus ſubſtantia per æſtatem digeri ac diſſipari ſolet. *Galen: 1. aph: com: 15. Et l 1. ad Glauc: 14.* quibuſcunque ſub cane miſſus ſanguis fuit, omnes extinctos refert. Quibus de cauſſis & *Averroes collect. 3. cap. 4.* in æſtate, quæ conſtitutionem ſuam ſervat, ſanguinem ducere prohibet; aut ſi neceſſaria videatur phlebotome, parva quantitate, ſanguinem evacuandum cenſet, Quod ſi vi-

Digitized by Google

res inter principia morbi conſtare videantur, non tamen earum, quales præſentes ſunt, modo inſtituenda ratio, ſed &, quales procedente morbo eſſe poſſint, accuratè conſiderandum, quod eas aucto morbo ſemper imbecillas eſſe experientia demonſtret. Qua de re pari conſilio *Hippocrates l: 1. aph. 9.* ita victus rationem in morbis inſtituere jubet, quo ad ſtatum cujusque morbi infirmi perdurare poſſint. Quin omnes iſti authores, qui ſanguinem ducere adeo confidenter ſuadent, promptè agnoſcunt ſummam in purpura peſtilentibusque febribus virium debilitatem: quod venenati morbi qualitas, aut, ut ipſorum verbis loquar, ſumma & ſordida putredo, quæ veneni æmula ſit, cordis complexionem corrumpat, viresque inſigniter proſternat.

Putredinem quod attinet, quam illi unicam cauſſam purpuræ malignarumque febrium ponunt, eamque ſordidam excellentem ſummam & extremam eſſe dicunt, ea heic locum non meretur, quod eſſentiam morbi purpurati non in putredine, ſed venenata qualitate conſiſtere, rationibus apodicticis ſuperius ſit confirmatum. Quin & ipſam putredinem non ſanguinis miſſione, ſed aliis remediis curari volebat *Gal: 11. m. m. c. 14.* Qui etiam *lib. de bon: & malit: ſucc: c. 1. & lib. de plenitudine*, item *lib. de curat: per ſang: miſſ:* non in cacochymia ſed in plethora ſanguinem mitti debere aſſeverat.

Sed nec eventandis humoribus ac tollendæ obſtructioni pro removenda putredine, phlebotome neceſſaria erit, ut *Galeni* de mittendo in putridis febribꝰ ſanguine edictum huc propterea traduci debeat: quod *purpuram*, de qua præſens ſermo eſt, foris advenire, ac cæli aeriſve vitio, aut contagio inferri conſtet, nullo morboſo corporis apparatu præcedente: cum & laudatiſſimę conſtitutionis homines illa correptos viderim, nullis obſtructionis, putredinis aut corruptionis humorum ſignis præſentibus. Nec enim eadem putredinis ratio aut generatio eſt febrium malignarum, quæ aliarum ſimplicium putridarum: quod vis purpurati veneni ſeptica, paucâ quantitate admiſſa, humores inficiat atque corrumpat, febremque ſuo maligno calore excitet, nulla obſtructione aut prohibita tranſpiratione ſenſibus comperta: cujus putrefactionis in aliis venenis exempla ſunt, in *toxico, arſenico, cantharidibus*, quæ putrefacientia *Galeno* aliiſque medi-

cis

cis appellari retuli, non quod, aliarum rerum modo, quæ putredinem introducunt, extraneo ſuo calore, noſtrum innatum evocent; ſed quod, dum tota ſubſtantia naturæ noſtræ inimica ſunt, caloremque excedentem ac putrefacientem conjunctum gerunt, ſanguini acrimoniam ac mordacitatem communicent, cujus vi & ipſe ſanguis corrumpatur & putreſcat, & conſimilem partibus continentibus labem inſerat.

Ad argumentum vero illud, quo ſanguis tanquam primò ſubſtrata contagio materia ponitur, ut propterea eum minuere, antequam vitium accipiat, operæ pretium ſit, (quod minus veneni ſuperſit ſanguine miſſo, ac per conſequens fere ſola communis putredo reſtet citra veneni præſentiam, à qua facilius natura ſe expediat,) hæc repono: me non inficiari veneni purpurati quidem analogiam præcipue ad ſanguinem eſſe; ita tamen, ut ad alios humores aliquando inclinare videatur: quemadmodum ex evidentibus ſignis ac periodorum ſtatu, ſuo cuique humori proprio, recurſu illud cognoſcere licet. Sed & extra venas maligna minera morbi aliquando deliteſcit, unde intermittentes generantur: quales creberrimas tertianas ſatis malignas duobus his annis Lubecæ viciniſq; locis graſſatas fuiſſe obſervavi; quarum malignitas ex ſymptomatum peculiari quadam malitia, ac curationis inſolita difficultate deprehenſa. Sed contaminet purpura ſanguinem (quod plerumque fieri ultro largior,) an miſſo ſanguine & ſubtracto fomite propterea minus veneni impoſterum erit? An evacuato ſanguine, fere ſola putredo reſtabit, facilius à natura expugnanda? Minimè vero, cum æquè totam ſanguinis maſſam occupare, ac per univerſum corpus ſe trajicere venenum poſſit, magis luxuriaturum, tam benigno humore caſſum. Quamvis nec phlebotome morbi purpurati ſeminaria præcipue educantur, quod ea fere indifferenter omnes humores evacuet, nec intellectu quaſi quodam ſanguinem venenatum, ac concepta purpuræ μίασμα ſola, per foramen venæ expellat, puro ac laudato ſanguine intus relicto. Quin ſanguinem quidem indiſcriminatim, qualis in venis proximis continetur, evacuari credendum, permixtis aliquando morbi ſeminariis: quorum tamen portio reliqua potentiſſima actione ſe multiplicare poterit, ſpiritibus ac ſanguine

jam

Digitized by Google

jam vacuatis, ac infirmato inde virium robore, ut propterea, educto ſanguine, ſymptomata plerumq; ingraveſcere videantur.

Nec magnitudo hujus morbi venæſectionem neceſſario poſtulat: quamvis enim in morbo magno ob affectæ partes præſtantiam, affectus magnitudinem, ejuſque cacoethiam ſanguinem mittere ſuadeat Galenus *4. m. m. cap. 6.* modo vires conſtent; quod & repetit *4. de vict. rat. acut. text. 19.* ſi vehemens morbus videatur, ætas florida & virium robur adſit: id tamen adverſus purpuram nihil concludet: quod hæc aliiſque maligni morbi magni ſint, ob malum morem, quem conjunctum habent: qui etiam *lib. 1. de vict. rat. acut. textu 9.* à ſerie cæterorum acutorum morborum, pleuritide, peripneumonia, phrenitide, lethargo, cauſo, &c. quorum debitam victus rationem adducto loco propoſuit, diſtinguuntur, ut qui curationis ac victus rationem poſtulent à peſtilentibus diverſam. Sed nec morbus magnus venæſectionem per ſe & proprie indicat, ſed magnum aliquod remedium, quod egregie juvet; quale eſt purgatio, phlebotome, alexipharmaca &c. quæ ſunt indicati materia. Quapropter nec in omnibus morbis magnis phlebotome conveniet: nec enim in apoplexia (niſi forte ſanguinea, aut alias ſanguine luxuriante) paralyſi, hydrope &c. morbis magnis commode exercetur. Et ipſe *Galenus eadem capite 6. m. m. lib. 4.* in morbo magno, non ſemper ſanguinem mittendum, ſed ubi vitioſi ſucci abundaverint, eos cathartico purgandos, ſi ſanguis, eum ducendum, cenſet, præſente tamen virium robore: quod qualeque morbo progreſſo futurum ſit, ex ſuperioribus ſatis conſtare arbitror.

Authoritates, quas magno numero *Minadous* ex antiquitate proponit, quod concernit, phlebotomien, neque à *Galeno* neque ab *Hippocrate* in peſtilentibus febribus approbatam, certum eſt. Neque enim à *Galeno lib. 1. de diff: febr: cap. 4.* hujus auxilij facta mentio: ubi tamen ex profeſſo præſervationem hujus qui morbi tradit; neq; alibi locorum, in quibus ſæpius peſtilentium febrium, *ὡς ἐν παρόδῳ*, mentionem facit, evacuandi ſanguinis rationem inſtituit. Quin potius contrarium ſenſiſſe videri poteſt, conſiderantibus *textum cap. 1. lib. de cib. euchym: & cacochym:* ubi de conſtitutione quadam peſtilente diſſerens, medicos nonnullis paucis omnino morbi initio ſanguinem

nem

nem mittere auſos fuiſſe, eosdemque non injuria hujus auxilij uſum reformidaſſe, ſcribit, ob virium jam tum antea debilitatem.

Nec obſtat eum *lib. 14. m. m. cap. 10.* carbunculis tota *Aſia* increbreſcentibus curationem à ſanguinis evacuatione incipiendam præcepiſſe, adeo ut ſanguinem ad animi deliquium in quibusdam mitti probarit. Illos enim, ſi quis ad exactam veri lancem expendat, à peſtilentibus purpuratiſque febribus multo maximè variaſſe cognoſcet: quod carbunculus ſit duum generum, eodem authore *3. in 3. epid. text: 12.* ſimplex & malignus: ſimplex ex craſſo retorrido ac corrupto ſanguine ortus, ubicunque locorum emergit, cauſtica ſua qualitate partem amburit, cruſtoſumque ulcus quaſi candente ferro inducit, idque vel nigrum vel fuſcum vel cinereum eſt: caro, circa carbunculum ſita, ſummè inflammatur, dolore implacabili, febrique inſigni conſectaria: dum tandem corruptæ carnis lobus excidat. At in peſte peſtilentibuſque febribus qui erumpit carbunculus, ultra connatam malignitatem venenatus ac malignus eſt, ex peſtilentis ſtatus conditione: in quo naturæ expellentis robore aut ſeptici veneni copia malignus humor ad aliquam partium delatus eam pravè corrumpit; cujus generis *Aſiaticos* nequaquam fuiſſe certo mihi perſuadeo, cum peſtis cæterarumque rerum, quæ peſti accidunt, *Galenus* nullam illic fecerit mentionem. Præterea carbunculus peſtilentialis ſymptomaticus fere eſt, febriſque peſtilentis plerumque conſectarius: at *Aſiatici* illi ut primarij affectus referuntur, qui febrem inter alia ſymptomata comitem habuere, &, peculiari corruptionis natura contractæ cladis charactere foris expreſſo, epidemij (quemadmodum & in aliis morbis, pleuritide, colica, & bubonibus id aliquando accidere, ut populares fiant, monumentis litterarum confirmatum) non tamen peſtilentes fuere. Non enim ſolum humorum pravitas peſtem peſtilenteſque febres ſtatim cauſſatur; (alias enim, quæ ab atra, æruginoſa, aut iſatode bile naſcuntur affectiones, omnes peſtilentes dicendæ eſſent; illa enim pravitas & corruptio humorum ad recipiendam peſtilentium *μιασμάτων* labem corpora ſolùm diſponit) ſed requiritur præterea ulterior & peculiaris corruptio, ac maligna & deleteria qualitas, quæ morborum peſtilentium ſpecificam differentiam conſtituit. In *Aſiaticis* itaq; carbun-

Digitized by Google

bunculis ut ſimplicibus, & peſtilentis dictæ *κακοηθείας* expertibus, propter magnitudinem inflammationis, doloris atrociam, febriſque inde natæ incendium, venam etiam ad animi deliquium uſque effuſo ſanguine ſolviſſe, viribus valentibus, ſalutare præſidium fuit: quod in peſte malignisque febribus, in quibus tam præcipiti lapſu vires concidunt, imitari velle maxime temerarium fuerit: extracto enim ad animi deliquium ſanguine vires ſuperando tam atroci morbo poſtea plane defuturas arbitror: quod alioquin religioſè cavendum docuit *Gal: 11. meth. med: cap. 14. & 9. meth: med: cap. 10.* ne, præter alia incommoda, ægrotum intempeſtive poſtea nutrire cogamur.

Sed nec apud *Hippocratem* ulla exempla factæ in febribus peſtilentibus phlebotomes reperire licet: etſi *Contarus l. 2. de purpur: febr: cur: cap. 21. Hippocratem 3. epidem:* peſtilentialibus abunde ſanguinem miſiſſe falſo credat. Nec *Critonis in Thaſo* morbus pro exemplo ejus rei referri meo judicio debet, qui *lib. 1. epid: ſect: 3. text: 26.* tumore pedis ad talum rubente, puſtulis nigris ibidem obortis, febre acuta, delirio, dejectionibus meris bilioſis, ſubcrebris, correptus poſtridie, quàm ægrotare cæperat, obiit. Hunc morbum *Galenus* in *commentariis* malignum extitiſſe judicat, ob excrementi *κακοήθες*, quod copioſe intus collectum, dum natura à principib⁹ partibus ad crus conaretur derivare, puſtulas nigras ad talum excitarit, &, cum id membrum omnem capere non valeret ſuperfluitatem, reſiduum recurrens ad caput aſcenderit, ac qua erat malignitate, furioſum delirium produxerit: ut propterea *Galenus* miretur, cur *Hippocrates* ægroto in morbi initio venam non ſecuerit, eumque excuſet, eum ad plurimos, quos deſcripſit, morbo jam progreſſo primum accerſitum. Unde colligi poſſe *Minadous* aliique arbitrantur, *Galenum* in principio peſtilentium morborum ſanguinis vacuationem probare: alias enim illum *Hippocrati* nequaquam patrocinaturum fuiſſe, niſi ipſe ſententiæ certus fuiſſet, id remedij genus à medico commodè poſſe adhiberi. De quo tamen exemplo illud monere lectorem meum volo, nullis indiciis conſtare, *Critonem*, cæterosque *lib. 1. epid. ſect: 3.* recenſos ægros ſub ſtatu peſtilenti laboraſſe; ſed multo maxime veriſimile eſſe, eos ſub tempeſtate tertia deſcriptâ *1. epid: ſ. 2. text: 60. in Thaſo* ægrotaſſe: quod morbi tempeſtate illa tertia notati in

pleris-

pleriſque quatuordecim ægrotis fuerint obſervari, qui & cum antea relatis ſub tempeſtate tertia ęgris ſimiles eventus habuere, ut pro exemplis in confirmationem eorum, quæ univerſaliter ante tradiderat, adductos cum *Galeno in præfat: quatuordecim hiſtoriarum* ſtatuam. Cujus rei exemplo erit *Philiſcus*, in catalogo horum ægrotantium primo loco *ſect: 3. lib. 1. epid: text: 18.* recenſus, quem jam antea cum tempeſtatis illius morbos traderet, *ſect: 2. textu 63.* nominaverat, eumq; quinta die naribus paucum ſanguinem ſtillaſſe, mortumq; fuiſſe dixerat: idem enim de eodem in hiſtoria adducta teſtatus. Pariter dum *ſect: 2. textu 63. allegato* febribus ardentibus correptos, rite & largiter ſanguinem effundentes, ea de cauſſa maxime ſervatos *Hippocrates* aſſeverat, ut nullum noverit, cui recte ſanguis profluxit, eo ſtatu mortuum, idem *Metonis* exemplo confirmat in his ipſis hiſtoriis *lib. 1. epid. ſect. 3. hiſtor. 7.* hunc n. febre ardente correptum largo ſanguinis profluvio, ex dextra nare oborto, reſtitutum fuiſſe ibidem teſtatur. Alia morborum exempla, eorumq; eventus ſimiles tempeſtatis illius morbis non referam: qui volet hiſtorias illas quatuordecim cum morbis tertiæ illius tempeſtatis facile conferre, ſimilemque utrobique morborum conſtitutionem atque exitum in pleriſque obſervare poterit: mihi lectorem longâ repetitione illarum hiſtoriarum attinere non eſt propoſitum.

Tempeſtas vero in *Thaſo* nequaquam peſtilens judicanda, quod frigida ſicca atq; ex parte inæqualis fuerit, quod de eadem confirmat *Galen: 1. epid: ſ. 2. comm: 60:* unde morbos quidem epidemios, non tamen peſtilentes, ſuccreſcere obſervatum. Quod & exemplo ardentium febrium illo tempore epidemiarum confirmari poteſt: quæ cum vere increbreſcerent, paucos admodum ſuſtulerunt, ut patet *ex 1. epid. ſ. 2. text: 61*, contra morem peſtilentium febrium, quibus maximam partem ægrotorum ſuccumbere notum. Quamvis autem ardentes febres autumno lethales fuiſſe, plurimosque inde periſſe *textu 62.* ſcribat: id tamen non ob ſtatum peſtilentem factum; (ſiquidem nec *Hippocrates* nec *Galenus* vel verbo quidem de hoc meminerunt) ſed ob autumnalem totius fere anni conſtitutionem, & quod collecta per æſtatem bile & accenſis humoribus ſuccedens auſtrinus & pluvius autumnus eos putredini obnoxios reddiderit: quo

CAPUT XXIV.

De Phlebotome aliisque Cheirurgicis auxiliis.

HActenus profuſe relata, quæ veneni noxium virus corpore educant, ſequitur jam parallela curandi ἔνδειξις, quæ febrilis caloris materiem tollere doceat. Qua in re phlebotome præ cæteris præclare auxiliari ſolet, quod non tantum evacuando putrido humori, ſed & refrigerando febrili calori, &, quo eventatio melior fiat, deplendæ humorum copiæ, quæ inter obſtructionis & putredinis cauſſas præcipua habetur, prodeſſe poſſit: quæ etiam propterea in febribus imprimis laudata à *Galeno l. 9. m. m. c. 4. & 5.* item *11. m. m. c. 15.* ut illa febrem aliquando jugulaſſe viſus fuerit.

An vero dicta phlebotome & his febribus conveniat, authores inter ſe acerrime digladiantur: aliis eam, tanquam neceſſarium morbo remedium, commendantibus: aliis ut maximè nocituram infirmo damnantibus. Ex priſcæ medicinæ ſcriptoribus *Aetius lib. 5. de re med. cap. 130.* in principio harum febrium, niſi quid obſtiterit, ſanguinem vacuare ex *Herodoto* ſuadet. Quod & fieri jubet *Avenzoar ſui theiſir lib. 3. tract. 3. cap. 1.* poſſibile ratus, ut ſic faciendo multi forſan, qui moriuntur, liberentur. *Avicenna lib. 4. fen. 1. tract. 4. c. 4.* ſummam curationis peſtilentium febrium in exiccatione poſitam dicit: in quem finem phlebotomen & ſolutionem ventris proponit: quarum iſta, ſi phlethora urgeat, hæc, ſi humores corrupti luxurient, primum adhibenda. Ex recentioribus *Lud: Mercatus lib. 7. cap. 2. q. 290.* venæſectionem in febribus malignis citra dubitationem fieri debere mandat: tum quod febris ſit de genere putridarum, cui nullum aliud auxilium utilius adinvenerit *Galen: 11. m. m. cap. 15.* tum quod morbus majorem occaſionis partem ex putredine, ab apparatu morboſo orta, originem trahat, cui & vacuationis gratia proficua

cua

cua ſit:tum quod contagio ſubſtrata primo materia ſanguis ſit, quem, antequam ex toto vitium ſuſceptet, minuere deceat: ſiquidem minus veneni ſuperet ſanguine miſſo, ac per conſequens fere ſola communis putredo, citra veneni contagium, à qua facilius ſe expediat natura: quo factum eſſe ſcribit, ut, qui ſanguinis miſſionem neglexerunt, ſpurciſſima putredine & venenoſa, quæ nullis uſquam remediis cedere voluerit, miſere perierint: quia & univerſus, & omnis ejuſdem maſſa veneni contagio conſpurcata fuerit, ut omnia, quamvis maxima & rationi conſentanea, contempſerit præſidia. Sed nec ſemel ſanguinem vacuare contentus eſt: quin, ſi vires conſtiterint, ſecunda, tertia, ſæpe & quarta vice venæſectionem repetere ſuadet, donec aliquid ejus, quod in minera putredinis continetur, extrahi conſpiciamus, antequam illud reliquum ſanguinem conſpurcet & vitiet. *Joh: Thomai Minadoi lib. 2. de febr: maligna cap. 3.* ex *Galeno* aliiſque *Græcis* & *Arabibus* medicis demonſtrare conatur, eos phlebotomen familiariter in his febribus adminiſtraſſe: præterea cum ex præſuppoſito fundamento ſtatuat, hanc febrem ſuam ideam habere poſitam in ulteriori quodam putredinis gradu, atque hunc gradum ut plurimum habere fomitem ex obſtructione, vel certè prohibita tranſpiratione: prohibitam vero tranſpirationem interdum foveri vel etiam fieri ab humorum omnium redundantia; fieri à nulla ratione poſſe, ut obſtructio hæc adimatur, non ademptâ eâ redundantiâ, quæ illam facit fovetve, inde ſatis patere arbitratur, venæſectionem ſingulare in iis fore præſidium, quibus tranſpiratio nativi caloris prohibetur, ab ipſa humorum copia & redundantia. Quibus rationibus ſequens addit argumentum: In quacunque ægritudine, quæ vel magna ſit, vel magna fieri poſſit, ſaluberrimum eſſe ſanguinem mittere, ſi modo & illa ſanguinis præſentiam habeat vel effectricem vel fautricem, vel virium tolerantiam. Quare in malignis febribus, quas ſpectamus fieri vel foveri à ſanguinis præſentia, cum magnitudinem habeant, ſanguinem mittere præſtabit per venam ſectam, ut inde tutius ad tollendas obſtructiones, ad abigendam putredinem curationem convertere valeamus. *Clementius Clementinus Amerinus tract: de peſt:* in febribus peſtilentibus phlebotomen propere fieri præcipit: quod, ſi qua ſpes ſuperſit, in ea conſiſtat, quam citò fieri, quod humores ſint

Digitized by Google

furioſi, & largiter vacuari jubet, ad ſyncopen uſque. *Joannes Coyttarus l.2 de febr purp: curat*: multus eſt in laudibus phlebotomes in purpura inſtituendæ, quam bis, ter, & ſæpius, ſi res exigat, repeti poſſe autumat, allatis in eam rem exemplis *lib.2 .cap.12 20. aliisq; locis*. Sic & *Marcellus Capra* in libro ſuo de morbo *Siciliæ* pandemico prolixa oratione deducit, in illa maligna febre, ubi vires permiſerunt, ſanguinem copioſe mittendum fuiſſe. Quos alij medici iisdem ducti argumentis numero plures ſequuntur.

Contra vero alij phlebotomen, à purpura aliisque febribus ut alienam maximè, damnant: quod horum morborum eſſentia in venenatâ potius qualitate, quàm illâ extremâ ac ſordidâ putredine conſiſtat, morbusque contagio ac permixtis aeri corruptis ſeminariis plerumque producatur, nullo humorum, quantum advertere licet, apparatu: ut propterea venæſectio nil opis allatura ſit, quod malignitatem tollere nequeat, vires quoque perpetuo in hoc morbo debiles, ab evacuato ſanguine nimis infirmentur, venenum intro revocetur, hujusq; ſævitia, demptâ benignioris ſanguinis portione, augeatur, ut obſervarint, diverſi authores, annis CIↃ IↃ XXVIII & CIↃ IↃ XXIX. quibus in lenticularibus febribus larga manu ſanguis emiſſus, aut idem ſponte ubertim profluxit, omnes fere mortuos fuiſſe, *Fracaſtorius lib. 3. de contag: morb: curat: cap. 6. P. Salius diverſus de febr: peſtil: cap: 21.* Firmant *Julius Palmarius de febr. peſtil: cap: 23. Mindererus in append. lib. de peſt. cap. 7: qui unicum ſolum, vel duos norit inter tot ac tantos petechiis laborantes, qui vena ſecta in vivis remanſerint ſuperſtites, Balthaſar Conradinus de febre miſcell: Ungar: cap. 7.* Qui etiam propterea ſanguinem mitti improbat: quod febris hæc maligno ſuo calore inſtar grandioris ellychnii olei aut ſevi quantitatem nimium abſumentis, ſpiritus humidumque nativum cordis depopuletur, ut venæſectione partem eorum vacuare propterea inconſultum factu ſtatuat. Idem quoque ex adminiſtratâ phlebotome, materiam venenatam, quocunque locorum retracta fuit, periculoſos affectus excitaſſe memorat, non quidem quales vulgares phlegmonæ ſunt; ſed quæ eryſipelatum naturam ac indolem expreſſerint, in quibus ſynceris venæſectione interdicit. Ipſos denique pueros, queis ob ætatem ſanguis mitti non poterat, felicius reſtitui, adultis vero peractâ ſan-

ſanguinis miſſione augeri calorem, cæteraq; ſymptomata ingraveſcere, obſervavit.

In hac ſententiarum diſſidentiâ negativæ ſolidiſſimis rationibus adductus ſtatuo, nunquam ratione purpurati veneni aeris aut contagij vitio advenientis venam ſolvendam: quod experientia (quam heic non tantum meam, ſed & aliorum clariſſimorum medicorum experientiæ illorum oppono) teſtetur, quibus largiter ſanguis profuſus omnes prope mortuos fuiſſe: cum jugulare prius ægrotum, quam educto ſanguine recepta, atque intus multiplicata veneni *μιάσματος* penitus elicere, poſſimus: quorum etſi portio quædam illa vacuatione dematur, quæ tamen poſt ſolutam venam venenatæ materiæ reſtat quantitas, teſtibili fœcunditate ſe multiplicabit, ſanguinemque corrumpet: cum primùm morbi acceſſu longe minori quantitate, & ſub ſpiritalis ſubſtantiæ ſpecie intra corpus admiſſa ubertim ſe progerminarit, ſanguiniſque potiorem partem fœda labe inquinarit & corruperit. Sed nec conferenda phlebotomes ſperata utilitas, cum damno, quod viribus inde debilitatis præſentiſſimum ægroto imminet: quarum in curatione *μέγιστον ἀξίωμα* eſſe docuit *Galenus lib. 9. meth. med. cap. 13.* earumque ſemper maximam rationem haberi voluit, ut *lib. 1. de art: cur: ad: Glauc:* aere calido & ſicco corpore molli atque alęę modo tenero, itemq; obeſo, ob graciles venas, phlebotome interdixerit, quod in his vires imbicellas eſſe conſtet. *Qui l. 11. m. m. cap. 14.* in ipſo flore ætatis, homine triginta annorum, ſi jam relatæ circumſtantiæ comitentur, ſanguinem vacuari diſſuadet. Idem *loco jam adducto* tantopere diſſolutioni virium cavet, ut in morbo etiam magno, ætate florente, præſente aere calido & ſicco miſſione ſanguinis abſtinendum cenſeat: quod ab aere nimium calido & ſicco corpus diſſolvatur: quod & confirmat *4. de victus rat: 9.* Calor enim nativus per ſumma corporis ad cognatum externum calorem expandi, atque ita ejus ſubſtantia per æſtatem digeri ac diſſipari ſolet. *Galen: 1. aph: com: 15. Et l. 1. ad Glauc: 14.* quibuscunque ſub cane miſſus ſanguis fuit, omnes extinctos refert. Quibus de cauſſis & *Averroes collect. 3. cap. 4.* in æſtate, quæ conſtitutionem ſuam ſervat, ſanguinem ducere prohibet; aut ſi neceſſaria videatur phlebotome, parva quantitate, ſanguinem evacuandum cenſet. Quodſi vi-

Digitized by Google

res inter principia morbi conſtare videantur, non tamen earum, quales præſentes ſunt, modo inſtituenda ratio, ſed &, quales procedente morbo eſſe poſſint, accuratè conſiderandum, quod eas aucto morbo ſemper imbecillas eſſe experientia demonſtret. Qua de re pari conſilio *Hippocrates l: 1. aph. 9.* ita victus rationem in morbis inſtituere jubet, quo ad ſtatum cujusque morbi infirmi perdurare poſſint. Quin omnes iſti authores, qui ſanguinem ducere adeo confidenter ſuadent, promptè agnoſcunt ſummam in purpura peſtilentibusque febribus virium debilitatem: quod venenati morbi qualitas, aut, ut ipſorum verbis loquar, ſumma & ſordida putredo, quæ veneni æmula ſit, cordis complexionem corrumpat, viresque inſigniter proſternat.

Putredinem quod attinet, quam illi unicam cauſſam purpuræ malignarumque febrium ponunt, eamque ſordidam excellentem ſummam & extremam eſſe dicunt, ea heic locum non meretur, quod eſſentiam morbi purpurati non in putredine, ſed venenata qualitate conſiſtere, rationibus apodicticis ſuperius ſit confirmatum. Quin & ipſam putredinem non ſanguinis miſſione, ſed aliis remediis curari volebat *Gal. 11. m. m. c. 14.* Qui etiam *lib. de bon: & malit: ſucc: c. 1.* & *lib. de plenitudine*, item *lib. de curat: per ſang: miſſ:* non in cacochymia ſed in plethora ſanguinem mitti debere aſſeverat.

Sed nec eventandis humoribus ac tollendæ obſtructioni pro removenda putredine, phlebotomę neceſſaria erit, ut *Galeni* de mittendo in putridis febrib⁹ ſanguine edictum huc propterea traduci debeat: quod *purpuram*, de qua præſens ſermo eſt, foris advenire, ac cæli aerisve vitio, aut contagio inferri conſtet, nullo morboſo corporis apparatu pręcedente. cum & laudatiſſimę conſtitutionis homines illa correptos viderim, nullis obſtructionis, putredinis aut corruptionis humorum ſignis præſentibus. Nec enim eadem putredinis ratio aut generatio eſt febrium malignarum, quæ aliarum ſimplicium putridarum: quod vis purpurati veneni ſeptica, paucâ quantitate admiſſa, humores inficiat atque corrumpat, febremque ſuo maligno calore excitet, nulla obſtructione aut prohibita tranſpiratione ſenſibus comperta: cujus putrefactionis in aliis venenis exempla ſunt, in *toxico, arſenico, cantharidibus*, quæ putrefacientia *Galeno* aliisque medi-

cis

cis appellari retuli, non quod, aliarum rerum modo, quæ putredinem introducunt, extraneo ſuo calore, noſtrum innatum evocent; ſed quod, dum tota ſubſtantia naturæ noſtræ inimica ſunt, caloremque excedentem ac putrefacientem conjunctum gerunt, ſanguini acrimoniam ac mordacitatem communicent, cujus vi & ipſe ſanguis corrumpatur & putreſcat, & conſimilem partibus continentibus labem inferat.

Ad argumentum vero illud, quo ſanguis tanquam primò ſubſtrata contagio materia ponitur, ut propterea eum minuere, antequam vitium accipiat, operæ pretium ſit, (quod minus veneni ſuperſit ſanguine miſſo, ac per conſequens fere ſola communis putredo reſtet citra veneni præſentiam, à qua facilius natura ſe expediat,) hæc repono: me non inficiari veneni purpurati quidem analogiam precipue ad ſanguinem eſſe; ita tamen, ut ad alios humores aliquando inclinare videatur: quemadmodum ex evidentibus ſignis ac periodorum ſtato, ſuo cuique humori proprio, recurſu illud cognoſcere licet. Sed & extra venas maligna minera morbi aliquando deliteſcit, unde intermittentes generantur: quales creberrimas tertianas ſatis malignas duobus his annis Lubecæ viciniſq; locis graſſatas fuiſſe obſervavi; quarum malignitas ex ſymptomatum peculiari quadam malitia, ac curationis inſolita difficultate deprehenſa. Sed contaminet purpura ſanguinem (quod plerumque fieri ultro largior,) an miſſo ſanguine & ſubtracto fomite propterea minus veneni impoſterum erit? An evacuato ſanguine, fere ſola putredo reſtabit, facilius à natura expugnanda? Minime vero, cum æquè totam ſanguinis maſſam occupare, ac per univerſum corpus ſe trajicere venenum poſſit, magis luxuriaturum, tam benigno humore caſſum. Quamvis nec phlebotome morbi purpurati ſeminaria præcipue educantur, quod ea fere indifferenter omnes humores evacuet, nec intellectu quaſi quodam ſanguinem venenatum, ac concepta purpuræ *μιάσματα* ſola, per foramen venæ expellat, puro ac laudato ſanguine intus relicto. Quin ſanguinem quidem indiſcriminatim, qualis in venis proximis continetur, evacuari credendum, permixtis aliquando morbi ſeminariis: quorum tamen portio reliqua potentiſſima actione ſe multiplicare poterit, ſpiritibus ac ſanguine

jam

jam vacuatis, ac infirmato inde virium robore. ut propterea, educto ſanguine, ſymptomata plerumq; ingraveſcere videantur.

Nec magnitudo hujus morbi venæſectionem neceſſario poſtulat: quamvis enim in morbo magno ob affectæ partes præſtantiam, affectus magnitudinem, ejuſque cacoethiam ſanguinem mittere ſuadeat Galenus *4. m. m. cap. 6.* modo vires conſtent; quod & repetit *4. de vict. rat. acut. text. 19.* ſi vehemens morbus videatur, ætas florida & virium robur adſit: id tamen adverſus purpuram nihil concludet; quod hæc aliique maligni morbi magni ſint, ob malum morem, quem conjunctum habent: qui etiam *lib. 1. de vict. rat. acut. textu 9.* a ſerie cæterorum acutorum morborum, pleuritide, peripneumonia, phrenitide, lethargo, cauſo, &c. quorum debitam victus rationem adducto loco propoſuit, diſtinguuntur, ut qui curationis ac victus rationem poſtulent à peſtilentibus diverſam. Sed nec morbus magnus venæſectionem per ſe & proprie indicat, ſed magnum aliquod remedium, quod egregie juvet, quale eſt purgatio, phlebotome, alexipharmaca &c. quæ ſunt indicati materie. Quapropter nec in omnibus morbis magnis phlebotome conveniet: nec enim in apoplexia (niſi forte ſanguinea, aut alias ſanguine luxuriante) paralyſi, hydrope &c. morbis magnis commode exercetur. Et ipſe *Galenus eadem capite 6. m. m. lib. 4.* in morbo magno, non ſemper ſanguinem mittendum, ſed ubi vitioſi ſucci abundaverint, eos cathartico purgandos, ſi ſanguis, eum ducendum, cenſet, præſente tamen virium robore: quod qualeque morbo progreſſo futurum ſit, ex ſuperioribus ſatis conſtare arbitror.

Authoritates, quas magno numero *Minadous* ex antiquitate proponit, quod concernit, phlebotomien, neque à *Galeno* neque ab *Hippocrate* in peſtilentibus febribus approbatam, certum eſt. Neque enim à *Galeno lib. 1. de diff: febr: cap. 4.* hujus auxilij facta mentio: ubi tamen ex profeſſo præſervationem hujus qui morbi tradit; neq; alibi locorum, in quibus ſæpius peſtilentium febrium, ὡς ἐν παρόδῳ, mentionem facit, evacuandi ſanguinis rationem inſtituit. Quin potius contrarium ſenſiſſe videri poteſt, conſiderantibus *textum cap. 1. lib. de cib. euchym: & cacochym:* ubi de conſtitutione quadam peſtilente diſſerens, medicos nonnullis paucis omnino morbi initio ſangui-

nem

nem mittere auſos fuiſſe, eoſdemque non injuria hujus auxilij uſum reformidaſſe, ſcribit, ob virium jam tum antea debilitatem.

Nec obſtat eum *lib. 14. m. m. cap. 10.* carbunculis tota *Aſia* increbreſcentibus curationem à ſanguinis evacuatione incipiendam præcepiſſe, adeo ut ſanguinem ad animi deliquium in quibusdam mitti probarit. Illos enim, ſi quis ad exactam veri lancem expendat, à peſtilentibus purpuratiſque febribus multo maximè variaſſe cognoſcet: quod carbunculus ſit duum generum, eodem authore *3. in 3. epid. text: 12.* ſimplex & malignus: ſimplex ex craſſo retorrido ac corrupto ſanguine ortus, ubicunque locorum emergit, cauſtica ſua qualitate partem amburit, cruſtoſumque ulcus quaſi candente ferro inducit, idque vel nigrum vel fuſcum vel cinereum eſt: caro, circa carbunculum ſita, ſummè inflammatur, dolore implacabili, febrique inſigni conſectaria: dum tandem corruptæ carnis lobus excidat. At in peſte peſtilentibusque febribus qui erumpit carbunculus, ultra connatam malignitatem venenatus ac malignus eſt, ex peſtilentis ſtatus conditione: in quo naturæ expellentis robore aut ſeptici veneni copia malignus humor ad aliquam partium delatus eam pravè corrumpit: cujus generis *Aſiaticos* nequaquam fuiſſe certo mihi perſuadeo, cum peſtis cæterarumque rerum, quæ peſti accidunt, *Galenus* nullam illic fecerit mentionem. Præterea carbunculus peſtilentialis ſymptomaticus fere eſt, febriſque peſtilentis plerumque conſectarius: at *Aſiatici* illi ut primarij affectus referuntur, qui febrem inter alia ſymptomata comitem habuere, &, peculiari corruptionis natura contractæ cladis charactere foris expreſſo, epidemij (quemadmodum & in aliis morbis, pleuritide, colica, & bubonibus id aliquando accidere, ut populares fiant, monumentis litterarum confirmatum) non tamen peſtilentes fuere. Non enim ſolum humorum pravitas peſtem peſtilenteſque febres ſtatim cauſſatur; (alias enim, quæ ab atra, æruginoſa, aut iſatode bile naſcuntur affectiones, omnes peſtilentes dicendæ eſſent; illa enim pravitas & corruptio humorum ad recipiendam peſtilentium μιασμάτων labem corpora ſolùm diſponit) ſed requiritur præterea ulterior & peculiaris corruptio, ac maligna & deleteria qualitas, quæ morborum peſtilentium ſpecificam differentiam conſtituit. In *Aſiaticis* itaq; carbun-

Digitized by Google

pleriſque quatuordecim ægrotis fuerint obſervati, qui & cum antea relatis ſub tempeſtate tertia ęgris ſimiles eventus habuere, ut pro exemplis in confirmationem eorum, quæ univerſaliter ante tradiderat, adductos cum *Galeno in præfat: quatuordecim hiſtoriarum* ſtatuam. Cujus rei exemplo erit *Philiſcus*, in catalogo horum ægrotantium primo loco *ſect: 3. lib. 1. epid: text: 18.* recenſus, quem jam antea cum tempeſtatis illius morbos traderet, *ſect: 2. textu 63.* nominaverat, eumq; quinta die naribus paucum ſanguinem ſtillaſſe, mortumq; fuiſſe dixerat: idem enim de eodem in hiſtoria adducta teſtatus. Pariter dum *ſect: 2. textu 63. allegato* febribus ardentibus correptos, rite & largiter ſanguinem effundentes, ea de cauſſa maxime ſervatos *Hippocrates* aſſeverat, ut nullum noverit, cui recte ſanguis profluxit, eo ſtatu mortuum, idem *Metonis* exemplo confirmat in his ipſis hiſtoriis *lib. 1. epid. ſect. 3. hiſtor. 7.* hunc n. febre ardente correptum largo ſanguinis profluvio, ex dextra nare oborto, reſtitutum fuiſſe ibidem teſtatur. Alia morborum exempla, eorumq; eventus ſimiles tempeſtatis illius morbis non referam: qui volet hiſtorias illas quatuordecim cum morbis tertiæ illius tempeſtatis facile conferre, ſimilemque utrobique morborum conſtitutionem atque exitum in pleriſque obſervare poterit: mihi lectorem longà repetitione illarum hiſtoriarum attinere non eſt propoſitum.

Tempeſtas vero in *Thaſo* nequaquam peſtilens judicanda, quod frigida ſicca atq; ex parte inæqualis fuerit, quod de eadem confirmat *Galen: 1. epid: ſ. 2. comm: 60:* unde morbos quidem epidemios, non tamen peſtilentes, ſuccreſcere obſervatum. Quod & exemplo ardentium febrium illo tempore epidemiarum confirmari poteſt: quæ cum vere increbreſcerent, paucos admodum ſuſtulerunt, ut patet *ex 1. epid. ſ. 2. text: 61,* contra morem peſtilentium febrium, quibus maximam partem ægrotorum ſuccumbere notum. Quamvis autem ardentes febres autumno lethales fuiſſe, plurimosque inde periſſe *textu 62.* ſcribat: id tamen non ob ſtatum peſtilentem factum; (ſiquidem nec *Hippocrates* nec *Galenus* vel verbo quidem de hoc meminerunt) ſed ob autumnalem totius fere anni conſtitutionem, & quod collecta per æſtatem bile & accenſis humoribus ſuccedens auſtrinus & pluvius autumnus eos putredini obnoxios reddiderit: quo

Bbb 2 tempo-

tempore alias iiſdem aut aliis gravibus morbis correpti periculoſius laborare ſolent, ut docet *Galenus 6. epid. ſect. 1. comm. 14.* Quin ex illis ipſis febribus ardentibus pleroſque evaſiſſe conſtat, quibus rite & largiter ſanguis fluxit, aut commode alvus turbata, aut urinæ copioſæ cum multo ſedimento redditæ, aut dyſenteria ſuborta, ut patet ex *lib citati text. 63, 65, 66, & 79* cum in febribus peſtilentibus infidiſſimæ ſoleant eſſe criticæ evacuationes. Sed nec *Crito* peſtilenti febre laboravit, cum non ex aëris conſtitutione, quæ nequaquam peſtilens fuit; nec ex morboſo corporis apparatu fuerit producta. Etſi enim & pravitas humorum & copia eorundem in perniciem *Critonis* conſpiraſſe videantur, nequaquam tamen febrem peſtilentem excitarunt: quod præter illam pravitatem peculiaris veneni character obſervetur, quo peſtis febreſque peſtilentes ab aliis morbis venenatis diſtinguuntur: cæteroquin alij copioſi & corrupti humores, qui venenum æmulantur pro peſtilentibus ſtatim eſſent habendi; quod falſiſſimum eſſe cottidiana experientia teſtatur. Verum cum corrupti humores, aliorum venenorum more ſubitariam interdum mortem inferre poſſint, quod exemplo phrenitici confirmatur, *3. epid. ſ. 3 t. 75.* ita & heic eoſdem citam perniciem infirmo attuliſſe reor: quod & copia luxuriarent, & deleteriam qualitatem conjunctam haberent. Bilis enim mera per alvum crebris ſeceſſibus rejecta; at atra bilis partim ad crus delata, puſtulas nigras produxit: partim ad caput rapta furioſum delirium cauſſata: quod vero dejectionibus illis frequentibus morbi principio factis æger nequicquam ſublevaretur, mortem, aut certe grave periculum, minari poterat: cum materiam crudam ac corruptam naturam ad excretionem ſtimulare dejectiones ſignificarent, ſignaque ac ſymptomata alia lethalia, puſtulæ nigræ ad talum obortæ, furioſumque delirium, conjungerentur.

Alterum exemplum eſt *Calvi Lariſſæ* decumbentis, de quo *Hippocrates lib. 3. epid. ſ. 3. t. 76.* prodidit, nihil, ex iis, quæ offerebantur, profuiſſe. De hoc *Galenus in comm.* an ei miſſus fuerit ſanguis, dubitat: unde concludi poſſe arbitratur *Minadous*, *Galenum* potius damnaturum fuiſſe venæſectionem, tanquam ab *Hippocrate* heic & in aliis peſtilentibus ac malignis febribus propterea intermiſſam, ſi exitialem in his morbis noviſſet: nunc cum dubitet, ſequetur ex men-

te Gale-

Digitized by Google

te Galeni venæſectionem in febribus malignis poſſe habere locum. Calvum vero malignâ, imò maligniſſimâ febre laboraſſe ex iis notum dicit Minadous lib. 2. de febr: malign: cap 3. quod conſtitutio illius tempeſtatis peſtilens fuerit, extrema obſervata frigida febre creſcente, delirium implacabile, ſymptomata creberrima, & quod oblata nihil profuerint: quod malignitatis morbi argumentum à Galeno propoſitum 3. in 3. epid. comm: 79. Cæterum nec hic Calvus ſub peſtilenti conſtitutione laboraſſe dici poterit, quod Hippocrates ægros illos ſedecim, inter quos & Calvus Lariſſæus reponitur, poſt tempeſtatem peſtiferam ægrotaſſe, manifeſto ſcribat, & Galenus in commentariis dicti loci ægros hos alio potius morborum genere, quàm commemorato in tempeſtate peſtilenti, detentos teſtetur: cum & ex relatis quorundam ægrorum ſymptomatis, à peſtilentibus longe diverſis, ægros non peſtilenti febri, ſed aliis diverſis morbis, affectos cuivis conſtare poſſit. Ut propterea Calvum quidem morbificæ materiæ pravitate, ſed non peſtilenti malignitate quarta die deceſſiſſe, nec de venæſectione à Galeno allata ad purpuratas febres derivari poſſe, ſit arbitrandum.

Aetii, Avicennæ, Avenzoarii, Rhaſis, aliorumque authoritatem quod attinet, eâ veritati nihil officiet, quod Aetius lib. 5. cap. 95 & 130. aliorum potius, quam ſuam referat, Ruffi ſcilicet & Herodoti, Avicenna vero, cum eſſentiam febrium peſtilentialium in putredine poſitam dicat lib. 4. fen. 1. tract: 4. cap. 1. pro hujus exiccatione alvum ſanguinemque ducere jubeat, Rhaſes autem lib. de peſte cap. 1. conflari peſtilentiam ſcribat, dum ſanguinis perputreſcit ad efflandum vapidam & limoſam redundantiam, cum transmutatur ex infantili ſanguine, muſto perſimili, in adoleſcentulorum ſanguinem, qui vino ſimilis conſummato: unde peſtilentiam fervori ſpumanti, quod muſto ſolet evenire ferveris tempore, aſſimilat. Hinc febrili calori putredinique potius tollendæ, quàm venenatæ qualitati domandæ Arabes, & qui eos ſequuntur, intentos videmus. Ita ſcilicet humani intellectus imbecillitate comparatum eſt, ut poſtquam ſemel a veritatis tramite deflectimus, poſtea ad errorum avia magis magiſque abducamur docente Philoſoph: lib. 1. phyſ: cap. 1. Rhaſem etiam Rhaſi oppono, ut qui tract: 10. cap. 16. in febribus, quæ ex peſtilentia accidunt, venæſectionis ne quidem meminerit: imò

imo cum hecticarum more has peſtilentes febres tractari velit, phlebotome in illis nunquam commode adminiſtrabitur: cum ipſe *Mercadous* fateatur *lib. 2. de febr: maligna cap. 3.* in hectica febre ſecundi ordinis, quæ ſanguinis redundantiam habeat adjunctam, propter virium imbecillitatem à ſanguinis detractione abſtineri debere.

Quod ſi corpus longâ inediâ ſqualidum ſit, aut pravorum humorum copia circumfluat, & tum plane temerarium fuerit, viribus, conditione morbi, ac ſpirituum laudatorumque humorum inopiâ, neceſſario languentibus, ſanguinem mittere: quod unà cum corrupto humore, qui noxiæ expers paucus adeſt ſanguis, ſpiritibus & calori noſtro alimento futurus, promiſcue ſimul effluat; ne cum ſanguine ipſam ſimul vitam eduxiſſe medicus videatur, ac de illo dici poſſit, quod de vindicta *Marij & Syllæ Lucanus lib. 2.* querebatur,

Ille, quod exiguum reſtabat ſanguinis urbi,
Hauſit, dumq; nimis jam putida membra reſcidit,
Exceſſit medicina modum, nimiumq; ſecuta eſt
Qua morbi duxere manus.

Galenus noſter lib. de ſucc: bon: & vit: cap. 1. eos medicos audaces vocabat, qui tempore peſtilentiæ annonæ caritate atque vitio genitæ, principio graſſantis luis ſanguinem ducere auſi fuere. Idem *13. m. m. cap. 6.* & *lib. de curat: per ſang: miſſ:* plethoram ſanguine miſſo, cacochymiam purgatione, ſuo cuique humori accommodata, tollere docet.

Quod ſi ſaburra pravorum humorum notabilis non adſit, & tamen corruptio humoris in parte quadam hæreat, quæ non tam copia quàm prava ac malignâ qualitate adverſa ſit, ac tacito progreſſu malignior facta ſubito tandem erumpat, nec in tali caſu venenato humori educendo phlebotomen probaverim: quod venæ ſectione materia, quæ in penitioribus partibus corrupta hæret, nec educatur, nec alteretur. Unde *Galenus lib. adverſus Julianum cap. 7.* ſanguine in virulentam quandam naturam mutato phlebotome interdicit, quod qui in corpore corruptus relinquitur ſanguis, tali evacuatione ad benignum non reducatur. Quin commoveri potius venenatum humorem, aliiſque humoribus ac partibus inſontibus intempeſtivè phlebotome commotum communicari credendum: quem ſi tam

lar-

argâ vacuatione, donec ipſe corruptus humor, qui in abdito ſæpe latet, prodeat, educere quis velit, vires in præſentis morbi ſtatu aut etiam ejus vigore defuturas cenſeo. Sæpe etiam, ſi extra venas corrupta materia ſtabuletur, temeraria hac phlebotome ex intermittente malignâ continuam malignam facile efficere licebit, retractis ad interiora venarum corruptis humoribus.

Ratum itaque ſit nunquam ratione peſtilentis aut purpuratæ febris venam ſolvendam, ut, niſi ſanguinis exuperantis ſigna adſint, à phlebotome tanquam à Diabolo cavendum ſit, præcepto *Bened: Victor: Favent: in empir: cap. 21. lib. de febr:* Qua in re præſtat, *Hippocratis* ac *C. Celſi prudentem negligentiam imitari*, ut loquitur *Jul: Palmarius de feb: peſt. cap. 23*, quam intempeſtiva phlebotome, graviter affectis viribus, ægrum morbo jugulandum tradere: quod ille venæſectionis in his morbis ne quidem meminerit: hic vero ſanguinem ducere non permittat, niſi & vires ſinant, & cum dolore febris ſit. Si enim febrilis calor valide æſtuet, corpus plurimo ſanguine abundet, ut illi oneri non ſit ferundo natura, aut ejus copia venæ diſtendantur, dolor implacabilis partem nobilem occupet, evacuando ſanguini, refrigerando calori, & obſtructioni tollendæ, quo melior humorum eventatio fiat, atque diaphoretica potentius penetrare poſſint, & ut ſudore repetito corpus minus incaleſcat, phlebotomen tuto adminiſtrari concedo, præſertim ætate florida, viribus adhuc firmis, pauca aut no conferenda ad febrilem calorem malignitate. Tum enim maxime conſultum, imo neceſſarium, fuerit, ſanguinem mittere, quod intermiſſa phlebotome æger in maximum diſcrimen adductus, æque febris incendio, ac deleteria qualitate, perire poſſit.

Inter principia vero ſanguinem ducendum moneo, quod illo tempore vires nondum ſint concuſſæ, quas morbo aucto tandem ſuccumbere videmus: præterlapſo vero principio tutius venæſectio intermittitur, aut ejus loco cucurbitulę cum ſacrificatione adhibentur, ut ſentiunt *Hieron: Mercurialis lib. 5. de feb. cap. ult: Fonſeca tom. 2. conſult: med. c. 31. Sennertus de febr: lib 4 cap. 13. de feb. petech: Averroës* quidem eorum errorem, qui elapſo principio, & ultra ſeptimum diem, venæſectionem neutiquam faciendam arbitrantur *colleƈt: ſ: 2. cap. 17.*

Digitized by Google

cap. 17. taxat, & ex *Galeno 9. m. m. cap. 5.* non dierum numero, ſed uni virium robori attendi jubet, nec ſexto ſolum ſeptimove die, ſed & ſequentibus, vel vigeſimo ſanguinem mitti debere cenſet. Quod ſalutare auxilium in aliis morbis, jam provectis, ſi res exigat, tuto nos adhibere poſſe, authoritate *Hippocratis, qui 7. epid. ſect. 3. in Anaxione* octava die venam ſolvit, nobis conſtare poteſt: quin & cottidiana experientia, cum ſalute ægrotantium adulto morbo non raro ſanguinem fundi, luculenter demonſtrat: heic vero, (ubi in inſidiis latet hoſtis infenſiſſimus, ut ſimulato virium robore, & præſentis, quamvis levioris delirij, occaſione concitatis & expeditis actionibus imprudens medicus aliquando decipiatur,) progreſſo morbo, ubi ipſum vitæ principium jam occupatur, inconſultum factu exiſtimaverim, vires jam ante imbecillas, & ſuſtinendo morbo vix pares, intempeſtivâ phlebotome ulterius conficere.

Quo minus audiendus *Joannes Coyttarus lib. 2. de febr: purpur: cur: cap. 19.* qui in febre purpurata tardius venam ſolvere jubet, quod & *cap. 20. & 21.* repetit, ut in purpura diuturniore, 8. 12. 15. 16. die ſanguinem aliquando miſerit, eo potiſſimum perſuaſus argumento, principio morbi ſanguinem circa centrum putreſcere, ac propterea tum puriſſimum, ſed cum detrimento ægri effundi, procedente vero morbo, communicata ſanguini purpuræ labe, corruptum putridum ac purulentum vacuari. Etſi enim in purpura aere aut contagio genita principio morbi non dum latè diffuſa putredine (quæ tamen non ſemper circa centrum hæret, ut volebat *Coyttarus*) laudatus ſanguis plerumque effluat, ut propterea nec incipiente malo, niſi ſumma neceſſitas urgeat, ſanguinem mitti velim: temerarium tamen fore arbitror, viribus progreſſo morbo ſemper debilibus, ſanguinem ducere, etiamſi corrupta materia fermentatione aucta habitum corporis occupet, quod *Galenus de ſucc: bon: & vit: cap. 1.* in ipſis initiis febrium malignarum, ex prava victus ratione genitarum, ob virium debilitatem, à ſanguinis miſſione penitus ſit alienus, & cacochymia purgationem potius, quàm venæſectionem, requirat.

Sed alia ſe offert quæſtio, cum alexipharmaca, interdum & venæſectionem, principio adminiſtranda cenſeam, utrum remedium alteri ſit præponendum? Ea vero in re ſecutus *Galeni* decretum, urgentiori,

gentiori, & unde ægro majus impendet periculum, primum mederi ſuaſerim: quare ſi vis veneni magis infeſtet, alexipharmaca primò adminiſtranda: at ſi febris ſuo incendio ex concepta humorũ putredine viſcera amburat, ſanguisq; ſua copia fomitem iſti incendio ſit ſubminiſtraturus, tutius à venæſectione curationem auſpicabimur, quo calori febrili pabulum ſubtrahamus, & expeditior ſit alexipharmacorum tranſitus, nec ſudore ſpiritus humoresq; magis efferveſcant: quibus rationibus perſuaſus, paribus malignæ qualitatis febrilisque caloris indicationibus, venæſectionem alexipharmacis anteponere auſim, modo morbus adhuc dum inter principia ſubſiſtat. Alvus tamẽ leni clyſmate prius eluenda, ne inanitis venis impuritates primarum viarum in venas rapiantur. In magnis vero inflammationibus, ſanguine in venis ebulliente, principium curationis à phlebotomia fiet, à qua clyſma infundi poterit. Ita enim *Hippocrates 4. victus acut: text: 21.* in ſepti inflammatione venæſectionem præfert, inde clyſmate utitur. Et *Avicenna fen. 1. tract. 3. cap. 3.* in curatione phrenitidis venam primo ſecat, hinc clyſma adminiſtrat. *Et poſtquam phlebotomaveris eum, tunc oportet* (inquit) *ut ipſum clyſterizes clyſtere valde leni.* Quod eo magis in purgationibus obſervandum cenſeo, quæ in tali caſu ſecundum venæſectionem, ſi uſus exigat proponenda.

Apparentibus verò petechiis an veneſectio ſit inſtituenda, apud medicos controverſa res eſt. Cum enim copioſus macularum proventus auſpiciis naturæ fieri videatur, quod inde ægri aliquando melius habeant, ac multos reſtitutos fuiſſe hiſtoriæ referant, quibus illæ copioſæ effloruerunt, nefas quidam exiſtimarunt, venæſectionem tum adhibere, ne naturæ iſte motus turbetur, venenumque ex habitu corporis ad venas retrahatur. Contra *Dominicus Caſtellus Venetus* teſte *Coſtæo in Avicenn: lib. 4. f. 1. tract: 4. comm: 4.* ſanguinis miſſione apparentibus jam petechiis non ſemel feliciſſime uſus. *Ludovicus Mercatus lib. 7. de febr: peſt: & malign: cap. 2. q. 291.* ſi tempus principij negligatur, apparentibus petechiis ſanguinem mitti ſuadet, præſente tamen plenitudine viribusque firmis. *Zacutus lib. 4. prax: hiſtor: cap. ult: prope finem*, ſi adſint vires & plenitudo ingens, ſanguinem vacuare jubet. *Joh: Thomas Minadous lib. 2. de febr: malign, cap. 5. & 6.* diffuſe ſatis de præſenti materia agit, tandemque concludit, periculis præſentibus, ſi adſint requiſiti mittendi ſanguinis ſcopi, ut ſi

æger ætate juvenili, viribus ſatis validis, conſtitutione corporis ſanguinea, ſanguinis miſſionem utilem futuram, eamque, quoties occaſio detur, eſſe ſemper in hac curatione cuicunque præſidio cheirurgico, circa ſanguinem adminiſtrari ſolito, præferendam. Ejusdem quoque parens *Joh: Baptiſta Minadous peculiari tractatu* edito *de abuſu non mittendi ſanguinis in febribus malignis etiamnum apparentibus exanthematibus, petechiis dictis*, idem fieri debere ſtatuit, & *14. capite* gloriatur, ſe tot ægros febribus malignis, puſtulis vel papulis exeuntibus, & tranſacta quarta, ſeptima, decima quarta, die, cum paulo ſuperiore virium robore, ab inferis revocatos vidiſſe, plurimosque, in quibus natura non poterat ad extimas partes, nec per alios meatus, noxios venenoſos ſuccos excernere, adiutos miſſione ſanguinis ſanitati fuiſſe reſtitutos.

Cæterum ea in re & petechias, & ipſarum eruptionis modum, & ipſum corpus malè affectum conſiderari velim: an in eo adſint requiſitæ ſanguinis mittendi notæ, ætas juvenilis, vires firmæ, ſanguinis copia, aliaque quæ *Galenus lib: de cur: per ſang: miſſ:* requirit; niſi enim omnia ſimul aut maximam partem illo conſpiraverint, ad phlebotomen properari nolim: imo illis notis præſentibus, quæ ſanguinem vacuari concedunt, phlebotomen intermittere malim, ſi truculentum aliquod ſymptoma ſe proferat, quod perniciem ſagaci & prudenti medico minari videatur: ne, cum tali maligno ac vere ſuſpecto prodromo paulo poſt funeſta purpuræ vis ſæpe erumpere ſubitoque infirmum abripere ſoleat, exhauſto ſanguine, ægri, ſuo malo victi, feſtinatam mortem rerum medicarum ignari arbitrentur. Præterea ipſas maculas harumque eruptionis modum curioſe obſervet medicus: ſi enim illæ laudatæ fuerint, ac critico quodam modo expellantur, manifeſto ægri ſublevamento, ſymptomatisque hinc factis vere remiſſioribus, ſanguinem, etiamſi ejus evacuandi manifeſtæ adfuerint indicationes, mitti diſſuaſerim, ſecutus decretum *Hippocratis lib. 1. aph: text: 20. Quæ judicantur & judicata ſunt à pſlus, neq. movere, neq. novare oportet, ſed ſinere.* Natura enim, ut idem ſapienter docebat, abſque conſilio proprio motu agit, quæ, maturo conſilio proficiſci videntur: cujus miniſter medicus ejus operationes probe advertere, nec eam ab opere incepto, ſi bene agat,

Digitized by Google

agat, turbare, ſed eam ſi non plenè, & ex voto medici, agat, (quod fere ſemper in propulſione macularum accidere ſolet, ut ſolis maculis erumpentibus vix ullus plenarie reſtitutus fuerit,) juvare debet, illis remediis, quæ venenum foras trahere ſolent, frictionibus ſcilicet, linitionibus, cucurbitulis: ſed & oblatis alexipharmacis naturę conatus promovendo. At ſi petechiæ efflorefcentes nihil adjumenti infirmo prȩſtent, ac potius ſanguinis eruptionem atq; ebullitionem oſtendant, cujus portio ſubtilior per venarum extrema ſe trajiciens cutem coloret, prȩſentibus mittendi ſanguinis ſcopis venam ſolvendam duco; quo corruptus humor evacuetur: ita enim exonerata natura corruptæ materiæ portione, quâ veluti ſarcinâ quadam premebatur, facilius reliquam materiam teſte *Galeno 5. m. m. cap. 12*, concoquet, digeret, & aliorum medicamentorum efficaci συνεργείᾳ ad cutem propellet. Ita *Avicenna lib. 4. fen. 1. tract: 4. cap. 10.* in variolis non in principio ſolum, ſed & incremento earum, ſi adſit ſanguinis plenitudo, venam ſecare ſuadet. Quem in hac re ſequuntur *Bened: Victor: Favent: in Empir: lib. de feb: cap. 21. Zacutus Luſitanus prax: hiſt: lib. 4. cap. ult: prope finem.* Nec tantus à venæſectione debet eſſe metus παλινδρομῆς humoris venenati ad partes interiores: cum & heic corruptus ſanguis in venis detentus evacuetur. Quin nec modice extracto ſanguine venæ ſtatim flacceſcent; ſed potius naturalem recipient conſtitutionem, quod antea maligno humore oppletæ eſſent, ac calore nimio diſtenderentur. At ſi petechiæ primis diebus appareant, nec requiſita coctionis ſigna comitentur; videantur tamen aliquo modo morbum levare, nec tum petechias improbandas, nec naturæ illum motum turbandum, ſed eum, quantum licet, medicamentis, atque omni auxiliorum genere, promovendum, eoque tempore non niſi magna neceſſitate cogente ſanguinem mittendum, judico: quod & ſummam prudentiam moderationemque id deſideret, & maximum periculum afferat. Conſilij mei hanc rationem lector habe: quod authore *Galeno 6. aph comm: 37.* ex profundis & principalibus partibus morbos ad cutem transferri apprime utile ſit: quod & iiſdem verbis idem confirmat *ejuſdem libri comm: 25*, & *aphoriſmorum loco allegato* eryſipelatis exemplo verum eſſe probat *Hippocrates*, ſi id intus foras expellatur. Nec obſtat *Galeni 4. aph. comm: 22.*

 locus.

locus. *Quum morbus aliquis incipit, ſi quid excernatur, id tunc naturæ ratione & lege non excernitur; ſed omnia ſunt earum, quæ præter naturam ſunt, in corpore affectionum ſymptomata. Quamdiu enim à cauſſis morbum facientibus gravatur natura, & humorum adeſt cruditas: tunc ut aliquid recte evacuetur, fieri omnino non poteſt.* Loquitur enim heic *Galenus* de materia morbi, quæ coctionem recipit, qualem in venenis aliiſque morbis, qui malignitatem aliquam adjunctam habent, aut plane, aut plene expectare non licet, ut quæ primo quovis tempore tuto excernatur. Quamvis enim hæc præcipitata macularum excretio ratione temporis mala eſſe videatur, ac maximæ pravitatis humorum documento eſſe poſſit; effectus tamen ratione bona dici meretur, quod illa venenati ac corrupti humoris portio foras excludatur. Et annon anticipatas excretiones in morbis, in quibus nulla excuſatio veneni afferri poſſit, natura ſalutariter aliquando molitur? Quod exemplo *Metonis 1. epid. ſ. 3. t. 24.* confirmare ex *Hippocrate* licet: cui dejectiones erant die tertio, urina ſubnigra, in qua ſubnigra pendebant, diſperſa non reſidebant: quinto die è nare dextra affatim profluxit ſanguis merus, qui ſudore judicatus eſt. Hic etſi ante judicationem tenues & ſubnigras urinas excerneret, nihilominus feliciter judicatus eſt: cum tamen urinæ tales calore ſubſtantia & ſedimento ab *Hippocrate, Galeno*, aliiſque, plurimis locis damnentur, non quod argumenta modo dent cruditatis, ſed & inſtantem perniciem nunciare ſoleant. Ita paralyſis, quamvis per ſe ſatis gravis affectus, apoplexiæ ſuccedit, ſalutari materiæ morbificæ, quamvis crudæ, à capite ad nervos tranſlatione: qui tamen morbus ex frigido craſſo & viſcido humore teſte *Galeno 4. loc: aff: cap. 2.* ortum habet, nec tam brevi tempore coctionem recipere potuit. Ipſi quoque medici, non obſtante hac humorum cruditate, in paralyſi fortiſſima cathartica exhibent, ipſo principio morbi, quo materiam illam craſſam revellant & evacuent, antequam nervi congelantem materiam penitus imbibant. *Avicenna* in apoplexiæ inſultu crudum ſuccum purgat *pilulis de euphorbio lib. 3. fen. 2. cap. 14. Rhaſes tract: 9. ad Manſor: cap. 7.* paralyſeos curam incipiendum docet pilulis fœtidis, quæ valenter agunt, cum inter alia recipiant *colocynthidem, euphorbium & elaterium* remixtis gummi, *aſa, ſerapino, opopanace*

& ſcu-

& ſeitargo Indo. Hercules Saxon: pract: med: lib. 1. cap. 10. in paralyſi recenti, & poſt apoplexiam, poſt colicam, poſt alium ſimilem affectum facta, ſtatim ab initio commendat purgantia validiſſima, quod ſperandum ſit, materiam morbi poſſe quam primum ex loco affecto purgari: quod & ſe expertum eſſe ſcribit: in quam rem etiam *pilularum fœtidarum* ſeſquidrachmam exhibet. Ego fortiſſima cathartica in ipſo apoplexiæ acceſſu, & ſuccedente paralyſi, antequam materia nervis penitus infigatur, eoſque laxet & reſolvat, tuto exhiberi, ſæpiusq; iterari poſſe, ac imminenti apoplexiæ illis nihil magis prodeſſe, pro certo habeo: quod tum materia in motu ſit, atque facilius pharmaco trahente ex capite ac ſubjectis partibus evacuetur; quàm ubi longiore mora nervorum compages humore diſſoluta atque emortua fuerit: cum & vires principio morbi, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, non ab exhauſto, ſed ab oppreſſo, langueant, copia humorum gravatæ, quæ tam brevi tempore adeo penitus intercidere non potuere. Hanc intermiſſam purgationem inter cætera cauſſam arbitror, quod morbus ille & in longum producatur, & ægri difficilius ſanitatem priſtinam recipiant. Sic in epiphora oculi, ejuſque incipiente cataracta, præſertim ſi fluxus cum impetu ruat, aut acrimoniam magnam conjunctam habeat, unde oculi metuenda ſit exulceratio, inter alia revellentia & evacuantia in ipſo principio fortiora purgantia utiliter exhibentur: pariter & ſetaceum occipiti appoſitum, etiam in principio morbi, modo corpus aliquo modo evacuatum fuerit, inſigniter conferet, quo humor acris lachrymantibus oculis effuſus, & qui temporis anguſtia coctionem recipere haud dum potuit, evacuetur & revellatur: dilato enim paulo longius talium generoſorum remediorum uſu, membranas oculi brevi tempore eroſas fuiſſe obſervavi. Et annon humoris copioſi, etſi crudi, colluviem natura diarrhoeis ſæpe utiliter deponit, & cibum in ventriculo hærentem crudum, ſed aliena qualitate infectum vomitu reddit? Ita *lib. 4. aph: comm: 2. aqua inter cutem laborantibus per venas in ventrem ſi fiat fluxio, morbi ſolutio ſperanda: ſi ophthalmia vexet, alvi profluvio corripi, bonum: ſurditate laborantes, billioſis dejectionibus ſupervenientibus, liberantur.* Non n. hæ evacutiones concocto morbo perpetuo fiunt; ſed quia cauſſam morbificam accidunt; ea ſublata prædictos affectus levare

ſolent. Tandem ipſe *Hippocrates* etſi famoſo edicto *1. aph: 22. & 24.* concocta ſola, non vero cruda medicari, præceperit, ſi tamen iſta cruda turgeant, per pharmaca expurgari iisdem locis permiſit.

Poſtquam tempus exercendæ phlebotomes decretum, quâ quantitate ſanguis evacuari debeat, conſiderandum. Qua in re morbi magnitudinem, ægri temperamentum, ætatem, anni tempus, conſuetudinem, victus rationem & id genus alias indicationes probe attendere ſuadeo; vires enim, ſive debiles ſive validæ ſint, cum temperamentum malum aut bonum conſequantur, ſub illô complecti licet. *Galenus* quidem in ſynochis, quarum ideam purpuratæ febres ſæpius referunt, viribus conſtantibus ſanguinem vacuare ad animi deliquium probat, quo febrem quaſi incantamento quodam ſuſtuliſſe viſus; qui phlebotomen talem maximum πυρετῶν συνόχων febrium continuarum remedium *9. m. m. cap. 4.* vocat: præterquam enim quod humorem evacuet, refrigeret, etiam ſanguine miſſo venarum natura ex tranſpirando ventilandoque naturalem temperiem ſervans, humoribus, eo quo inter initia modo, dominatur, teſte *Galeno lib. 9. m. m. cap. 5.* Idem tamen *Galenus 11. m. m. cap. 14.* à nimia iſta profuſione ſanguinis abhorret, quod nec putredo nec obſtructio curari per ſanguinis miſſionem poſſint, ut quæ aliæ remedia deſiderent: quapropter aliquid ſanguinis relinqui debere jubet; quo vires ad ſuperandas morbi reliquias toto morbi tempore perdurare poſſint; & ne iis fractis intempeſtive poſtea nutrire cogamur: quas nimiæ evacuationis noxas propoſuit *Averroes ſect: 3. collect: c. 16.* Quamobrem pro circumſtantiarum iſtarum varia conditione quantitatem mittendi ſanguinis aut accidemus, aut augebimus, hac cautione, ut intra mediocritatem ſubſiſtamus, metu virium imbecillitatis: quæ etſi præſentes ſuſtinere morbum poſſe videantur; aucto tamen morbo graviſſimo illi ferundo vix pares futuræ; & quod maligna purpuræ qualitas non ſimplici humorū fervore ac putredine nata, ſed per deleteriam veneni qualitatem, quam ſolis alexiteriis emendari conſtat, corpori illata, phlebotome nec dominari, nec evacuari penitus poſſit. Si tamen febrilis calor valide urgeat, eo in caſu cæteris conſentientibus ſanguis quidem, ſed ſolito parcius, evacuandus, ex quo tamen non leve auxilium æger percipiet. Quod enim in dolio cere-

Digitized by Google

cereviſia pleno fieri videmus, ut Zythum, dum fermentationem ſubit, aucta ſui ipſius mole, vaſe contineri difficulter poſſit, undiq; exiturum per rimas, ſæpius ipſum rupturum dolium, ni portio quædam vacuetur; quò ſpirituoſi vapores fermentatione elevati, patentiori dato loco, ſe latius diffundant, & novo admiſſo aere refrigerati ſubſidant: pariter & heic efferveſcentes humores & ſpiritus permixtione alienæ materiæ efferveſcentes conquieſcent, aut minori *ὀργασμῷ* corpus turbabunt, dempta modica ſanguinis quantitate, & alexipharmaca diaphoretica, in quorum uſu tota ſalus ægri poſita, minore metu efferveſcentiæ humorum, tuto dabuntur. Sed & heic illud *Pittaci Mitylenæi μηδὲν ἄγαν ἄγαν μὲ ἕρπει.*

Locus, ex quo ſanguis mitti ſolet, varius eſt, quamvis à pleriſque venæ brachij reſerentur: ſi tamen ſuppreſſio menſium aut hæmorrhoidum id facere vetet, venas tali interiores reſerare commodum fuerit; quod hac evacuatione remorantem menſium aut hæmorrhoidum fluxum revocare liceat, & materia corrupta à capite, corde aliiſque partibus ſuperioribus deorſum revellatur. Inter cæteras vero evacuationes, quæ vena ſecta fiunt *P. Salius Diverſus de febr: peſt. cap. 21.* hæmorrhoidum apertionem in febre peſtilente maxime commendat. Conſentiunt *Mercado l. 2. de febr malig: c. 7. Lud: Mercatus de febr: peſt: & malign: cap. 2. Fonſeca tom: 1. conſult: 47.* qui in febre maligna hirudinibus ano admotis uncias quatuor ſanguinis extraxit: ut *P. Salius* teſtetur, ſe millies experientia ac feliciſſimo eventu id comperiſſe: per has non ſolum exoneratâ naturâ, (quæ alias hac viâ ut commodiſſimâ utitur ad expurgandum limoſum & copioſum in corpore ſanguinem;) ſed & revulsâ materiâ à corde, partibus interioribus, (in quibus incendium & morbi fomes deliteſcere ſolet,) ſuperioribus, ad quas effumant fuliginoſi & venenati halitus, producturi graviſſima ac lethalia ſymptomata. Qui enim hæmorrhoides habent, ii neque dolore lateris, neque pulmonis inflammatione, neque phagedænis, neque inflammationibus, quæ dothienes vocantur, neque iis quæ therminthi, i. e. cicera, fortaſſe vero neque lepris neque aliis capiuntur. Neque enim hæmorrhoides ſolum craſſum nigrum & limoſum profundunt ſanguinem; ſed & rubrum & laudatum, ob differentes harum venarum propagines: quarum inter-

na

næ diductæ ex venæ portæ ramis per lienem ad coli & recti inteſtini internam tunicam percurrentes, inferiori inteſtini regione plurimis venarum circumvolutionibus terminantur, nec ſphincterem attingunt: quæ venæ in aſpectum non veniunt, nulloque inſtrumento aperiri queunt, niſi in morboſo affectu effuſo ad illas partes craſſo ac fæculento ſanguine diſtentæ foras prodeant: quibus apertis conſimilis ſanguis, qualis in portæ ramis cernitur, effundi ſolet: Externæ vero hæmorrhoides producuntur ex venæ cavę ramis, qui in ani ſphincterem terminantes, venas aſpectu nigras efficiunt, quæ ferro incidi, hirudinibus aperiri, panni aſperi foliive ficus frictione reſerari ſolent: quibus apertis, qualis in cava conſiſtit, ſanguis effluere ſolet, qui exuperantem toto corpore ſanguinem minuere poteſt. Accedit & hoc, quod ſanguis heic effundatur non per venam amplam, neq; copioſus brevi tempore prorumpat, unde metuenda ſit funeſta ſpirituum diſſolutio; ſed guttatim per anguſtas venas exſtillet: quam evacuationem, pro tempore ac re, protrahere, ut eadem quantitas longiore tempore fluat, atque accelerare, item augere & minuere ſuo quiſque medicus arbitrio poterit. Qua hæmorrhagia inſtituta, non ſolum dum vires adhuc integræ ſunt; ſed etiam dum aliquo modo debilitatæ (ſumme enim debilitatis nulla conferet evacuatio, quemadmodum in ſudore ſyncoptico videmus) vires incrementa accepiſſe, pulſumque qui antea parvus & languidus fuit, majorem & vehementiorum factum fuiſſe obſervatum. His argumentis perſuaſus admodum utilem fore hanc venarum alvi ſolutionem contra vero damno ægrotum ab agyrtis affici, arbitror, qui ubi materiam ad fauces & cerebrum efferri vident, venas hypoglottidas aperiunt, ſanguinemq; quantum licet, effluere & exſpuere permittunt, partes iſtas ab inſtanti inflammatione hac ratione liberari exiſtimantes: cum tamen metus ſit, ne materiam ex partibus interioribus ſurſum magis trahat taliſmodi venæſectio, quæ ſponte ſua caput affectare conſuevit: præterquam quod hæ venæ, aliquando adeo copioſum ſanguinem fundant, ut pro voto medici reſtringi poſtea non poſſit: unde quanta infirmo pernicies ex profuſo nimium ſanguine impendeat, ſuperius jam docui.

Ultimum

Digitized by Google

Ultimum in mittendo ſanguine explicandum reſtat, quo ſcilicet modo ſanguis educi debeat: ubi primum ſe offert creberrimus lanceola aut ſcalpello venam ſolvendi uſus, unde humores promiſcue effunduntur. Hunc venæſectionis modum, ubi plethora inſignior fuerit, lubens quidem admitto, foramine facto anguſtiore, ne ſpiritus nimium exhalent: ſi tamen vires debiles fuerint, ſanguis tanta copia non luxuriet, ætas nondum ſit adulta, menſes aut hæmorrhoides remorentur, cucurbitulæ ſcarificatæ venæſectionis vicem ſubire debent: quæ partibus inferioribus appoſitæ à partibus ſuperioribus potentiſſime revellunt & evacuant, ut præter catholicam experientiam teſtatur *Galenus 13. m. m. cap. 9.* Coxis autem, femoribus, tibiis, aut etiam lumbis apponi debent, quo magis ad partes inferiores revellant, non vero ſcapulis, pectori, cervici, partibusve ſuperioribus. Quamvis enim iis partibus applicatæ à centro ad circumferentiam revellant, ut conſtat ex *Galeno loco adducto* & *11. m. m. cap. 17.* & *18.* maximi tamen damni metus eſt, ne valida iſta tractione, humor venenatus partes ſuperiores, ad quas ſponte ſua abit, occupet. Quod exemplo mulierum nimium menſtruatarum confirmari ex *Galeno* poteſt, qui *lib. 5. m. m. cap. 3.* ſecutus *Hippocratem* menſibus nimium fluentibus cucurbitam magnam ſub mammis defigit. Sed nec tanta ſpes futuri commodi ex attracto humore venenato medico allucere poterit, etſi particulam ſimul evacuari poſſe ſibi promittat, quanta gravis noxa imminet ex cucurbitulis ſcarificatis, valide commota, & ad ſuperiora membra retracta materia. Qua ratione *Avicenna lib. 1. fen. 4. doct. 5. cap. 21.* ventoſas ſcapulis & inter ſcapulas affixas tremorem cordis generare dixit: quemadmodum cucurbitulas nuchæ impoſitas oblivionem hæreditariam cauſſare eodem loco teſtatus. Ipſas denique cucurbitulas pectori & dorſo, pleno corpore, affixas, ex partibus illis ſanguinem quidem vacuare, nihil vero ex pulmone, multo minus ex corde, ob venarum longam diſtantiam, educere; ſed potius ex toto corpore ad illas partes plus attrahere, notum ex *Galeno lib. 11. m. m. cap. 17.* *Zacutus* quidem *lib. 3. prax. admir. obſerv. 13.* febrem puncticularem, quæ viginti diebus aliis levari non potuit, affixis juxta alas & inguina cucurbitulis ſcarificatis levatam refert: quod auxilij genus inguinibus commodiſſime ad-

Digitized by Google

me adhibitum fuiſſe cenſeo; ſub alis vero adminiſtratum cum ſucceſſu, non tam vacuationis, quàm attractionis veneni, gratia, quo cor oppreſſum languebat, non initiò morbi, ſed eo jam provecto, cæteris, quæ adhiberi debebant, jam præmiſſis.

Proximè præcedentis vacuationis utilitatem, accedit crurum ſcarificatio, quam *Apollonius*, ut refert *Oribaſius lib. 7. collect: med: cap. 20.* in ſe ipſo peſte affecto expertus, ſecunda die morbi crure ſcarificato, ac duabus libris ſanguinis extractis, & in peſte toti *Aſiæ* epidemia aliis feliciter communicavit, qui hujus auxilij uſu maxime ſervati fuere, illi cumprimis, in quibus exuperantis ſanguinis moles vires opprimebat: minore enim virium jactura potenter, evacuat & revellit. *Joh: Thomas Minadous lib. 2. de febr: malign: cap 7.* hanc ſcarificationem *Turcis* etiamnum in uſu eſſe memorat, qua in fœminis, & iis qui molles carnes habent, loco venæſectionis utantur. *Proſper Alpinus de med: Ægypt: lib. 3. cap. 8.* ſcarificandi hunc modum accurate deſcripſit, quem familiarem Ægyptiis eſſe refert, quò in quibusvis malis deſperatis confugiant, nullo prope ætatis diſcrimine: quem & in pueris ſæpius ſine gravi dolore ſe aliquoties adhibuiſſe teſtatur. *Hunc Proſper Alpinus lib: citat: cap. 7.* in febribus putridis malignis peſtilentibus celebrat, quod non ſolum evacuet, ſed & ad partes ignobiles ſuccos venenatos trahat, & à partibus ſuperioribus revellat: Quod ſi inflicta ſcarificatione vulnera diutius aperta ſerventur, impoſitis attrahentibus (quod *Ægyptij* faciunt,) quaſi elices venenatos ſuccos effundent. Hunc ſacrificationis modum *Galenum* ſub malleolorum ſacrificatione propoſuiſſe *lib. de cur: per ſang: miſſ: cap. 11.* atque inde nomen accepiſſe veriſimile eſt, cum à parte inferiore ſuræ, à malleolis ſcilicet ſcarificationem incipere debeamus, & teſte eodem *comm: 2. de fract: text: 66.* antiqui non ſemper adeo accuratè locuti fuerint, & *Hippocrates* nomine malleolorum totum malleolorum articulum appellare conſueverit. Ab *antylli* modo ſcarificationis apud *Oribaſium lib. cit. cap 18.* vix videtur diſtare *Ægyptiorum*, niſi quod hi pro ſtupore partis conciliando, & quo copioſior ſanguis fluat, partem dicto modo vapulare, voluerint. In his Arctois locis inſolens plane hoc remedij genus eſt, quod ob doloris moleſtiam, quem tot ſectionibus diſſiſſa cute ſuſtinere deberent, vix admittere

delicati

delicati ægroti volent: quamvis nec tanta ab *Oribaſio* admiſſa quantitate ſanguinem vacuari conſultum duxerim.

Pariter & hirudinum uſus heic ſatis infrequens; etſi commodiſſimus ſit in reſerandis narium venis & ani hæmorrhoidibus. Imò apud veteres, teſtibus *Plinio lib. 32. nat: hiſt: cap. 10.* & *Actuario lib. 5. m. m. cap. 3. & 4. m. m. cap. 6.* cucurbitularum vice ad ſpiramenta cutis laxanda & ſanguinem educendum, adhibitas fuiſſe conſtat. *Plinius* infamaſſe hoc auxilij genus viſus, exemplo allato *Meſſalini Conſularis & patricij*, qui inde periit, cum ad genua admiſiſſet; & quod aliquando infixa partibus reliquant capita, unde poſtea inſanabilia vulnera eveniant; venenum pro remedio communicent, ac ſemel admiſſæ deſiderium faciant circa eadem anni tempora ſemper ejuſdem medicinæ. Alij ſanguinem tantummodo tenuiorem ab hirudinibus vacuari contendunt, & foramen, quod morſu hirudinum infligitur, limoſo ac craſſo ſanguini extrahendo nimis anguſtum eſſe ajunt, qui alias ad partes iſtas à natura tranſmitti ſolet. Verum experientiæ documento nobis licet eſſe certis, hirudines innoxiè adhiberi, nec ſine magno emolumento, quod nullo delectu haurire è venis ſanguinem conſpiciantur, qui etſi floridus interdum appareat; ſæpe tamen craſſus & limoſus educi videtur. Noxa adjunctæ venenatæ qualitatis, ſingulari hirudinum delectu facile præcavetur, aut ſi quæ impreſſa hæret, aliarum rerum uſu facile aboletur. *Quæ enim magna capita habent, & ſunt coloris antimoniati, aut nigri; aut quarum color eſt viridis, aut quæ lanuginem habent, & ſuper quibus exiſtunt fila coloris azuli, & quarum color ſimilatur madiot, alicui ſerpentum generi, item quæ in corruptis aquis & cœnoſis & ſtagnantibus degunt,* improbantur ab *Avicenna lib. 1. f. 4. doct: 5. cap. 22. quod in illis exiſtat venenoſitas. Quæ vero minutæ, parva habent capita, & caudæ muris ſimiles exiſtunt,* eodem authore eligendæ, maxime verò *habentes ventres rubeos & dorſum viride,* & præcipue *ſi ex aquis fuerint currentibus.* Hirudines vero antequam applicentur, ex ſententia *Antylli & Avicennæ* per diem ſervandæ, ac exiguo ſanguine nutriendæ: ita enim virulentia earum expurgabitur, præſertim ſi capita eorum deorſum vertantur, aut leniter corpora conſtringantur, ut vult *Ulyſſes Aldrovandus lib. 7. de inſect: cap. 11,* ut ſuccus venenatus quaſi emulgeatur. Pars vero cui hi-

 rudines

Digitized by Google

Hirudines admoveri debent, nitro prius fricanda, ac ſanguine alicujus animalis vel argilla humida inungendus vel fovendus, aut unguibus ſcalpendus. *Oribaſius lib. 7. collect: cap. 22.* partem ſuperficietenus ſcarificari, & ſic applicari ex *Menemacho* docet: ubi enim ſanguinem guſtaverint, avidius ipſum appetent. Oportet autem eas in aquam tepidam & puram in vaſe lato magnoque contentam injicere, ut commotæ virus abjiciant: mox ubi eas ſpongia comprehenderimus, ac mucorem lentoremque purgaverimus, per calamum certæ parti apponemus. Poſtquam repletæ fuerint, (namque, ut *Poeta verſu ult: de art: poet:* ait

Non miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo,)

quid ſalis, cineris aut nitri, feræ combuſtæ, lini, ſpongiæ aut lanæ combuſtæ adſpergi, ac pars fomentis elui poterit, quo impreſſum venenum abſtergatur. Vulnuſculo impreſſo cucurbitula apponitur, ſi partis natura id ferat, quo copioſior ſanguis effluat: quin & cauda earum diſcinditur: ita enim ſanguis continuo extillabit; nec illæ ab attrahendo deſiſtent, donec cinere aut ſale earum os aſpergatur, teſte *Galeno lib 1. de hirud: cap. 1.* & *Oribaſio lib. 7. collect: cap. 21.* ex *Antyllo.* Qui etiam *ſeq: capite ex Menemacho* prodidit, eas auferri oleo calido, earum labiis infuſo, quod oleum earum appetentiam ſubvertat. Unde etiam *Menemachus* vicinis pinguedini partibus eas apponi vetat. Quod ſi remotis hirudinibus ſanguis ſponte non ſubſiſtat, linteolum aceto madidum, gallamve combuſtam, vel ſpongiam in liquidam picem immiſſam, & poſtea crematam, aut telas aranearum cum aceto imponemus. Hirudines vero etſi aliis partibus tuto adhibeantur, ſi tamẽ in præſenti morbo interiori nariũ parti apponantur, ſæpe maximis ſymptomatis ægrum liberant: cum enim cerebrum in hoc morbo maximè infeſtari videamus, (unde & morbo Πονος die Hauptkranckheit/ datum) ex harum applicatione cerebrum evacuari verſimile eſt, ut *Petrus Salius Diverſus de febr: peſt: cap.* plurimos morti proximos & fere ſolis prognoſticis derelinquendos ex hoc unico remedio ſalvatos eſſe viderit. Sic & *Franciſcus Biſſus* in *Vincentio Rao, Johannis Franciſci, in regno Siciliæ Juſtitiæ præſidentis,* filio, hoc morbo laborante, cæteris nihil proficientibus, narium ſectis venis ſangui-

nem

nem extraxit, maximo ægroti commodo, ut refert *Gerard: Columba in præfat: diſp: med: de febr: peſtil:*

Contra vero *Herc: Saxon: lib. 8. cap. 37.* hirudines naribus applicari diſſuadet: quod morbo progreſſo cum ob rationes allegatas non ſit ſecanda vena, multo minus per iſta loca tum ſit evacuandum, quod ſanguis difficulter ſæpe cohiberi poſſit, & quod evacuatio ſanguinis per nares in peſtiferis febribus nunquam ſit ſalutaris: quoniam hæmorrhagia narium copioſiſſima ſit proprium ſignum benigniſſimarum febrium; contra vero ſubſtillum ſanguinis, malignarum, ut patet ex *3. in 3. epid: text: 35.* quas ſtillas ſanguinis *Hippocrates 4. de diæta acut: t. 67. Coac: text: 36. 57. 149.* & alibi maximè damnavit; niſi, ſignis πεπασμοῦ in urinis apparentibus, quarta die conſpectæ, ſeptima criticam hæmorragiam adfuturam indicent.

Cæterum hirudines, non vacuando univerſo corpori, ſed venenato ac penitus corrupto ſanguini, qui cerebrum jam occupat, extrahendo, deſtinari cenſeo: qua de re etiam minori quantitate is ducendus, qui facile adſtringentibus & emplaſtis cohibetur: cujus etiam nimius fluxus à virulentia hirudinum inductus jam dictis rationibus cavetur. Quod vero ſtillas ſanguinis tantopere à *Galeno* & *Hippocrate* damnari in his aliis morbis Saxonia ſcribit; notandum, aliam rationem eſſe ſtillarum ſanguinis, quæ auſpiciis naturæ feruntur, aliam earum, quæ mandato medici educuntur: in illis periculi ratio manifeſta eſt, quod imbecillitate naturæ prodeant, quæ ſe exonerare quidem cupiat, ſed ſub opere fatiſcat: quanquam & ſanguinis craſſitie partiumque denſitate inceptam hæmorrhagiam continuare natura interdum non poſſit: unde, cum nullum paucum criticum ſit bonum, ac tantulo beneficio invicta vis mali non mitigari, ne dum tolli poſſit, infelices eſſe ſtillas videmus. At in his ea de re nullus periculi metus: neque enim naturam adeo debilem, ſanguinemque craſſum aut adſtrictas partes arguunt. Quin nec ſtillæ narium ſeu naturæ ductu, ſeu arte, admotis hirudinibus aliisve inſtrumentis excitæ, ſemper abſolute damnandæ: ſi enim pluſculum temporis durent, & quantum tollendo morbo ſuffecerit, ſenſim effundant, prodeſſe ſolent: imo, cum paulatina iſta evacuatio minus

virium abſumit, cæteris ſuo jure anteponenda: quod continuantes, ſtillæ, temporis diuturnitate requiſitam ſanguinis copiam vacuare ſoleant: unde non ſimpliciter *στάξιες*, ſed *αἱ ἐλάχισται*, perpuſillæ, ab *Hippocrate Coac: text: 57.* improbantur. Illud tamen obſervari velim, ut ſuo quoque tempore fiant, ne, quæ plurimis ſaluti fuere, intempeſtivo uſu in perniciem ægri concedant. Impuro itaque corpore primoque morbi inſultu, ubi aliis remediis locus eſt, ad particularem hanc evacuationem neutiquam feſtinabimus, ne materia morbi, quæ ſua ſponte *ἀνάῤῥοπος* eſt, caputque moleſtat, ſanguiſugarum ſuctione ſurſum trahatur, illudq; potentius afficiat.

Placet ad cheirurgica auxilia etiam referre veſicatoria, de quorum uſu in his aliisque peſtilentibus febribus maxima inter præcedentis ac præſentis ſeculi clariſſimos medicos, *Herculem Saxoniam* & *Alexandrum Maſſariam*, *Gerardum Columbam* & *Marcellum Capram*, aliosque controverſia oborta: aliis veſicatoria, ut maximè damnoſa in his morbis culpantibus, aliis ea, ut præcipue profutura, commendantibus. Qui negativam tenent, ut alias rationes, à dictis authoribus, item *Lælio à Fonte in conſultationibus* propria diſputatione traditas, taceam, vires jam antea in hoc morbo debiles, ab applicitis veſicatoriis dolore excitato, magis infirmari credunt: quod dolor omnis vires diſſolvat authore *Galeno 12. m. m. c. 1.* & *3. de comp. med. sec: loc: cap. 2.* item *3. acut: 33.* ita ut, ſi gravis dolor perſeveret, interficiat, docente *Avicenna lib. 1. fen. 4. cap. 30.* Quo ſpectat illud *Lucretij.*

Et dolor & morbus lethi fabricator uterq; eſt.

Cum enim alterationes, quæ ſubitæ confertimque fiunt, mutationes maximè ſenſibiles efficiant, & dolorem excitent: *cantharides* vero igneæ ſint, ut patet ex *Galeno 4. ſimpl: cap. 19.* erodant & exulcerent *3. ſimpl: cap. 23.* non modo & vehementem intemperiem, quam introducunt, *Galen: 13. m. m. cap. 6.* ſed & ob aduſtionem partis, conſectarius erit dolor *Galen: de inæq: intemp: cap. 8,* & *lib. 1. de cauſſ. ſympt: cap. 6.* Præterea veſicatoriorum uſum propterea rejiciendum arbitrantur, quod calor febrilis iis appoſitis magis ſuccendatur, cum cantharides habeant vim exedentem atque urentem ut ex Galeno retuli, Firmant *Paulus lib. 7. cap. 3. Plinius lib. 29. cap. 4.* qualia

medi-

medicamenta quarto ordine calida ſtatuit *Galenus lib. 5. ſimpl: cap. 27.* quæ ab eodem *6. ſimpl:* inter venena quarto gradu calida cap. de euphorbio relata. Ob quorum veneratam qualitatem quæ tertia earum ratio eſt, malignitatem morbi intendi atque ſuſpectum magis fore horum uſum autumant: quod *Galenus 4. ſimpl: cap. 19.* quæ per eroſionem interimunt medicamenta, lapidi ferroque ignito ſimilia eſſe, & cantharides ad veſicam uſque pertingere, ſcribat. Febrem etiam augeri arbitrantur, craſſis humoribus ex majoribus venis in minores, ex his in capillares tractice horum virtute traductis: unde obſtructionem, prohibitam tranſpirationem & conſectariam putredinem ac febrem produci contendunt. Potiſſima enim putredinis cauſſa eſt obſtructio & prohibita tranſpiratio *Galen: 11 m. m. cap. 4. 1. de diff: feb: cap. 3.* & *lib: de inæq: intemper: cap. 7.* Tandem quoque coctionem & criſes in malignis febribus uſu veſicatoriorum impediri ſtatuunt: (has enim non in his tantum febribus, ſed & in ipſa quoq; peſte aliquando contingere, certum eſt,) dum crudos & nondum coctos humores per cutem evacuant, ac naturam, excretioni morbificæ materiæ operatam, ab inſtituta critica evacuatione alio, ad cutem ſcilicet, revocant. Quibus priſcorum medicorum *Galeni, Aetÿ, Pauli, Oribaſij* aliorumque authoritatem addunt, apud quos altum de veſicatoriis in febribus peſtilentibus ſit ſilentium.

Alia contra veſicatoria ut maxime ſalutaria commendant, modo recta cum ratione adhibeantur, quibus & ego aſſentior: quod in purpura maligni humores & vapores admodum luxurient, & cor cæteraque nobiliora viſcera continuo infeſtent, ut eos à ſuperioribus ad inferiores, ab interioribus ad exteriores partes retrahere atque evocare maxime ſit conſultum: præcipue cum natura illo corruptos & malignos humores in peſtilentibus ac malignis febribus anthraces, bubones, maculas expellat, ac ſudorem fœtidum aliquando cum εὐφορίᾳ effundat. Quod auxilij genus eo promptius adminiſtrabimus, ſi communia remedia jam præceſſerint, æger temperamento ſit frigido, frigidisque humoribus abundet, ac corporis ſyſtema ſit carnoſum ac ἐσφιγμένον; aut tantus caloris retroceſſus ad interiora factus, ut eo partes externæ prope deſtitutæ frigeant, aut modice admodum caleant; interiores vero maligno ac retorrido ca-

do calore urantur: in quo poſtremo caſu omni ingenio calorem è profundo foras evocandum docet Ruffus, & ex eodem repetunt *Aetius lib. 5. de re med. cap. 95. P. Ægineta l. 2. c. 36.*

Argumentis contrariæ ſententiæ reſpondeo. Vires à dolore, veſicatoriis producto, parum detrimenti accipere, quod dolor non adeo vehemens ſit, ut uſum tam nobilis remedij impediat: cum pueris, ſæpe & infantibus, ſi neceſſitas exigat, abſque multo dolore applicentur: qui facile remittet, ſi erumpentibus veſicis cauſtica removeantur, & illæ pertuſæ aut diſciſſæ malignum humorum effundant: unde majus commodum ſperari poteſt attractâ & evacuatâ malignâ materiâ, quam damnum eſſe queat, leviter inde affectarum virium. Cum enim omnis attractio fiat calore, dolore, fuga vacui, & ſimilitudine ſubſtantiæ, ut tradit *Galenus 2. de diff: febr: cap. 11. & 3. de natur: fac: 14*, calore ac dolore moderato veſicantia potiſſimum agere conſtat: quorum *ἐνέργεια* etſi in determinata parte præcipue obſervetur; vis tamen eorum ad partes remotiores abit, atque inde venenatos ichores humorum, unaque venenum, allicit. Quod & confirmat *Galenus 5. ſimpl: cap: 18.* dum omne deleterium venenum à foris impoſitis evacuari memoravit.

Par de calore ratio eſt, quem à veſicatoriis accendi metuunt: cantharides enim aliaque, quæ excitandis veſicis adhibentur, vim ſuam parti, cui adhibentur, potiſſimum communicant, nec ad penitiores partes tantus calor, quantus in ſubjectâ parte eſt, defertur, ut eas adeo inflammet & exulceret, ut quotidie medicinam facientes experimur. Quamvis enim illud ultro conceſſerim, per extrema arteriarum & venarum quorundam medicamentorum vires ad cor & principes partes penetrare, ut in venenis ejus rei exempla ſunt: magna tamen venenorum differentia eſt: quorum quædam adeo languida ac inertia, ut foris impoſita deleteriam ſuam vim corpori neutiquam imprimant, ut *fungi, gypſum, ſublimatum*: quorum duo poſteriora non raro cum ſalute ægrotum adhibentur: quædam in minima quantitate maximas vires gerunt, ocius mortem allatura, foris appoſita, ut per ſtapedem, ephippia, ocreas, venenari aliquando homines poſſint, quod multorum authorum teſtimoniis confirmat *Paulus Zacchias, Medicus Romanus*, ſcriptor inſignis *lib. 2. quæſt: medico legal: tit: 2.*

ſit. 2. quæſt. 9. quemadmodum & *torpedinis* vim per tridentem piſcatoribus communicari videmus. At quædam venena ſegnius agunt, mediaque inter jam dicta venena reponuntur: quæ etſi tota ſubſtantia noceant, ut minima quoque particula labem aliquam inferant, ipſum tamen hominem non occidunt, niſi modum excedant, diutiusq; corpori adhæreant, ut *arſenicũ.* Hac ratione *cantharides* parti præcipue, cui apponuntur, dolorem communicare, & ad penitiores partes vim quidem earum transferri, aliquando ſtranguriam & ardorem urinæ ſpecificâ proprietate afferre, cæteris tamen partibus innoxias eſſe, atque illatum partibus calorem uſu refrigerantium rerum, *emulſionis quatuor ſeminum frigidorum* potus facile emendari, videmus. Et ſane multo plus ſublevamenti ab attracto veneno, quam damni ab illato levi calore proventurum ſperandum; cum etiam pars exulcerata facilius noxium humorem recipiat. Quo reſponſo & tertiæ rationis à venenata cantharidum qualitate acceptæ robur concidet: imbellem ſcilicet eſſe cantharidum virtutem, nec inter valentiora venena referri debere, ut appoſitæ ſtatim deleteriæ ſint: nam quod à *Galeno l. 4. ſimpl. c. 9.* quæ per eroſionem interimunt medicamenta, ferro lapidique ignito ſimilia eſſe, *cantharidesq;* ad veſicam penetrare, dicuntur, de exhibitis potiſſimum intelligendum, ut præter alios inſigni exemplo *Abbatis junioris* probat *Paræus lib. 20. c. 28.* appoſitæ enim minus furient, & noxa *cantharidum* facile corrigi poterit. Cum & alia deleteria venena arte medica adjectis aliis aliquando ita emendari poſſint, ut ſalutaria remedia inde producantur. Qua ratione ipſe *Galenus libro citato in fine ejuſdem capitis cantharidem* intro tutò exhiberi poſſe teſtatur, ſi parce ſumpta, quibusque oportet, admixta fuerit: præterquam enim quod veſicam nihil offendit, etiam renes expurgat, ut, quæ efficaciora ad urinas movendas parantur medicamenta, nonnihil habeant *cantharidis. Idem l. 11. ſimpl: cap. de canthar:* quendam ſuorum præceptorum *cantharidum* paulum in medicamenta urinam moventia inieciſſe memorat. Non dicam de earum uſu in hydrope teſte *Dioſcor: lib. 2. cap. 55.* & *Hippocrate lib. de vict. rat:* ignava venere, ut partes genitales frigidiores inde pruriant & incendantur atque diſtendantur: in aliis corporis humani internis aut externis affectibus, quorum ſeriem recitat *Ulyſſes Aldrovan-*

Digitized by Google

dus lib. 4. de inſect: cap. 4. De *Euphorbio* in medicina uſu, ne multa dicam, facit ejus in medicina uſus ſatis familiaris. *Avicenna lib. 3. fen: 2. cap. 14. pilulas de euphorbio* pro purgando crudo ſucco in apoplexia commendat. Et in peſte *pilulæ Comitum de Solms*, quæ recipunt euphorbium, quibusdam uſitatæ, teſte *Capivaccio lib. 6. de febribus cap. ult*: Ita in nervis punctis & vulneratis, in deſquamatione oſſium corruptorum præcipuum remedium euphorbium eſt docente *Galeno 6. m. m. cap. 2.* Quarta ratio metum ſine ratione proponit: quod noxa iſta facile declinetur, ſi univerſalibus præmiſſis veſicatoria adminiſtrentur: præterea, cum febris hæc ſæpe ex aeris corruptis μιάσμασι, non ſuccorum vitio genita ſit, quæ ubi moram in corpore fecerint humores ſpiritusq; inquinant, iſta, antequam vires ſumant, evocare medicus debet. Sed & noxa obſtructionis non ſemper conſequetur, ut cottidie in aliis morbis id experimur, aut ſi quæ levior adeſt, ſuperato graviſſimo hoſte, maligna ſcilicet qualitate, tolli poterit, ſi quæ infarctos meatus expediunt, exhibeantur. Nec coctionem humorum veſicantia impediunt, dum crudos & non dum coctos ſuccos per cutem attrahunt & evacuant. Natura quidem, dum recepta lege ac conſuetudine agit, ac perfecte ſubitaria evacuatione noxium humorem expellere conatur, eum primo alterat & concoquit, mox ſecernit, ac per convenientes vias evacuat. Quod ſi pravorum humorum copia aut adverſa qualitate ſtimulata fuerit, antevertit tempus coctionis, & eos expellit, antequam rudimenta coctionis ſe proferant. Quæ excretio etſi temporis ratione ſymptomatica ſit, ægrotis tamen ſalutem attuliſſe viſa eſt, ut exemplis in hanc rem allatis jam demonſtravi. Quin humores quidam prima die utiliter evacuantur, antequam vitium contrahant, quod coctionem non recipiant. Ita ſerum in aſcite πεπασμοῦ plane expers eſt. Et ſupra jam demonſtravi, venenatam purpuræ peſtisque materiam, quemadmodum aliorum venenorum, tutiſſime primo inſultu evacuari, nec conſuetam in aliis morbis coctionem admittere: quæ ſi aliquando contingat, rariſſima eſt, & robori naturæ accepta ferenda, quæ tot venenatæ materiæ inſultibus exercita, in quam rurſus perpetuo agit, ac ſuperior tandem facta, præparatam materiam tandem expellit, cæteroquin, ſi ſuo robore aut medicamentorum ope id facere ipſi lice-

liceat, eam primo tempore propulſura. Admonere tamen lectorem volo, ſi natura criticam evacuationem moliatur, quæ cum commodis ægri rebus ſit futura, eam veſicatoriis impedire ab omni ratione eſſe alienum.

Authoritates veterũ medicorũ quod attinet, ad id repono, neq; Hippocratem neq; Galenum peculiarem aliquem librum, qui ad hoc ſeculum pervenerit de peſte, peſtilentibus febrib⁹, earumq; curationẽ ſcripſiſſe, ſed in libris epidemiorum aliiſque locis hinc inde horum morborum feciſſe mentionem, ut ex illis nec ſolida curatio peti, nec argumenta dari poſſint, quæ veſicatoriorum commendatam bonitatem evertant. Quin potius Galenus contrarium ſtatuiſſe videtur, dum *5 ſimpl: cap. 18.* ad venenum foras attrahendum & evacuandum commendat calida attrahentia: quem ſequitur *Avicenna lib. 4. f. 6. tr. 3. cap. 1.* Talia vero præ cæteris ſunt veſicatoria, quæ potentiſſimè illud præſtant. Ita *Gal: lib. de ſect: cap. 4.* venenum morſu ictuq; inflictum acribus medicamentis extrahendum docet. Idem *lib. 3. loc: aff: cap. 7.* in puero, vitio tibiæ epileptico, thapſia & ſinapi parti affectæ impoſitis ſymptoma terrificum ſublatum memorat. Et *lib. 11. ſimpl: cap. de cancr: uſt.* ut & *l. 3. compon: med. ſec: gen: cap. 5.* item *l. 2. de antidot: cap. 11.* laudat emplaſtrum ex pice, opopanace, & acerrimo aceto paratum, contra rabidi canis morſum, ut neminem qui eo uſus, hydrophobia correptum ac mortuum viderit. Pariter & *Dioſcor: lib. 6 ſimpl: cap 37.* in morſu canis rabidi, poſtquam auxilia primis diebus prætermiſſa, quæ venenatam qualitatem foras evocent, dropaces, ſinapiſmos, alternatim per totum corpus imponendos cenſet. Reliqui authores iam dicti etſi nullam veſicatorij mentionem in curatione febrium peſtilentium faciant; *Paulus Ægineta tamen lib. 2. cap. 36.* in febre peſtilentiali, ubi exteriora frigent, interiora uruntur, phœnigmos adhibet, quo calor ex alto per totum corpus trahatur, aut ſi alio quopiam modo ab internis partibus foras evocari malignus calor poſſit. Et *Aetius lib. 5. cap. 95.* in tali caſu calorifica adhibere mandat, quod totis viribus enitendum ſit, ut calor à profundo ad corporis ſuperficiem evocetur. Confer *Avicennam lib. 4 fen. 1. tract: 4 cap. 4.* qui in tali caſu regimen, caliditatem exterius trahens adminiſtrare jubet: quod cũm veſi-

Digitized by Google

catoria efficaciter præſtent, cauſſam non video, cur ea tantopere heic ſint formidata: quæ non tantum calorem phœnigmis potentius evocant ac venenum attrahunt, ſed illud pariter evacuare poſſunt. Quo propoſito Ægyptij referente Proſpero *Alpino lib. 4. med. Ægypt. c. 15.* veſicatoria plurima, decem prope, cruribus, brachiis, inguinibus imponere teſtatur, per quæ humores ſumme putridi effluant.

Materia ex qua veſicatoria parantur, peti poteſt ex *flammula, ſinapi, pipere, rad. & fol. iberidis*, ac *euphorbio* in corporibus durioribus ac frigidis humoribus refertis. Hæc *fermento acerrimo* excepta cum *melle anacardino & aceti vini fortioris q. ſ.* remixto *ſemine ammios*, (quo vis *cantharidum* noxia veſicæ temperetur,) ac pauca *terebinthina* rediguntur in paſtam: quæ dimidij Joachimici craſſitie ac magnitudine excitandis veſicis, cruribus itemq; brachiis prope inſignis venæ decurſum apponitur. Quo vero citius veſicæ erumpant, partes, quibus adhibetur, linteolo aſpero calido prius fricari debent, donec ruborem contrahant. Maſſa veſicatorij juſto temporis ſpacio cuti adhæreat, tardiusque in corporibus duris, 6. 7. aut 8. horis elapſis, removeatur: in corporibus mollioribus, ut fœminis ac pueris, breviori temporis intervallo, 3. 4. aut 5. horis veſicatorij vis effectus ſuos proferet, poſt quas auferenda. Si enim diutius alligata fuerit, non modo dolore moleſta erit; ſed & vis ejus ad urinarios meatus deſcendet, ſtranguriamque, & aliquando cruentam mictionem cauſſabitur: ut ex *Barthol: Montagnana* referat *Ulyſſes Aldrovandus lib. & cap. cit*: civem quendam *Patavinum* ex admotis alteri genuum cantharidibus quinque libras ſanguinis eminxiſſe. Veſica pertuſa aut diſciſſa butyro inſulſo inungitur, ſuperimpoſito braſſicæ folio: Eadem etiam *oleo ſcorpionum ſimpl:* aut *compoſito Matthioli*, aliove ſupe-xioſumlituum alexiteriorum illinitur, quo potentius venenum ex imo corporis alliciat.

CA-

CAPUT XXV.

De Purpuræ Purgatione.

Alterum à phlebotome materiæ putridæ educendæ remedium eſt, purgatio, propoſita à *Galeno* pro corruptæ materiæ vacuatione *4. de ſanit: tuenda cap. 3. Quod enim alienum eſt, nulla fieri ratione poteſt, ut id naturæ ſuæ gratiam recipiat, ſed id educere quamprimum tentandem; æque certe, ut quæ in ventre corrupta ſunt, ea vel vomitione vel dejectione expelli, profecto eſt optimum.* Idem confirmat *l. 11. m. m. cap. 8.* & *9. m.m. cap. 8.* dum, quod putridum eſt, omni ratione evacuari debere ſcribit. Purgationem itaque heic plurimi inter morbi principia maxime commendant, quod eſſentiam harum febrium in putredine poſitam arbitrentur; aut cum venenatæ qualitati putredo conjuncta ſit, purgationem & phlebotomen tollendæ humorum putredini inprimis conferre exiſtiment, quemadmodum malignitati veneni alexipharmaca offeruntur. Purgatio verò horum opinione eo magis acceleranda, quod humor venenatus coctionem non recipiat; ſed toto genere deleterius & præternaturalis exiſtens, indefeſsâ actione ac continuâ fermentatione multiplicatus, in perniciem ægrotantis concedat, criſes quoque plerumque infauſtæ atque infidæ in purpura obſerventur, ut propterea ſatius fore ſibi perſuadeant, primo quovis tempore corruptam materiam excludere; tempuſque coctionis purgatione inſtituta antevertere, quàm, dilato præcipuo remedio, augere malignitatem, viribuſque proſtratis fallaciſſimæ morborum excretioni ægrotum relinquere. Præterea cum, ſymptomatis plurimis ſubito exſplendeſcentibus, materia purpuræ ſæpe in ipſo principio morbi interdum turgere videatur, unde cor exitiali malignitate facile affici poſſit, (ad quod venenum alias ſua ſponte fertur) purgatione principem partem ejus liberandam cenſent.

Nec patrocinia authorum iſti ſententiæ deeſſe quis exiſtimet, *Hippocrates lib. 3. epid. ſ. 3. t. 29.* in ſui temporis peſtilentia, quibus

commodè turbata fuit alv is, reſtitutos obſervavit. *Galenus lib. 5. m. m. c. 12.* illos, qui ſuo tempore gravi peſtilentia decubuerunt, & ulcus in aſpera arteria habuerunt, facile convaluiſſe narrat, quod præſiccatum iis præpurgatumque totum corpus eſſet: quippe cum & vomuerint ex iis nonnulli, & omnibus venter profluxerit. Ut inde, ſalutares purgationes in peſte purpuraque fieri, quis deducere poſſet. *Avicenna* quoque *lib. 4. f. 1. tr. 4. cap. 4.* purgationem in peſte probat his verbis; *Et oportet ut incipiatur in ea ad evacuandum. Si enim materia vincens fuerit ſanguinea, fiat phlebotome, & ſi fuerint alij humores, evacuentur. Avenzoar in ſuo theiſir lib. 3. tract: 3. cap. 1.* in curatione epidemiæ, quæ venit ex corruptione aeris, à phlebotomia incipit, hinc purgat. *Balthaſar Conrad: de febr: miſce Ungar: cap. 5.* poſt ſuffumigia & vomitoria purgantia proponit, ſecundum quæ ſudorifera commendat: idem etſi fortiora medicamenta improbet, eodem tamen capite ſua probat arcana, quæ vomitum dejectiones & ſudores ſimul moveant, ſi in principio ſtatim, dum primus horror invadit, in peſte peſtilentibusque febribus exhibeantur; *aurum ſcilicet vitæ, oleum & eſſentiæ antimonij. Herc: Saxon: lib. 8. de febr: cap. 37.* ſi febris peſtilens ſit ex aere vel cauſſa extrinſeca non improbat medicamenta purgantia, ſi homo ſit probis humoribus. Imo in peſte admittit cathartica validiſſima, ſi homines ſint robuſti. Horum non exemplo atque imitatione, ſed propria temeritate agyrtas plerosque videas rerum penitus ignaros, ſolidæ eruditionis hoſtes, novos Philoſophos & καῖ' ἐξοχὴν Chymicos dici cupidos, heic & in ipſa peſte ſua nobis experimenta obtrudere, *vitrum ♁ij, crocum metall: turpethum minerale* & cætera de genere hoc: quibus in ipſo morbi acceſſu evertendæ materiæ venenatæ utuntur, cum conſectaria plerumque ὑπερκαθαίρει omnium humorum, ipſiusq; ſpiritus vitalis effuſione.

Cæterum, amice lector, ſi pedem heic figas, pariterque mentem ad ſeriam contemplationem, purgationes in principio purpuratarum febrium aere aut contagio productarum, minus convenire comperies: quod conſtet exitialem purpuræ qualitatem non in morboſo corporis apparatu, ſed in ſubtili ſpiritali & aerea ſubſtantia, conſiſtere, quæ vel aeris inſpiratu vel contagio corpori communicata, vi ſuâ malignâ, ad agendum potentiſſima, corpus immutat, variisque

que ſymptomatis afficit. Id igitur venenum cum ſpiritale ſit, materialibus evacuationibus non cedit, ſed propriis oppugnari debet remediis, alexipharmacis ſcilicet, quæ illud totius ſubſtantiæ proprietate emendent, ac ſimili, quo receptum eſt modo, per inſenſibilem *διαπνοὴν* foras, ad diſtantiſſimas partes, habitum corporis, quæ commodiſſima evacuandi via eſt, eliminent. Seminaria enim, ut loquitur *Fracaſtor: lic. 3. de contagi morb: curat: cap. 5.* educuntur per eductionem materiæ, cui ſunt inhærentia. Accedit, quod purgationibus materia venenata commota, neque evacuata (cum cathartica alium potius humorem cui ſunt analoga, quam venenum, paucis admodum exceptis trahant.), aliis humoribus innoxiis commiſceatur. Ità *Sennertus Vir de Republica Medica præclariſſimè meritus l. d febr. c. 11.* & *Mindererus in append: lib. de peſt. c. 7.* ſe obſervaſſe referunt, quoſdam cum purgationem præſervationis gratia uſurpaſſent, atque fomitem malignæ febris jam circumferrent, humoribus agitatis in febrem malignam incidiſſe, maculasque erupiſſe, & intra paucos dies mortuos eſſe. Sed & purgationibus principio morbi inſtitutis materia venenata, quæ non ſemper in inteſtinis aut ventriculo, unde protinus evacuanda foret, ſed plerumque penitioribus venis deliteſcit, ad partes nobiliores intro magis revocabitur, ac naturæ conatus, quo conceptum venenum ad habitum corporis expellit, ut in ſudore & maculis id fieri videmus, intervertitur, ad centrum corporis humorum motum revocando. Ita vipera demorſis aut ſcorpio punctis ſi quis temerario auſu purgantia mox porrexerit, nonne ille venenum ex parte ignobili ad viſcera, quorum officio vita carere nequit, tractrice horum virtute traducet? Quod ſi materia per alvum in purpuraca febre primis diebus effertur, non ea eſt, quæ vitium fecit, ſed ſæpe omnis labis expers: unde ejusmodi purgationes ſeu ſponte, ſeu medici conſilio, factæ plurimis exitio fuere. Quod & in variolis & morbillis non raro evenire obſervamus, in quibus nullo ſublevamento morbi, ſæpe præſenti damno ægroti alvus crebris dejectionib⁹ ſolvitur: quod materia, quę educitur, à variolarum & morbillorum materia diverſa ſit; aut per convenientia loca non evacuetur, virtusque, quæ alias in omnibus malignis morbis infirma languet, increbreſcentibus ſeceſſibus penitus ſuccumbat. *Si enim*, ut loquitur

Hip-

Hippocrates l. 1. aph: 2. qualia oportet, purgentur, confert & facile ferunt, ſin minus contra fit: Virium quoq; dejectio, quæ in hoc morbo ſemper attendenda, purgantium, præcipue validiorum, uſum non admittit: quod prava ac corrupta materia, dum trahentis pharmaci virtute commovetur, naturam ad excretionem ſui maximè ſtimulet, ac ſæpe copioſiſſimas dejectiones & graviſſimas diarrhœas efficiat. Quæ enim corrupta ſunt, non poſſunt irritamentum magnum lubrica ipſa exiſtentia, atq; etiam valde irritantia, perferre, ut teſtantur *Fracaſt: lib. 3. de contag: morb: cur: cap. 5. Lud: Merc: lib. 7. de febr: malign: c. 2. Sennertus l. 4. de febribus c. 11. Mindererus in append: lib. de peſt. cap. 7.* Et ut altius ſucceſſum purgationum alvi repetam, *Hippocrates lib. 3. epid: ſect: 3. text: 56. & 57.* omnes fere peſte laborantes ventris purgatione extinctos tradit. Idem in ſuæ ætatis peſtilentia contigiſſe *Galen: in comm: loci citati* memorat. Et 3. *in 3. epid: ægroto 1. ait, in peſte illa longiſſima colliquationes cuncti prope excreverunt, quidam mere fulvas, quidam moderatius, omnes certe putidas. Verum eæ excretiones lethales ſunt, nec tempus perferunt. Corn: Celſ: quoq; l. 3. de re med: cap: 7.* docet, in peſtilentibus febribus minime utile eſſe ducere alvum. Tandem cum *Hippocrates* famoſo decreto *lib. 1. aph: 22.* caverit: *concocta ſolum medicanda non cruda: niſi materia turgeat*: purgationem incipiente morbo diſſuaſerim. Præparata enim materia naturam ipſam habemus vacuationis adjutricem. Siquidem ipſa poſt coctionem aperte videtur humores ſecernere, & quod ſupervacaneum eſt, expellere, quo tempore criſes fieri conſueverunt. Quam coctionem neque in purpura penitus rejiciendam arbitror, quod putredo, ſeu confectaria, ſeu ſocia deleteriæ qualitatis, coctionis notas manifeſtas exhibere ſoleat, (quibus apparentibus, ac remittentibus febrilibus ſymptomatis materia putrida utiliter excluditur,) & alterationem atque aliqualem coctionem venenata materia interdum recipiat, bezoarticis aliiſque medicamentis præparantibus emendata; ſæpius etiam ſolius naturæ robore ſuperetur, criticè poſtea vacuata aut longa die tandem victa. Id enim in his febribus malignis ipſaq; peſte evenire aliquoties vidi: pauperes omnium rerum inopes, nullis adjutos medicamentis, poſt Dei ſolius miſericordiam, ſolo virium robore convaluiſſe.

Quæ

Quæ in contrarium allata, invalida ſunt, nec ignem veritatis ſuſtinere argumenta poſſunt. Quamvis enim concedam, febrilem calorem à putredine naſci; hæc tamen putredo non vera, ſed analogia eſt, nulla obſtructione, & prohibita tranſpiratione, ſed humoris venenati ſepticâ qualitate producta: quæ pauxilli fermenti aut multi inſtar, totam farinæ maſſam, aut vini cadum fermentantis, ſeptica vi ſanguinem inficit ac corrumpit. Falſum enim eſt, quod quidam arbitrantur, in purpurata febre ſemper ſe comitari venenatam qualitatem & morboſum apparatum ac putredinem, cum horum morbo incipiente ne minima plerumq; adſint indicia, ac laudatiſſimæ conſtitutionis homines plerumque hac lue corripiantur: in quibus, cætera ſanis *Hippocrates 2. aph: 36. & 37.* item *4. aph: 16. & Galenus in horum locorum commentariis*, purgationes manifeſto damnarunt.

Argumentum à venenata purpuræ materia acceptum, quam, quod toto genere præter naturam ſit, & raro ſolius naturæ beneficio ſuperetur, ocius corpore expurgandam exiſtimant, necquicquam adjumenti adverſæ ſententiæ afferet. Illud enim animo lubentiſſimo accipio, mora invaleſcere in corpore venenum, illudque primo acceſſu in ipſis, quod ajunt, incunabulis tutiſſime opprimi & expelli; cum raro benignitate ſolius naturæ alteretur. Ita epotum venenum, ſi in ventriculo adhuc hæreat, excitato vomitu ociſſime excludemus, antequam viſcera interiora penetret, noxamque, longo tempore vix delebilem, partibus nobilioribus imprimat. Ita Bekij filiolo, trimo, cum arſenicum accepiſſet, ac hauſti veneni ſigna manifeſta ſe oſtenderent, ore vi diducto, ultra libram olei amygdalarum dulcium cum pulvere cryſtallorum infudi, quamvis ante meum adventum ſatis magnam olei communis quantitatem jam accepiſſet: qui cum inde, etſi in caput poſitus apprehenſis pedibus valide concuteretur, ad vomitum impelli non poſſet, ſymptomatis accepti veneni increbreſcentib⁹, dato *decocto croci metallorum*, excitato inde vomitu paulo poſt veneni materiam, cum butyro oleo ac piſis, quę ante duodecim horas cruda voraverat, rejecit: quem poſtero mane reviſurus in ædibus parentis ludentem offendi. Pariter ſi ingeſti veneni in inteſtinis remorantis indicia adſint, clyſteribus atque purgationibus

Fff

nibus rem tranſigemus quod materiale ſit venenum,aliiſque humoribus non dum permixtum, via quoque proxima ſit, per quam expurgari illud poſſit. At in λοιμώδει conſtitutione venenum non tam materiale quam ſpiritale, non crudum & impermixtum, ſed ſpiritibus, humoribus, partibuſque ſolidis ſuam jam communicavit labem, raroque in primis viis, ſæpius in ipſis corporis penetralibus deliteſcit: qua in re quantum purgationes officiant, jam retuli.

Ὀργασμὸν materiæ quod attinet,eum non ſemper huic morbo, imò raro adeſſe certum eſt: febris enim hæc cum plerumq; exterius quieta ſit, tacitoq; progreſſu incrementa accipiat, raro ſymptomatis variis validiſque principio affligit, ut ſæpius ægrotos, & medentem aliquando, decipiat. Quod ſi tamen morbi principio ſymptomatum plena ſint omnia, non illud ſtatim putredinis magnitudini, ſed potius venenatæ qualitati (loquor de purpura foris adveniente) deferendum: quæ penetrantiſſima ac potentiſſima ſua actione momento ſæpe partium diverſarum functiones labefactat, earumque ſic affectarum ſymptomata producit: quæ alexipharmacis potius, quàm catharticorum intempeſtivo uſu expugnanda.

Authorithatibus adductis Clariſſimorum medicorum teſtimonia oppono, quibus illi in peſtilentibus febribus catharticorum uſum inter initia, ut improſperum, rejiciunt. Sed nec ab *Hippocrate* & *Galeno*, etſi uterque peſtis peſtilentiſque febris pluribus locis meminerit, pro curatione horum morborum purgatio adducta. *Hippocratis* locum ex *3. epid: ſ. 3. t. 29* allegatum nunquam confirmare purgationem principio morbi factam,pro certo habeo: quin potius eum contrariam tenuiſſe ſententiam ipſe text⁹ demonſtrat, dum, quibus commode alvus turbata fuit, ſanatos refert. Quod non morbi principio atq; incremento fieri potuit, cum dejectiones laudatas, non niſi coctâ materia, & à meliori ſeparatâ, ductu atque auſpiciis naturæ, prodire, numeroſis locis alibi docuerit. *Galeni* teſtimonium *5. m. m. cap. 12.* de ægrotis, quos peſte detentos alvo copioſe ſoluta, ut inde totum corpus purgaretur & exiccaretur, atque omnia exanthemata ſicca eſſent, reſtitutos eſſe ſcripſit, non probat, dejectiones illas cruda adhuc materia inter morbi initia factas fuiſſe: illas enim ut infauſtas atque inutiles totiens improbavit, præcipue

4. aph:

4. *aph: comm:* 22. Quemadmodum idem *præcedente aphoriſmo* exemplo confirmavit, de longiſſima peſtilentia, cujus *libro meth:* adducto meminit, aperte confeſſus, in ea *quam plurima nigra excrementa ſe vidiſſe: quæ non magis in iis, qui pernicioſe, quam qui ſalutariter ægrotarent, non tamen morborum initio vel incremento, conſpicerentur. Tunc enim vacuata, tum flava tum fulva colore fuiſſe colliqueſacta excrementa.* Et paulo poſt de nigris excrementis ait. *Morborum initio nunquam in bonum apparere ſolent talia excrementa, utpote gravem afflictationem viſceris indicantia: vigorem vero ſæpe ſequuntur, natura tum ſupervacua expurgante.* Præterea ipſa illa peſtilentia quæ *Galeni* tempore diu ſævit, plurimum à propoſito noſtro caſu differt: in quo, quid fieri debeat, ſi aeris vitio aut contagio purpura oborta, conſideratur: at quæ *Galeni* ætate peſtis malignæque febres graſſatæ, cauſſam non tam aeris corrupta μιάσματα habuere, quàm diætam φαύλην ϗ φλαῦρον: dum meliorum ciborum inopia cibos pravos aut corruptos famelici comedere coacti fuerunt, ut teſtatur *lib. de bon: & mal: ſucc: cap.* 1. in qua conſtitutione congeſta in meſaræi venis ac circumiacentibus partibus humorum pravorum ex mala victus ratione colluvie, copioſa alvi excrementa excerni, morbo ejusque cauſſæ conſentaneum videbatur. Qua de re etiam idem *Galenus l.* 1. *de diff: febr: cap:* 6. in peſtilenti conſtitutione ad removendum fomitem peſtilenti veneno corpora excrementis plena purgationibus exonerat.

Arabum, *Avicennæ* & *Avanzoaris*, authoritas facile cedit his ſummis medicinæ Dictatoribus & Duumviris, apud quos principiis peſtilentium & malignarum febrium purgationes nuſquam commendari reperies. Sed & illi, quoniam ex falſo principio putredinem unicam cauſſam peſtis peſtilentiumque febrium agnoverunt, huic tollendæ purgationem & phlebotomen commendarunt, febris peſtilentis malignæ qualitatis non admodum ſolliciti. Quamvis *Rhaſes tract.* 10. *cap.* 16. in febribus quæ ex peſtilentia accidunt, purgationis ne quidem meminerit. Cæterorum medicorum authoritatibus facile ſufficient clariſſimi authores, qui principio, aut augumento morbi inſtitutas purgationes, nullis purpuræ ex morboſo apparatu genitæ ſignis præſentibus, tanquam maxime noxias damnaverunt.

Avicenna
Avanzoar

Digitized by Google

Mihi, purpura incipiente, cathartica educendis purpuræ μιάσματι exhibere, nunquam ex re ægrotantium viſum fuit: quæ victa jam penitus malignitate, manifeſtis πεπασμοῦ notis, ſymptomatisq; maximam partem remittentibus, purgantium ſimul ita refractâ malitiâ, ne vires languidas ulterius peſſum dare, neu ultra ſecundam corporis regionem tranſcendere, venenum intro revocare, humorumque agitationem ac funeſtam humorum ὑπερκάθαρσιν efficere poſſint, certo delectu tum primùm admittere ſoleo. Qualia ſunt, quæ benedicta pharmaca à medicis appellantur, quæ pro peccantis humoris diverſitate, corporisque affecti conſtitutione varia parari poſſunt. Quod ſi in primis viis, emergente primùm morbo, vitioſorum ſuccorum ſaburra hæreat, quam etiam mala victus ratio præceſſerit; ne iſti humores focum malignitati ſubſternant, febremque augeant, neu alexipharmacorum leptomeriâ trajectis in interiores venas craſſis humoribus obſtructiones generentur; & ut, remotâ hac camarinâ, alexipharmaca in abditas partes integris viribus penetrent, lenientia, quorum ſuperius mentionem feci, aut leniora purgantia in uſum tum vocari poſſunt, quæ ex illis ductibus ſtagnantem humorum ſentinam leniſſime educant.

Pariter ſi purpura non aeris aut contagij, ſed diætæ, vitio, ut in magna annonæ difficultate, graſſetur, & putredo magis veneno afficiat, quod ex febris magnitudine & hinc natis ſymptomatis cognoſcere licet, humoresque putridi ὀργασμῷ effervеſcentes in hanc aut illam partem detonare velle videantur, tuto illi leniori purgatione ante uſum alexipharmacorum excludi poterunt. Idem enim periculi metus & gravior tum à febre, quam à malignitate ægroto impendere ſolet: nullúmque damni diſcrimen eſt, ſi vel veneni malignitate, vel putredinis gravitate, febrisque inde ſuccenſæ magnitudine, æger ſuccumbat. Cæterum leniſſimis pharmacis ſubtrahenda morbi minera, ne corrupti atque acres humores, qui alias naturam ad excretionem ſtimulant, & prono impete ad alvum ſæpe ruunt, funeſtam ὑπερκάθαρσιν, viribus in tantâ cacochymiâ ſemper debilibus, efficiant. Quod præceptum alias medico ſedulò attendendum, ex *Hippocrate, lib. 2. aph. 36.* ne corpore cacochymico, viribus etiam morbo debilibus, purgantia validiora exhibeat: humores enim

nim corrupti cathartico commoti, naturam ſtimulantes, data porta confertim ad alvum ruunt, ſimulque illud reſtibile ſpirituum ac caloris nativi penitus exhauriunt: ut vel propera mors ægrum abripiat, vel contracta debilitas longo poſt tempore maneat; immoderatæ vero evacuationis noxa medico deferatur, nulla *Periclis* ſuada obliteranda.

Quod ſi materia corrupta circum viſcera aut in penitioribus venis hæreat, nec in ea ὀργασμοῦ ſigna ſint manifeſta (quod in purpura domeſtica, nullis aeris corrupti, difficultatis annonæ, negligenter inſtitutæ diætæ, cauſſis præſentibus, ſola humorum prava corruptione intus genita crebro accidit) ne, cum materia corrupta cruda ſit, nec trahenti pharmaco ceſſura, quæ feſtinatam ante tempus purgationem incommoda conſequi ſolent, ægrum afficiant (quum materia venenata cum pharmaco nullam analogiam habeat, quam etiam à corde nobilioribusque viſceribus procul amandari, non vero purgantibus intro trahi deceat, & virium perpetua debilitas, metusque funeſtæ ὑπερκαθάρσεως purgationem interpellare poſſint) præparandæ prius materiæ operabimur: hinc ſuo modo coctam atque alteratam materiam benigno aliquo pharmaco excludemus: quod poſt 14. aut 17. diem febre manifeſto jam remittente, ſi natura nihil conata fuerit, primum exequemur, (niſi grave aliquod ſymptomata purgationem antevertere poſtulet,) alvumque, ſi pigrior interea reſtagnet, leniente pharmaco, aut clyſteribus blandioribus ſolvemus.

In febribus vero intermittentibus malignis, quales frequentiſſimas, ſed tertianas poſteriore hujus luis anno obſervavi, felicius data fuere purgantia: quod materia peccans extra venas in meſaræo ac viciniſ locis corrupta putreſceret: quæ etiam in illis ſponte ad alvum ſæpe ferebatur. Præmiſsâ itaque humorum paraſceve, quæ eos ad excluſionem diſponeret, leni ſemper utebar pharmaco, curioſè vitatis fortioribus: quod ea totiens male ceſſiſſe viderim, eductâ quidem magna humorum copia, ſed intus reſtagnante malignitate, quæ purgantibus tolli non poterat: unde commotâ materiâ, latiusque diſperſâ, viribus fortiori purgatione debilitatis (quæ in illis præte-

Digitized by Google

morem aliarum ejus generis ſimplicium febrium ſatis imbecillæ fuere) febris ferocius aſſultare poſtea viſa fuit.

Prima vero, ſecunda, tertia aut quarta die exequenda in purpura purgatio viribus adhuc firmis & ut plurimum inconcuſſis: procedente morbo, aucta jam febre, periculoſæ purgationes, ne humorum agitationem efficiant, cæteraque relata intempeſtivæ purgationis incommoda conſequantur: qua re tum temporis, ſi res exigat, blandis clyſteribus alvum officij immemorem excitabimus, & alexipharmacis aliisque medicamentis, quæ venenatam qualitatem alterent, humores præparent & concoquant, utemur: quo victa materiæ maligna putredine, declinante morbo, criſes cum ſalute ægrotorum decernantur. Quod ſi natura illo tempore iſti negotio par ſit, & conſueta lege perfecte id exequatur, ei ſoli res committenda: at ſi præparatis humoribus natura, quod adeſt materiæ morbificæ, ceſſet expellere, aut imperfecte id agat, ac per alvum vacuare factu neceſſarium videatur, ne, quæ ex incendio relicta, recidivam pariant, medicus aut juvare inceptam purgationem, aut laſſæ atque ignavæ naturæ ſuppetias ferre, eamque blando cathartico exonerare debet: præſenti tamen ob oculos metu calamitoſæ hypercatharſeos, (quæ facile, & præter opinionem medici, ſæpe ex lenioribus medicamentis heic accidere conſuevit,) collapſarum virium, ac reſtibilis venenatæ qualitatis: qua præſente fortiora nunquam convenient. Hæc enim etſi in ſpeciem penitus evanuiſſe aliquando videatur, ægroto cottidie magis magisque convaleſcente: ſæpe tamen adhuc in in inſidiis occulta latet, ac denuo fermentata, quaſi novis aucta viribus, novos ſpiritus ſumit, atque inſperato ſæpe repetit prioris mali recidiva, aliusve ſimilis morbus ſuccedit: ut ægroti, defecti jam viribus, tot ſymptomatis eluctati, ſed novis oppreſſi, naturæ debitum tandem perſolvant.

Remediorum vero purgantium ſingularis habeatur ratio ex quibus præ ceteris eligantur, quæ præterquā quod modice purgent, malignitati ſimul reſiſtere poſſint. Ex quorum cenſu ſunt *Rhabarbarum & Agaricus*, præcipue in his febribus commendatus. *Fol: Senæ, Rad: Mechoacannæ albæ, gialappæ* &c. quibus quid *Mannæ Calabrinæ, ſyrupi roſati ſolutivi, mell: roſ: ſolutivi, cremoris tartari* remiſceri poterit.

Ex

Digitized by Google

Ex compoſitis ſunt *Electuarium lenitivum, Diacatholicon, Triphera Perſica, Depruniꝗ lenit: Turpethum, ſcammonium, colocynthidem, antimonium, eſulam* & id genus alia fortiora purgantia tam ſimplicia, quam compoſita heic rejicio, niſi forte in robuſtis, & qui difficulter purgantur, ſtimuli vice quid remiſcere ex his volueris. Sed probe advertendum, ut bene correcta ſint, nec modum excedant; cum lenientia & benedicta pharmaca medicis appellata majori quantitate exhibita copioſiſſimas dejectiones ſæpe efficiant. Superiora vero medicamenta pro excedentis humoris qualitate ac patientis corporis conſtitutione variè remiſceri poterunt: quibus talia committuntur, quæ & cathartici malignitatem emendare & purpuræ venenatam qualitatem ſimul alterare queant: ut *corcices & ſemina citri, aurant: zedoaria, macu, cinamomum, dictamnus creticus, ſcordium, flores citri, aurantiorum, flores 3. cordiales, calendulæ, card: benedicti* &c. *Avenzoar* etiam hac in re ἀναλογισμὸν cum corrupta materia obſervare videtur, quemadmodum ad theriacam talia aſſumuntur, quæ genere quodammodo ſimilia ſint venenis. Hinc *in ſuo Theiſir lib. 3. tract: 3. cap. 1.* medicamentum celebrat ex *ſtercore columbino, aloe ſuccotrina, agarico, polypodio recenti, rad: lilij cœleſtis, ſale, helleboro nigro & colocynthide butyro* exceptis. Cujus rei cauſſam eodem *libro cap. 4.* reddidit. *Et non credas*, inquit, *quod ſtercus columbinum fuit poſitum à caſu & fortuna in prædicto medicamine; ſed fuit ibi poſitum cum prædictione & præviſione magna: eò quod prædictum ſtercus habet purgare & expellere putredinem & corruptionem aeris & aquæ prænominatæ fœtidæ & corruptæ. Et in quantum eſt ſtercus, aſſimilatur illi putredini, & pro tanto poteſt illam putredinem magis trahere expellere & purgare.* Sic *Avicenna l. 4. f. 6. tr. 1. c. 4.* ſi quis ſtercus galli in potu ſumat, eum ſtatim vomitu reddere venenum, ex quorundam ſententia refert. Stercus gallinæ nigræ in Mediolanenſi peſte in frequenti uſu fuiſſe memorat *Portus lib. 2. cap. 44. & lib. 3. cap. 11. Oleum* quoque *ſcorpionum* pauca quantitate exhibetur ad exhauriendum vomitu venenum, ut notat *Paræus lib. de peſte cap. 25.*

Pauca purgantium exempla in gratiam medicinæ canditatorum heic ſubjungam: quæ, ubi commodum erit, ad proprios uſus quivis transferre poterit. In bilioſis.

Digitized by Google

℞. *Rhabarb: electiſ:* ℨj ß.
Spic: ſchœnanth:
macis an: g. iv.
Sem: citri, card: ben: an: ℈ ß.
Flor: calend: p. j.
violar: p. ß.
Aq: acetoſ: card: ben: an: q. ſ.
Sp: Vitrioli rectiſ: g. iv.

Miſceantur l. a præparata; hinc, facta per noctem digeſtione in vaſe vitreo optime clauſo, ſequenti mane in eodem vaſe leniter ebulliant, & expreſſa per colum trajiciantur.

℞. *Colat: expr:* ℥ij ß.
Elect: roſ: Meſ: ℨj. *aut* ℨ ß.
Syr: roſ: ſol: ℥ ß.
Aq: cinam: diabor: ℨ ß. *aut* ℨj. miſc. f. hauſtus.

Vel ℞. *Decoct. prun: de prunell: cum*
aqua acetoſæ parati q. ſ.
Rob ribium purg: ℨ iij.
Mann: Calabrin: puriß: ℨvi.
Aq: therical: ℈ij. miſc:

Vel ℞. *Decocti tamarindorum* ℥ ij.
Caſſiæ cum decocto alexiterio
noviter extractæ ℥ ß.
Rob ribium purg: ℨij.
Syr: fl: Perſic: ſolut: ℨvi.
Elæoſacchi citri g. vi. miſc. f. potio. In qua nimius *caſſiæ* mador & lubricitas à *tamarindorum* ſtypticâ vi corrigitur, cum alias uſus ejus in his morbis *P. Salio Diverſo*, *Joanne Thomâ Minadoo* aliiſque ſuſpectus ſit. Sic & *tamarindorum* ſtyptica ſubſtantia *caſſiæ* lævore tollitur.

Ubi pituita reliquorum humorum copiam excedit, *Agaricus* venenis ſpecificè adverſus, & ob id acceptus in theriacam, ſingulariter prodeſt; qui in febre Ungarica præ cæteris uſurpatur. Sequens pro exemplo ejus rei erit.

Aga-

R. *Agarici recent: troch:* ℥ij.
Sem: citri, napi,
fœnic: an: ℈ß:
zedoar: macis,
galang: an: g. vi.
Aq: beton: card: ben: an: q. ſ.

Miſc: l. a. & digerantur per noctem, poſtero mane vaſe operto paululum ebulliant.

R. *Col: fortiter expr:* ℥ij.
Mel: roſ: ſol: ℨvi.
Crem: tarttari ℨß.
Elix: aurant: ℈jß. miſc:pro hauſtu.

Mercurius dulcis, ter aut etiam ſæpius ſublimatus, remota ſemper parte heterogenea, venenata, dum plane cryſtallinus fiat, heic pariter uſurpari poteſt: cujus uſus & in aliis morbis mihi ſatis familiaris eſt, modo viſcera illæſa ſint, ut in ipſis infantibus magno ſucceſſu iſto ſæpius uſus fuerim, nullo ſalivationis metu, quæ facta per ſublimationem aliquoties repetitam depuratione penitus evaneſcit; præſertim ſi alia cathartica ſtimuli loco addantur, quæ eum diutius in corpore ſubſiſtere non permittunt. Adultis cum *pilulis aloephanginis*, aut *extracto aloes, & extracti galappæ* aut *reſinæ ejuſdem* paucis granis exhibeo, *guttula macis* inſtillata, aut *citri*. Vel *conſerva florum citri, tunicæ coron: aurant*: eundem excipio, adjectis paucis granis *diagrydij*, aut *reſ: ſcammonij cum ſulphure* ſuffumigatæ, atq; *elæoſacchari citri, fœniculi* vel *macis* totidem granis. Ita blandis ſeceſſibus alvum ſolvit, nec vires labefactat. Exempli loco ſit, quod

R. *Mercurij dulcis ter ſublimati g. viij.*
Pulv: mechoac: alb: ℈j.
Diagryd: cum ſulphure re præparati g. iij.
Elæoſacch: citri macis an: g. ij. miſc: f. ps. qui *conſerv: flor: citri, aurant: violarum, roſarum* probe incluſus accipiatur.

Melancholico humori expurgando proficua uſus notavit *ſenæ folia, epithymum, radices polypod: quern: gialappæ & hellebori nigri*, ita tamen refracta *hellebori* malignitate, ut tenellulis naturis etiam dari

 poſſit,

poſſit. Qui fæculento iſti humori evacuando, paradigma volet, ſequenti utatur.

R. *Fol: Sen: Alex: ſ. ſtip: ℥ j ß.*
Epithymi ℥ ij.
Fumar: meliſſ: an: p. j.
Flor: 3. cord: an: p. ß.
Cort: citri exter: zedoar: an: ℥. ß.
Acidi tartari ℈ j.
Sem: fœnic: ℈ j ß.
Aq: meliſſ: fumar: an: q. ſ.

Præparentur ex lege artis, hinc miſceantur: poſtea facta digeſtione per noctem ſequenti mane leniſſimè effervescant in vaſe vitreo, ſemper bene clauſo.

R. *Col: expr: ℥ ij.*
Syr: violar: ſolut:
de pom: comp: an: ℥ ß.
Aq: carbunc:
theriac: And: an. ℥ ß. miſc: f. potio.

Vel R. *Crem: tartari ℈ ij.*
Reſ: gialapp: g. vi. aut vij.
Elæoſacch: citri, aurant: an: gr: iij.
miſc: f. pulvis.

Quod ſi mixti vitioſi humores in corpore collecti fuerint, talia purgantia conſociari debent, quæ conjunctim eos educant: quæ recenſere hoc loco operæ pretium non æſtimo, cum dudum huic rei ab aliis medicis ſit ſatisfactum. Purgantia ſecunda, imo tertia, vice, ſi uſus exigat, morbo declinante repeti poſſunt, interpoſitis ſemper aliquot diebus, ne vires, jam laſſæ morbo, continuato purgantium uſu penitus conſumantur: interea, diebus intercalaribus, alexipharmaca, aliaque humores præparantia exhiberi debent. Ita victa malignitate, humoribus alteratis &, quantum licet coctis, purgatio, inclinante jam morbo, cum εὐφορίᾳ commodè inſtituetur.

•◆§)(o)(§◆•

CA-

CAPUT XXVI.

De Præparantibus.

QUo igitur expeditior fiat purgatio, pręparari materia morbifica debet alterantibus medicamentis, quæ illi contrarias facultates obtineant. Habet enim & hęc digeſtiones ſuis à medico inſtituendas, non eas quidem, quæ ad benignum reſtituant, ſed eas, quæ evacuationem faciliorem efficiant teſte *Fracaſtorio l. 3. de contag: morb: cur: cap. 5.* Quod igitur veneni reſtat bezoarticis expugnandum: putridi humores ſuis alterandi remediis, ſublatis ſimul cauſſis, quæ putredinem efficere aut fovere poſſint: quibus tandem ſi calor febrilis ſua ſponte non remittat, continuato refrigerantium uſu is reſtinguatur.

Bezoartica a. talia ſint, quæ reſtibilem venenatæ qualitatis characterem penitus abolere poſſint: iſte enim ſæpe indebilis longo tempore manet, ægrumque diu affligit, ut nec priſtino virium robori reſtitui, nec ad conſueta munia reparatis viribus reverti poſſit. Quæ maligna qualitas reſtibilis niſi univerſa tollatur, ſæpe graviorem priore malo recidivam invehere, aliosve morbos periculoſos producere, ſolet. Ita memini, quoſdam falſa opinione priſtinę receptæ ſanitatis negligere uſum remediorum, ac nimis cito ſe aeri committere: mox vero relabi in eundem morbum, aliumve paris prope cum priore perniciei. Sic enim Henrici Venteri nautæ uxor, ſibi aliisq; reſtituta viſa, dum uſum alexiteriorum, quæ reliquias mali conſumerent, inconſulto negligit, in tertianam duplicem incidit: ex qua cum prope eluctari ſibi videretur, in eandem febrem relapſa, fractis jam viribus paucis remediis exhibitis, (quod ab earum uſu tandem abhorreret) iisq; nihil conferentib⁹, tertiana duplici maligna vigeſima ſecunda ſeptimana expiravit. Quare ex toto domanda vis veneni alexipharmacis: quod illud lentore ſuo, aut potius penetranti ac ſpiritali ſua ſubſtantia firmiter corpori inhæreat, ut non niſi fre-

ſi frequentiſſimo alexiteriorum uſu aboleri impreſſa malignitas poſſit: quę eò difficilius recedit, ſi prima morbi tempora jam tranſierint, ut hac de re adverſus moram luis tum quærenda ſint validiora præſidia, crebriusque repetenda alexipharmaca: cum alias *natura infirmitatis humanæ tardiora ſint remedia, quàm mala*, ut verè *Corn: Tacitus in vita Agricolæ* dicebat.

Hæc vero alexipharmaca eadem fere ſunt cum iis, quæ ſuperius recenſui, quæ non ſolùm expellendo venenato humori, dum is magna cordis anxietate, dyſpnœa, aliisque id genus ſymptomatis valide adfligit, ſed & relictæ purpuræ malignitati corrigendæ exhibentur: quò cor ſpiritusque ab iſta corruptione penitus liberentur. Sic *Damocrates* & *Galenus* duplicem indicationem adverſus jobolorum venenum propoſuere, evacuationem & alterationem, ut patet ex *Gal: 13. m. m. cap. 6.* & *2. de antidotis cap. 15. prope finem.* Cum enim à ſudore, quo malignitas purpuræ præcipue evocari debebat, ægri plerumque maxime abhorreant, præſertim ſi morbo jam progreſſo crebrius eum provocare medici velint, metu collapſarum virium; nec lecto ſe tegi facile patiantur, ob inexplicabilem cordis anguſtiam, qua ſe levari autumant, ſi nudis corporibus in lecto decumbant, alexipharmaca leniora, aut eadem jam recenſa, minore quantitate, brevioribus intervallis offerantur: quæ venenatam vim quidem corrigant, ac per *διαφόρησιν* ſenſim educant; non tamen corpus tanto ſudore exſolvant. Temperatoria vero eligantur, ob febrem, quæ procedente morbo magis ſe exerit; aut, ſi in calidorum uſu perſiſtere conſilium fuerit, quod pleraque eorum penetrantius corpus pervadant, refrigerantia iis remiſceri, aut toto morbi decurſu talia interponi debent, quæ illatum à diaphoreticis calorem temperent & extinguant. Imò ſi prava qualitas augeatur, vires dejiciantur, corpus refrigeretur, cæteraque auxilia parum prodeſſe conſtet, fortiora illa & principio morbi commendata remedia reciprocare licet: quò ſupremo medicamenti conatu infeſtam cordi malignitatem foras propellamus. Mihi in progreſſu morbi pro extirpanda malignitate ſequentia familiaria fuere.

℞. C. C. *Phil: præpar:* ʒj ß.
Rad: contrayerv: ʒj.

Sp: pulv:

Sp: pulv: Pannoni ℈iv.
Solut: ſmaragd: ℈j.
Lap: Bezoar or: ℈ß.
Ambr: griſ. g. vi.
Sem: citri, card: ben: an: ℈j.
miſc: f. pulvis, cum *aqua acetoſæ, cardui bened: ſcorzon*: aliave convenienti, alternis aut ternis horis quantitate nucis avellanæ porrigendus.

Vel R. C. C. *Phil: præparat:* ʒj ß.
Rad: contrayerv: ſcorzoner: myrrhid: acetoſ: an: ʒj.
Cortic: citri cond: ʒij.
Conſerv: fl: calend: ſcabioſ: acetoſ. acetoſell: an: ʒj ß.
fl: aurant: citri an: ʒj.
Aq: ſcorzoner: acetoſ. calend: card: ben: an: ℥iij.
roſar: ℥ij.
Coq. l. a. in diplomate.
Colat expr: miſc:
Magiſter: citri liquidi ℥j:
Syr: contrayerv: ſeu de toto citro Prevotij ℥j ß.
Conſ: de hyacintho ℈iv.
Sp: ſulphuris per campan: miſc: ſign: *Apozema:* ex quo ſæpius de die corrigendæ malignitati, viribusque refocillandis, hauſtulum capiat. Sequens decoctum vim venenatam corrigit, ſitim extinguit, calorem temperat, præcipui uſus in petechialibus febribus, & aliis, ubi putredini non ſimplicem calorem, ſed & corruptionem aliquam veneni æmulam, ſubeſſe veremur.

R. C. C. *raſurâ comminuti* ℥ß.
Rad: ſcorzoner: cichor: an: ℥j.
contrayerv: acetoſ: an: ʒiij.
Berber: exiccat: Mj.
Herb: Trifolij odorati,
Pimpinell: Ital: Scordij an: Mß.

 Sem:

Digitized by Google

Sem: melon: ℥ *j.*
fœnic: citri, aquileg: an: ʒ *ß.*
Hord: excort: p. j.
Flaved: cort: citri ʒ *ij.*

Conſciſſa & contuſa craſſiuſculè decoquantur l.a. in diplomate, aut vaſe clauſo, in aq: fontis q. ſ. per 3. horas.

R. *Coli ſupr: lib. j ß.*
Syr: contrayervæ,
acetoſ: acetoſell: an: ℥ *j.*
Sp: ſulphuris aut vitrioli q. ſ. adgratiam aciditatē,
Miſc: f. potio, qua ſæpius in die utatur.

Efficax quoque eſt *Aqua contra febres malignas Danielis Sennerti*, quæ

R. *Succi citri acetoſ:*
endiv: galeg:
taraxac: borrag: an: lib. j ß.
card: ben: card: Mar:
ſcord: ſcabioſ:
roſar: Provinc: an: lib. j.
Pomorum citri cum corticibus & ſemin: contuſ: N. VI.
Raſ: C. C. crud: lib. ß.

Stent in infuſione per 24. horas, poſtea deſtillentur. Doſis uncia una aut altera, ſola, aliiſve medicamentis remixta. *Syrupus* quoq; *de toto citro Joh: Prevotij*, Medici & Profeſſoris Patavini incomparabilis, Præceptoris mei amantiſſimi, malignitati confert, & citra calorem obſtructos meatus reſerat.

R. *Mali citrij bene maturi ſucculenti cum acido & ſeminibus radicula, ablatis pelliculis & membranis, triti lib. j.*
Aq: deſtillat: pomor: redolentium,
acetoſæ an: lib. ij.
Rad: ſcorzoner: ℥ *ij.*
contrayerv: ℥ *ß.*
Sem: card: ben: ʒ *iij.*

Scord:

Scord: Cret: M. ß.

Sp: vitrioli rectif: ℨij. miſ. f. l. a. digeſtio per duos dies in vitreo vaſe, bene clauſo: poſtea tacta una vel altera ebullitione colentur cum expreſſione: hinc, adjecta dimidia ſacchari quantitate, coquantur ad tres partes, vel per alembicum deſtillentur. Antequam fiat deſtillatio, fiat prius depuratio per deſpumationem. Tum vero optime depuratis adde *ſacchari* q. ſ. Doſis ℥j cũ aliis aquis & præparantibus medicamentis. Ad hujus exemplar paratur *Syrpu contrayervæ*, qui in officinis proſtat, ac qui paucis mutatis ſeq: modo conficitur.

℞. *Citriorum* N. xij.

Cortices exteriores, ſemina exempta, contuſa, ſuccus acidus expreſſus, commiſceantur, & cucurbitæ vitreæ immittantur, addendo.

Rad. conſciſſarum ſcorzoner:
contrayervæ an. ℥ij.
Sem. contuſ. card. ben.
card. Mar. an. ℥j.
Aq. card. ben. acetoſæ an. lib. iij.
Succi bacc. rub. Idæi lib. iv.
Sp. Vitrioli rectif. ℥ ß.

Digerantur in cineribus calidis dies quatuor, poſtea fortiter exprimantur, & ubi biduum repoſita reſederint, quod clarum eſt, effundatur, cui miſc:

Sacchari puriſſim. lib. iv.

Deſtillentur ſimul in cucurbita vitrea. Aqua citria, quæ deſtillatur, diligenter aſſervetur, malignis febribus & cordi roborando perquam utilis: in fundo ſyrupus hæret iiſdem uſibus accommodatus.

Citri mali vires adverſus venena tot retro ſeculis ab authoribus celebratæ: in quam rem ex *Athenæi lib. 3. Deipnoſoph.* in gratiam amici lectoris ſequentem hiſtoriam huc referre placet. *Sumptum citrium*, inquit, *ante quodvis alimentum ſiccum pariter & humidum omnibus venenis reſiſtere, ego ſatis novi, à meo cive id edoctus, cui Ægypti adminiſtratio fuerat mandata. In maleficio deprehenſos quosdam ille ad ſerpentum morſus damnaverat, quos oportebat omnibus ejusmodi beſtiis lacerari*

randos objici. Productis illis, & ad theatrum euntibus, deſtinatum latro-num ſupplicio, in via forte caupona quædam miſericordia commota, quod in manibus tum habebat & rodebat, malum citrium dedit: acceptum illi comederunt, & paulo poſt, ingentibus & ferociſſimis anguibus oblati, com-morſiq; ab aſpidibus nihil læſi ſunt, hæſitabundo & attonito judice: qui tandem cum illorum cuſtodem militem interrogaſſet, num quid bibiſſent: ut id comperit, quod acciderat, nimirum absq; dolo illis citrium traditum fuiſſe, poſtridie alteri rurſus dare juſſit, alteri minime: percuſſus hic con-feſtim periit, illæſo altero, qui citrium comederat: indeq; multis experimen-tis cognitum eſt, citrium adverſari venenis omnibus. Quod ſi quis citrium integrum, & quale natura eſt, cum ſemine in Attico melle coquat, donec liquatum contabeſcat, & ejus liquoris matutinò tres quatuorve digitos ſu-mat, tutus erit à venenatis medicamentis omnibus. Cui hiſtoriæ *Vergilij 2. Georgicorum* recitatos verſus apponam, quibus ille *poſt Theophraſtum lib. 4. hiſt. plantar: cap. 4. citri* arborem, malorumq; ejuſdem vires, graphicè deſcripſit.

Media fert triſtes ſuccos, tardumq; ſaporem
Felicis mali, quo non præſentius ullum,
Pocula ſi quando ſævæ infecere novercæ,
Miſcueruntq; herbas & non innoxia verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipſa ingens arbos, faciemq; ſimillima Lauro:
Et, ſi non alium latè jactaret odorem
Laurus erat: folia haud ullis labentia ventis:
Flos apprime tenax: animas & olentia Medi
Ora fovent illo, & ſenibus medicantur anhelis.

Ex citro nobiliſſima parantur medicamenta, quæ in officinis phar-maceuticis venum dantur: ut *ſyrupus* & *ſuccus acidi citri*; *acredo citri condita*: *cortices citri conditi & ſiccati*: *ſyrupus eorundem*: *Aq: corticum citri*, *Aqua ex toto citro vitreis organis deſtillata*. *Spiritus cort: citri*: *Fl: ci-tri ſicci*, item *ſaccharo conditi*. *Conſerva* etiam *totius citri*: dum po-mum integrum demptis pelliculis interioribus radicula comminui-tur, & adjecta ſacchari ſufficiente quantitate conſervatur ad uſus. *Elæoſaccharum citri*, ſeu *Eſſentia citri*, vulgò appellata, fit ex *ſacchari albi* ℥j. & *olei citri recentis* ℈j. ita *ſaccharum bibit* vires *olei* & medicamen-

tis

tis liquidis ipſo *oleo* commodius miſcetur. Quin & idem elæoſaccharum gratiſſimum odorem & ſaporem vino communicat, ſi ejus portiuncula vini cyatho remiſceatur. Eodem modo *Eſſentiæ* ſeu *Elæoſacchara* ex aliis *oleis ſtillatitiis* & *ſacchara* parantur, à *Quercetano* in *Pharmacopœa dogmatica reſtituta cap. 26. p. m. 868.* obſcuris verbis adumbrata. De *Elæoſaccharo* vero *citri* illud lectorem meum advertere velim, cum *oleum* vulgare ex deſtillatione ἐμπύρευμα facile contrahat, ac longa die tandem ranceſcat, commode id ex *corticib⁹ citri* recentibus parari poſſe, ſi exterior horum cortex contuſus, prælo ſubjectus, valide exprimatur: expreſſus n. liquor oleum ſupernatans habebit, quod conſueto pharmacopœis more à ſubjecta aquea materia ſeparari, ac ſacchari convenienti quantitati remiſceri debet: hoc ſuaviſſimum citri odorem atque ſaporem vino injectum communicat. Alia eſt *Eſſentia totius citri Camilli, Chymici Patavini*, communicata mihi à *Johanne Prevotio, Profeſſore Patavino* clariſſimo, cujus divini ingenij pleraque monumenta intercidere dolebunt omnes boni & docti: pauca enim hactenus lucem videre: cætera injuriâ Reipublicæ litterariæ ſuppreſſa jacent: niſi quis Virum ſummum, morte præventum, ſupremam manum operibus ſuis non dum addidiſſe, pro ejus rei excuſatione afferre velit. Dicta vero eſſentia totius citri, ſeu magiſterium citri liquidum hoc modo paratur. *Flavedo corticum citri* tenuiter ablata in umbra leviter exiccetur: hinc totum *citrium* minutiſſimè contundatur, & una cum *ſeminibus* prælo ſubjectum fortiſſime exprimatur. Poſt quæ materia aliquoties colata prædictæ *citri flavedini* affunditur, & cum ea digeritur, donec omnis flavedo extrahatur: hinc liquor deſtillatur, & quæ primùm extillat ſpirituoſior ſubſtantia, ſeorſim ſervatur. Ubi tandem reliquus liquor continuata deſtillatione ad mellis conſiſtentiam redactus fuerit, admiſcetur poſtliminiò ſpirituoſus, qui primùm prodiit, liquor: tandem ſal calcinatione ex magmate, ab expreſſione relicto, cum conveniente menſtruo eliquatus, prædictæ maſſæ præmiſcetur, atq; ita prodit magiſtariū citri ὀξυγλυκύπικρον, nec guſtui ingratum. Doſis à ℥iij. ad ℥j. In peſte, febribus malignis aliiſque putredis laudatum remedium; quod non ſolum malignitatem arcet, putredinem domat; ſed & collapſas vires inſtaurat, & virtute ſua diuretica materiam

Digitized by Google

noxiam potenter per urinas educit: quæ evacuatio in febribus commodiſſima & frequentiſſima, teſte *Averroe Collect*: *ſ. 3. cap. 6.* Præcipue vero *limonum eſſentia* ad urinarios meatus abit, nulli prope ea in re ceſſura: utraq; etiam verminoſis aliisque apprimè prodeſt. Eodem modo *Eſſentia aurantiorum* itemque *cydoniorum paratur*.

Dum his aliisque id genus remediis æger utitur, leviſſima culcitrâ, aut, ſi tantillum oneris ſuſtinere non valeat, lodiculâ aut duplicato linteolo eum tegi jubeo, ne laſſa veneno membra & cor anxietati injecti grandioris lecti mole nimiū graventur. Ita tepori lecti & frequenti alexiteriorum uſu corpus perenni, ſed levi, madore humeſcet, venenumque *ἀεροειδὲς* reſeratis poris evocabitur. Quamvis n. ſudor per ſe heic non indicetur; quia tamen alexipharmaca, dum malignitatem morbi oppugnant, ſua ſponte ad habitum corporis feruntur, materiam venenatam purpuræ partim per ſudorem, partim per inſenſilé tranſpirationem ſimul illo propellunt, & evacuantis, juvandus. Ut, qui ſatis tempori hanc medendi viam ſequi velit, ægrotos raro gravioribus & conſuetis in hoc morbo ſymptomatis aut certe non comparandis cum aliis, qui hanc curandi viam negligunt, moleſtari advertat. Illa enim inexplicabilis cordis anxietas, heic frequentiſſima, quæ nec levioris linteoli tegumentum ſuſtinet, manifeſto remittit, aut certe multo levius afficit, nec calor adeo ſævus eſt, aut interiora urit; ſed tangenti longe mitior apparet: qui, dum ex ſubjectis æſtuantibus viſceribus ſurſum ſpontanea inclinatione ad caput effertur, doloremque ejus intolerabilem, vigilias, deliria, fauces atra fuligine ambuſtas, excitare ſolet, ſi hac medendi methodo inſtituta per ſpiracula cutis continuo exhalet, dicta ſymptomata neutiquam efficit: imo cum veſtigia præteriti morbi per plures ſeptimanas interdum & menſes indeleta perſtent, ut ægri tam facile, quod in aliis morbis fieri ſolet, heic reconvaleſcere, priſtinumque robur recipſerare, longo poſt tempore vix poſſint, indefeſſo uſu alexiteriorum, & blando tepore lecti, illa propere abolentur, & hi multo citius priſtinæ ſanitati reſtituuntur; nec ab exacta purpura, quod alias huic malo frequens admodum eſt, in alios tandem morbos, aut eundem, prima, ſecunda, tertiave, recidiva, aut per quàm rariſſimè, delabuntur. Hac methodo utor in his curandis morbis, & ſatis feliciter; modo ægros præceptis obedientes habeam, & ſatis tempori, admi-

adminiſtrentur remedia, ubi morbus non dum inveteravit, nec cordis ſubſtantia deleteria qualitate veneni jam alterata & corrupta Hanc Parens meus D. *Michael* Neufrantz/ quinquaginta fere annos *Roſtochij* medicus, Vir fide atque pietate nota, ſeraque ſenectute venerandus, magnô, multóq; experientiæ documento inſtituit, infinitis reſtitutis, illo ipſo tempore, cum purpura *Roſtochium* graviter convelleret. Hæc etiam curandi ratio *Aetij*, *Avicennæ*, aliorumque præceptis maximè reſpondet, qui omni conatu malignum calorem ad exteriora traducere laborant. Sed hoc opus, hoc labor eſt, ut conſuadere ægrotis poſſis, quo hanc curandi rationem obſervent: quidvis enim illi potius facturi; quàm ut incomparabili propriæ ſalutis emolumento leve culcitræ operimentum pati, ac ſuavi calore humeſcere velint. In quam rem eorum exemplis opus habui, qui hac curandi via uſi, morbo ſuperſtites fuere: quæ plus ſæpe valuere, quam optimæ rationes.

Illud tamen perpetuum medicus attendat velim, ne vires concidant, ægerque nimio madore diſſolvatur: quo in caſu tegumenta, quantum licet, removenda, aer liberior admittendus, viresque languidæ analepticis crebris intervallis refocillandæ.

Poſt hæc putredini, quæ malignitati conjuncta, intentos nos eſſe decet, quo, quod non dum penitus conceſſit in putredinem, naturæ priſtinæ integritati reſtitui poſſit; reliquum vero naturæ & medicamentorum beneficiò præparatum pharmaco trahenti & naturæ expellenti facilius cedat. Præparanda vero materia iis medicamentis, quæ contrarias obtinent facultates iis qualitatibus, quæ in morbifica materia reperiuntur. Conjunctus itaq; calor alterandus refrigerantibus & humorum acrimoniam temperantibus: partium, humorum ac ſpirituum, diſſolutio, corruptione à maligno humore & calore putrido introducta, inhibenda ſiccantibus: & cum putredinis non raro cauſſa ſit impedita tranſpiratio, eaque ab *ἀδιαπνευσίᾳ* foveatur, docente *Galeno 11. m. m. cap. 10.* quam obſtructi meatus producere aut certe fovere ſolent, talia eligenda, quæ obſtructos meatus expediant, copiam vacuent, ac craſſos humores attenuent, lentos incidant, viſcidos abſtergant, varianda, pro humoris vitioſi conditione. Namque hic morbus quanquam indifferenter omnibus conſtitu-

ſtitutionibus temperamentorum accidere poſſit; plerumque tamen in ſingulis individuis ad peculiarem humorem analogiam habet, cujus etiam indolem aliquo modo in ſymptomatis exprimit, ac pro cujuſcunque humoris naturâ conſuetis temporibus plerumque movetur. Ex his vero talia eligantur, quæ ſimul vim alexiteriam habent; aut illis talia conſocientur, quæ deleteriam veneni qualitatem virtute alexipharmacâ domare poſſint.

In calidorum humorum præſentia conferent *acetoſa cum radicibus, acetoſella, cichorium, taraxacum, ſcorzonera, endivia, ſcariola, pimpinella ſanguiſorba, carduus benedictus, hepatica nobilis, flores violarum, centaurium minus, ſuccus limonum, citri, berberum, ribium, ceraſorum, agreſtæ, granatorum*, quæ duo poſteriora parcius aliiſque emendata offerantur. *Semina 4. frigida majora & minora* C. C. Ex quibus decocta parari, aut eorum loco aquæ herbarum deſtillatæ cum *ſyrupis acetoſellæ, acetoſæ, acet: citri, ribium, cichor: fragorum. endiviæ* aliiſve dulcoratæ exhiberi poterunt: quibus *Spir: vitrioli, ſulphuris* aut *ſalis* q. ſ. ad gratam aciditatem, & quo penetrantius interiora viſcerum pervadant, remiſcetur.

Si pituitoſus ſuccus lenteſcat, accipe *radices 5. aperientes, myrrhidis odoratæ, dictamni albi, pimpinellæ, helenij, angelicæ: Herbas cardui benedicti, ſcordij, centaur: min: dictamni Cretici, veronicæ, ſcabioſæ, pimpinellæ: noſtrat:* Cortices & ſemina *citri*, *Semina card: bened. napi, fœniculi, baccas juniperi, Spiritum tartari*, qui fœdæ putredini reſiſtit. *Oxymel ſimplex & ſcilliticum*: quorum plerorumq; calor ne officiat, *cichoracea*, aliaque, quæ bilioſis prodeſſe retuli, his commode junguntur.

Quæ melancholicum humorem præparent, & ad futuram κάθαρσιν diſponant, ſunt *Radices polypody querni filic: ſcorzoneræ, cort: radic: capparum, tamariſci borrago, bugloſſum, viola, fumaria, ſcolopendrium, meliſſa: ſem: citri, ocymi, fœniculi: flores 3. cardiales, citri, tunicæ coronariæ, geniſtæ, epithymum*, C.C. *Lapis Bezoar: ſuccus pomorum redolentium*: quibus talia committi debent, quæ quorundam calorem temperare poſſint, febrili calori eo magis profutura.

Ea & conſimilia pro excedentis humoris qualitate varia lege remiſceri, & eorum uſus per aliquot dies alternis ſemper alexipharmacis

macis, continuari poterit: ita victa malignitate, humoribus hac ratione coctis, purgatio inclinante jam malo commodiſſimè inſtituetur, ſi natura excretionem non moliatur. Quæ ſi expellendo humori allaboret, ei ſoli res omnis committi debet, ſi ſecundum communia vota ægroti ac medici agat: quod ſi imbecillior facta, minore quantitate vacuet, medicus ſuccumbenti naturæ ſuppetias ferre, eamq; levioribus catharticis exonerare debet, quo, quicquid adeſt noxiæ materiæ, deponat. Qua vero lege exhibenda, ſuperius à me relatum fuit, ut ea heic repetere ſupervacuum fore exiſtimem.

Quod ſi natura aliam expurgandę materiæ viam affectet, & per urinarios ductus materiam expellere conetur, juvanda erit convenientibus remediis: cum teſte *Averroe collect: l. 3. cap. 16.* quæ fit per meatus urinas evacuatio ſit in febribus commodiſſima & communiſſima utilitas; quod per proximam viam materia effluat, quæ in venis majoribus corrupta ac putreſcens reſtagnat. Quæ cauſſa eſt quod urinæ harum venarum conſtitutionem præcipue referant: cum per iſtos ductus transfluat ſeroſa materia, quæ in tranſitu bibit contentorum humorum qualitatem. Ea itaque remedia tum invenere ſuum locum, quæ promptè ad vaſa urinalia abeunt, & materiam corruptam coctione à natura ſequeſtratam ſecum abducere poſſunt. In quam rem laudatur *emulſiones ſeminum quatuor frigidorum majorum, violarum* (quibus *ſemina citri, cardui benedicti,* ob malignitatem jungi poterunt) cum *aqua acetoſæ, fragor: ſimplicis, veronicæ, ſero lactis deſtillato* paratæ. *Magiſterium citri liquidum ſeu Eſſentia citri* inprimis vero *limonum* efficax, ut dixi, diureticum eſt, malignitatem ſimul oppugnat, cor roborat, ſpirituumque & partium diſſolutionem prohibet. Decoctum C. C. præterquam quod per ſudorem materiam malignam evacuat, pariter diureticum eſt, cui *ſyrupus acetoſ: citri, acetoſæ, acetoſellæ, Byzantinus*, aut *de 5. radicibus* remiſceri ſolet. *Spiritus* quoq; *tartari* rectificatus, cum liquore convenienti exhibitus, remorantem materiam per urinas pellit, Item *Spiritus vitrioli* & *ſalis* pro tempore & re huc transferendi. In diureticorum vero uſu illud memoria tenendum, ne dum expellendæ per urinas materiæ intenti ſumus, malignitatem ejusdem negligamus, neu calidorum diureticorum uſu febris incendium augeamus: quocirca alexipharmaca

 maca

Digitized by Google

maca illis adjungantur, & diuretica aut temperata ſint, aut frigidorum mixtione nimius eorum calor temperetur.

At ſi natura ad ſudores prona videatur, nec conſueta lege ac voto medentis ſudores prorumpant, cum illud auxilij genus maxime accomodatum his febribus ſuperius demonſtraverim, ſudor certis exhibitis remediis proliciendus, quorum ſylvam acciduam ſuo loco adduxi, ex quo propriis uſibus, qui volet, ea huc traducet. Externis etiam auxiliis tum juvandus hic naturæ conatus: quæ qualia ſint, ac qua methodo adhibenda, ex ſuperioribus ſatis jam conſtare arbitror.

Partium quoque & humorum diſſolutio, quæ à maligno putrefaciente calore imminet, impedienda ſiccantibus, quibus, dum præparantibus utimur, ſimul locus dari debet: quamvis pleraque horum illud ſimul præſtent. Laudantur præcipue acida, ut *ſyrupus e ſucco acetoſæ, acetoſellæ, berberum, ribium, granatorum*, C. C. quoquo modo præparatum, ac uſurpatum, *terra ſigillata, bolus Armena, lutea præſertim, coralla, margaritæ, ſmaragdus, Lap. Bezoar orientalis, rad: tormentillæ*. Quæ pleraque Arabes in peſtilentibus febribus uſurpaſſe credo, ut imminentem illam à maligna putredine diſſolutionem ac corruptionem partium impedirent. Prodeſt & *ſpiritus vitrioli*, qui à *Daniele Sennerto lib. 4. de febr. cap. 11.* in malignis febribus commendatur, quod inſignem vim putredinem ſiſtendi, obſtructiones aperiendi, incidendi, attenuandi, abſtergendi, corrupta ſeparandi, reliquorum medicamentorum actiones intendendi, obtineat; modo nulla excuſatio adferri poſſit pulmonum exulceratorum, hæmoptyſis, dyſenteriæ, aliorumque affectuum à Sennerto aliisq; medicis allegatorum. Putredinem quoque arcebunt *Spiritus vitrioli* item *Sulphuris per campanam*, ut & *Miſtura ſimplex Joh: Guinterij Andernaci*, quæ in putridis itemque malignis febribus ℨj, ℨjſ. aut ℨij. pondere cum convenienti liquore exhibetur, quo calor aquæ theriacalis, præcipue in bilioſis, ſimul corrigatur. In illis tamen, qui caput obnoxium doloribus habent, aut qui jam afficiuntur, parcior ejus uſus eſſe debet, ob camphoræ, myrrhæ, croci, καρηβαρίαν.

CAPUT

CAPUT XXVII.

De Purpurati caloris remediis.

PRæmiſſa præparatione humorum, eorumque peracta purgatione calorem ſua ſponte remiſſurum ſpes eſt: quod, dum obſtructi meatus reſerantur, humores eventationem liberiorem accipiant, & expirante calore præternaturali fervor humorem remittat: cum etiam præparantium pleraque refrigerantia ſint, quæ humorum incendium ſimul temperare ſolent; ac purgatione fomes incendij ſubtrahatur: ſi tamen exæſtuans viſcerum calor urgeat, peculiaria requirit remedia, quæ eundem extinguant; quare, cum docente *Galeno 11. m.m. cap. 2.* univerſi febrium generis intemperies ſit caloris, frigidis curabitur. Cæterum cum hæc, quatenus frigida, obſtruant, & ab obſtructione intercipiatur tranſpiratio; unde poſtea major putredinis & conſectariæ febris metus ſit, talia eligantur, aut ea permiſceantur, quæ putredini pariter reſiſtant, ac malignitatem corrigant.

Refrigerantium varium delectum habemus, unde ſuò quisque arbitrio, ut res poſtulaverit, quæ volet, accipere poteſt: ex quibus *aquæ frigidæ* potum primum conſiderabo. *Hanc primùm mortalium potum fuiſſe extra controverſiam eſt, & hac ſola diu contentos fuiſſe in illa innocente orbis infantia, nullumq; aliud reſtinguendæ ſitis remedium quæſitum quam ab aqua: poſtea inclinatis moribus, ac vita ſemper ruente in deterius inventis etiam vinis cœperunt homines ingenij quadam curioſitate aquæ ebritatem docere, & in ſimplici elemento prodigioſa ingenia luxuriæ delicias quæſiverunt, dum ad frigidos potus in nubila vaſa peterentur, ut glacies biberetur, & externus orbis adiretur, ut potoria frigidiora haberent. Alij, aquas decoctas hyemarunt, nives alij addidere, alij glaciem, ſervabaturq; algor æſtibus, ut nix alienis menſibus algeret: atq; ita nivem ac glaciem potantes, pœnas montium in voluptatem vertere,* ut ait *Plinius l. 19. hiſt. nat. cap. 4.* Græcis præcipue oblectamento fuit hic adulteratus refrigerio potius

potus; à quibus pretium hoc victoriæ accepere *Romani*, erudita ſcilicet *Roma* amare & non ſolum admirari luxuriam deliciasque externas, libuitque amplecti vitia, & ex dignatione peccare: & hæc cuncta invexerunt tam celebres victoriæ & triumphi. *Ægyptij* authore *Galeno 6. epid. ſ. 4. text*: in *Alexandria* totaque *Ægypto* aquam ſole calefactam in teſtacea vaſa infundere, hinc feneſtris vento adverſis reponere ſolebant, ut tota nocte refrigeſceret: mane ante Solis ortum vas humi depoſitum frigida aqua ſuffundentes frigida folia vitiũ, lactucæ, toti vaſi apponebant, quo nocturno aere illata frigiditas diutius duraret. Romæ decocta Neronis in frequenti uſu fuit, qua etiam Galenus ſæpius uſus, ut teſtatur *lib. 7. meth: med: cap. 4.* traducta Latina voce in Græcam: namque & *Athenæus l. 3.* δέκοκταν appellat. *Neronis* enim *principis inventum fuit, decoquere aquam, vitroq; demiſſam in nives refrigerare. Ita voluptas frigoris contingit ſine vitiis nivis*, referente *Plinio lib. 31. nat: hiſt. cap. 3. Omnem utiq; decoctam utiliorem eſſe convenit*: item *calefactam magis refrigerari ſubtiliſſimo invento.* Cauſſam, cur fervens aqua nive refrigerata aut in puteum demiſſa crudā frigidior ſit, *Alexander Aphrodiſ: quæſt: nat: lib. 1.* propoſuit. Quoniam putei frigus adverſus aquàm calidam pugnans, & frigoris copia ipſam ſuperans, calorem confertim expellit, & cum multo frigore per aquam permeat, ſicque eam admodum refrigerat.

Galenus l. 11. meth: med. cap. 9. febris, ut febris, aquam frigidam ſemper eſſe remedium dicit, & *lib. 9. m. m. cap. 5.* duo maxima continentium febrium remedia eſſe docet, phlebotomen & aquæ frigidæ potionem. *Corn: Celſ: lib. 3. de re medi cap. 7.* in febre peſtilente, cum in ſummo incremento morbus eſt, utique non ante diem quartum, magna ſiti antecedente, frigidam aquam copioſe præſtandam ſcribit, ut bibat etiam ultra ſacietatem. *Aetius lib. 5. cap. 95.* in peſtilentia, ſi febris ardens fuerit, & fervor, thoracem obſederit, frigidam copioſe potari vult. Et *Avicenna authore lib. 4. fen. 1. tract. 4. cap. 4.* in febre peſtilenti *aqua frigida plurima ſubito eſt juvativa valde: pauca a. conſequenter exhibita, fortaſſe excitat calorem.* Hinc *Rhaſes ad Manſ: tract: 10. cap. 16.* ait. *In febre peſtilentiali directe incedendum, aquam frigidam dando, Johannes Thomas Minadous lib. 2. de febre maligna cap. 14.* tranſactis quatuor morbi diebus; vel etiam ſi videatur expe-

diens

diens, antequam tam exacte quatuor dierum ſpacium ſit peractum, in febre maligna ad refrigerantia magis ſyncera veniendum aſſerit: inter quæ duo maxime probat *ſerum caprinum deſtillatum*, duarum librarum pondere exhibitum, & *aquam puram fontanam frigidam*, primo quidem moderatius, mox liberalius porrigendam: ut, ſi urens febris ſit, peccari in potus abſtinentia magis poſſit, quàm in liberali ejus uſu. Hinc Deum ipſum ac cœlum teſtatur, ſe innumeros peticulari febre detentos, atque maligno ardore (ut apud *Hippocratem 4. de vict. rat: acut: text: 16.* dicebat *Galenus*) affectos hac unica refrigerantium ſerie adminiſtrata ſanaſſe. *Ludov: Mercatus lib. 7. de febr: peſt & malign: cap. 2.* inter alia hujus morbi alexipharmaca, quæ venenoſam qualitatem frangunt & extinguunt, frigida actu & potentia ſicca proponit; quibus tutius heic utamur, quàm in aliis febribus: quod in illis frigida adminiſtremus caloris extinguendi gratia; in hac vero & ob hanc cauſſam, & ob venenoſam contagionem, quæ omnem aliarum rerum indicationem ſuperet. Hæc frigida etiam in majori quantitate adminiſtranda cenſet, ut non ſolum qualitate, ſed copia quoque, venenoſam noxam extinguere poſſint: Quod ſæpe frigidæ potus, dum corpus tolerare eos poteſt, ſufficienter hujusmodi contagionem extinguant. Quorum aliorumque authoritatibus, & ipſius rationis argumentis, quæ præternaturalem calorem refrigerare jubent, permotus, aquam frigidã aliaq; refrigerantia lubente animo admitto: quæ tamen non indifferenter uſurpanda, ne nobile hoc auxilij genus totiens cum ægrorum ſalute adminiſtratum, intempeſtivo uſu infametur. Principio enim febris copioſum aquæ frigidæ aliorumque refrigerantium uſum merito ſuſpectum habeo, quod expulſionem malignitatis remorentur: neque enim quæ ſimpliciter & ſolum refrigerant, ut aqua frigida, venenata hæc ſeminaria extirpare poſſunt: quod nulla horum ad venenatam qualitatem ſit analogia. Nec obſtat, immodico & hyberno frigore contagij μιάσματα aboleri: talem enim exceſſum frigoris corpus humanum non patitur; citius interiturum, quàm ſeminaria iſta nimio frigore penitus opprimantur: Calori quidem, purpuræ malignitati conjuncto, frigida prodeſſe poſſunt: vis vero deleteria alexipharmaca poſcit remedia, quæ refrigerantium copioſo uſu obruta, moras trahit, ac mo-

Digitized by Google

le ſuâ continuo aucta cum ſymptomatis graviſſimis certo tandem erumpit: præterquam quod, ut in aliis morbis, ita & heic (ubi quantû poteſt natura morbificæ materiæ πεπασμὸν molitur) materiam coctione rebellem id auxilij genus efficiat, & obſtructiones ſua frigiditate producat, ut docet *Galenus lib. 9. m. m. cap. 5.* Quin nec progreſſo morbo omnibus indifferenter frigida porrigenda: qua de re loco adducto *Galenus* hac in febribus interdicit: 1. ſi lenti craſſique humores vitium fecerint, quod eos attenuari ac digeri prohibeat frigida, intempeſtive immodiceque exhibita: quæ etſi non parum adjumenti afferre videatur, propterea quod jam accenſam febrem extinguat: quia tamen ejus cauſſa adhuc perſtat, aliam denuo accendi neceſſe erit, ea, quæ ceſſit, difficiliorem, quod denſatum ex frigido corpus ſit. 2. Si pars nobilior una aut etiam plures nativa aut adventitia quadam debilitate laboraverint: quod iis noxa frigidæ facile communicetur. Ita gulam nimio frigidæ potu adeo læſam *Galenus* refert, ut deglutitio tota prope interciperetur: imo penitus aboleretur, ægerque tandem vita decederet: cujus rei exemplum videre licet apud eundem *7. meth: med: cap. 8* Idem ventriculum aliquando vitiatum, ut poſtea vix concoqueret, item os ventriculi, jecur, colon, pulmonem, ſeptum transverſum, renes, veſicam, ab immodico frigidæ potu affecta, alios illico reſpirandi difficultate, convulſione & tremore correptos ac toto nervoſo genere debilitatos fuiſſe, obſervavit. 3. Si partem nobilem tumor occupaverit, quocunque tumorum genere contineatur. 4. Aut obſtructio notabilis adſit venarum, per quas meare frigida debet. 5. Si ægri frigidâ potare non aſſueverint, aut raræ texturæ fuerint. & parû carnis ac ſanguinis habuerint. Celeriter enim ad partes ſolidas pervenit; inde hecticis febribus minus commoda frigida, etſi à febri indicetur: ob debile enim calorem partesq; abſumptas, dum parvis nutrimentis à morte defenduntur, nec prorſus frigidam nec multam deſiderant. *Averroes* eáſdem leges, quæ frigidam in febribus offerre vetant, recenſuit *collect: ſ 3. cap. 16.* item *colliget l. 7. cap. 8.* Quo tamen loco in ipſo morbi principio frigidam admittit, non dum præſentibus notis coctionis: ſi febris ſit ardentiſſima, cæteræque circumſtantiæ idem auxilium poſtulent, ut regio calida, æger juvenis, euſarcus, frigidam potare aſſuetus, quoniam, dilatâ frigidâ ad

tem-

tempus coctionis, ſuccumbet interea natura, morbi vehementia ſæpe proſtrata Accedit, quod materia, quæ cauſonem excitat, non craſſitie & viſcoſitate, ſed ingenti calore præcipue noceat, propter quem & alterari & concoqui debet: quo refrigerato [illegible] erit abſolutus. Satius quoque fore arbitratur, ut, exhibita inter principia morbi frigida, febris talis convertatur in febrem lentam & longam, quæ curari poſſit, quam ut æger ſubito moriatur. *Nam error, qui fit in alteratione complexionis febrium, facilior eſt, quàm mors. Et ego credo,* inquit *quod illi quibus digeſtio debet expectari, ſi detur aqua frigida, citius curarentur, ſi ejus virtus extitit fortis, quamvis ægritudo fuerit longa:* In quam rem exemplum propoſitum à *Rhaſe l. 3 aph:* ægroti cujusdam, febre valde acuta detenti, qui iter æſtate media fecerat, cui aquæ frigidæ libras X. dictus author potare permiſit, manifeſta cum remiſſione febris, etſi quadraginta dies adhuc perduraret: Vere ſane *Cornelius Celſus lib. 3. de re med. cap. 10.* dicebat: *circumſpecti eſſe hominis & novare interdum & augere morbum, & febres accendere: quia curationem ubi id, quod eſt, non recipit, poteſt recipere id, quod futurum eſt.* Et demus aliquam fieri cruditatem febrilis materiæ, aut membra aliquantulum affici & infirmari: annòn læſio melior ipſa morte? Ita cenſebat *Galenus lib. 12. meth: med: cap. 1.* Quamvis hæc quæ in frigidæ potus laudem attuli, ad præſentem morbum nequaquam referenda, quod heic non ſimplici incendio, ſed maligno calore, à venenata qualitate producto, viſcera torreantur: qua de re nec principio, nec in ſtatu quidem, niſi victa maximam partem malignitate, frigidam tuto dari cenſeo; niſi forte pauca admodum ſit malignitas, calor vero æſtuans inſignior, ut ad aliarum ardentium potius, quàm ad malignarum febrium indolem inclinet: tum enim, morbo provecto, præmiſſis aut interpoſitis alexipharmacis, frigida tuto dari poterit.

Cæterum frigidæ potus etſi placandis febrium caloribus præcipuum auxilium ſit, noxa tamen penitus non vacat. Authore enim *Hippocrate 3. de vict. rat: acut: text: 40. innundationem quandam intus parit. Hypochondrio præterea moleſta eſt, & vires labefactat, ubi in vacuitatem venerit. Adde, quod lienem auget jecurq., ubi inflammata ſunt, fluctuatq. & innatat. Tarde ſiquidem meat, quod ſubfrigida & incoctibilis ſit, neq. alvum dejicit, neq. urinas movet.* Qua vero ratione has noxas aqua

efficiat, *Galen, in commentario ad præſentem locum, item 4. de vict: rat: acut: comm: 5. & lib. 7. m.m. cap. 6.* docuit. Quæ damna ut corrigerentur, variis inventis quæſitum. *Hippocrates 6. epidem: ſect: 4 text: 10.* aquam decoquit. *Plinius lib. 31. nat: hiſt: cap. 3.* Omnem decoctam cruda utiliorem, & vitioſæ aquę remedium eſſe, ſcribit, ſi decoquatur ad dimidias partes. *Galenus 6. epid. allegati loci commentario* propterea aquam decoqui cenſet, quò quicquid limoſum, malè olens aut alienum ſaporem habens, adeſt, coctione deponat: à qua, ubi jam refrixit aqua, evidenter putorem, quem ex putredine plerumq; contraxit, abjicit, omnisque terrea pars facile ſubſidit, quæ cum tota aqua, priuſquam caluiſſet, exacte permixta, unaque cum ipſa epota haud contemnandam cladem infert, maximè quibus renes aut veſica progignendis calculis obnoxia ſunt. Ac ſub divo non aquam modò calentem, ſed etiam alia quædam exponere iſtius ſeparationis gratia medici *Galeno* videntur excogitaſſe. Nam quæcunque ex diverſæ naturæ materiis conſtant, per minutas particulas miſtione conflata, hæc poſt calefactionem refrigeſcentia facile diſſolvuntur. Aqua etiam eodem *Galeno authore* decoquitur, etiamſi omni vitio careat, quod cruda ſua natura, cum tardius ad vias urinarias abeat, diutiusque in ventriculo commoretur, eum inflare ac offendere ſoleat; ipſa quoque facile corrumpatur, diutius illic commorata.

Porro emendandis aquæ vitiis plurima uſus notavit. *Galenus 3. de victus rat: acut: comm: 40. aquæ minimum vini* adjicit, veluti excitationem quandam, quæ ad diſtributionem aquam trahat, & ut aquæ duntaxat tollat ſynceritatem, non aquam vinum faciat. Et *4. de victus rat. acut: text 15. author* in cauſone, aquæ *mulſæq; coctæ & aquoſæ*, quantum voluerit æger, bibendum exhibet: quo aqua, nulla in ſuperiore ventre facta mora, à mixto *melle* ad diſtributionẽ trahatur, monente *Galeno in ejuſdem loci comm:* Qui *l. 11. m. m. cap. 11.* in iis ſynochis, quas habitus adſtrictior & putredo excitarunt, *aquam mulſam* commendat ad craſſos ſuccos extenuandos, glutinoſos detergendos, & excretionem promovendam. Si tamen immodicus calor ægrotum urat, abſtinendus mulſa, noſtrate ſcilicet, meraciori, quod bileſcat, & calorem febris adaugeat: veterum enim mulſa diluta erat, & tantum mellis permixtum non habebat. *Saccharum* etiam puriſ-

ſimum

Digitized by Google

ſimum cryſtallinum loco *mellis* eodem propoſito aquæ miſcetur, quod minus ipſo *melle* bileſcat, ac palato magis placeat, ipſiſque julebis (quod hi ἐμπύρευμα plerumq; reſipiant,) ab ægrotis, ob commendatum ſaporem, præferatur: aquæ vero dum diſcoquitur, *cinamomi* craſſiuſcule contuſi pauxillum, aut corticum citri fruſtulum injicitur, affuſis guttulis aliquot *Spiritus vitrioli* aut *ſucci citri* q. ſ. Mihi familiare eſt, aquam fontanam puriſſimam aperto vaſe decoctam, hinc refrigeratam, ut per ſubſidentiam, quodcunque terreſtris materiæ admixtum, deponat, *julebo roſarum* aut *violarum*, aut *ſyrupo fragorum*, *ſucci acetoſæ*, *ribium*, *berberum* dulcoratam exhibere, cui aliquot guttulæ *Spiritus vitrioli* inſtillatæ ſint: quo gratum acorem potus habeat, & per interiora viſcerum ocius ſe trajiciat, effervescentiam humorum placet, ſitim ſedet, putredini reſiſtat & malignitatem corrigat.

Qua vero quantitate aqua frigida exhibenda ſit, ex caloris febrilis magnitudine patebit. *Author ſect: 4. vict: acut:* in cauſone aquæ, quantum voluerit æger, potare jubet. *Galenus* ubi vires firmæ, febris ardentiſſima, & concoctionis notæ eluceſcunt, frigidam audacter porrigere mandat *lib. 11. meth. med. cap. 9.* qui pariter *lib. 9. meth. med. cap. 5.* *ἀκραιφνὲς ψυχρὸν puram frigidam*, quantum bibere ægro libuerit, commendat: præcipue ſi ille tali potioni aſſueverit. Et ut claſſicorum medicorum de in præſenti morbo exhibenda frigidæ copia authoritates afferam, *Cornelius Celſus lib. 3. de re med. cap. 7. de febr. peſtil:* cum in ſummo incremento morbus eſt, frigidam copioſe præſtari vult, ut bibat etiam ultra ſatietatem. Conſentiunt *Aetius l. 5. c. 95. Avicenna lib. 4. fen. 2. tract: 4. cap. 4.* Quod & ego fieri probo, quò univerſam febrilem flammam extinguat. An vero hæc aqua copioſe potanda crebris intervallis & quaſi pitiſſando, an vero plenis magniſque poculis haurienda ſit, medici diſſentiunt. *Author problematum ſect: 1. problem: 57.* febrientibus ſæpe & paulatim potionem ſubminiſtrandam cenſuit, quoniam potio multa περιῤῥεῖ præceps defertur: exigua vero, ſed crebra, & lente demiſſa, διαβρέχει, καὶ εἰς τὰ στερεὰ χωρεῖ irrorat, ſeſeque inſinuat corpori. Quemadmodum largior pluvia, ſed pauco tempore duratura, citius defluit, nec adeo penetrat, quàm ſi longius duret, leniteque imbre defluat. *Rhaſes* etiam

lib. de peſte frigidam paulatim ſorbendam exhibet, præſertim cum jam incenſa eſt febris: quoniam ſudorem elicit promovetque, & recrementis in extimam cutem propellendis opitulatur. Contra vero *Aetius libro & capite allegatis* in peſtilentia, ſi febris ardens conjuncta fuerit, frigidam, ſed non paulatim, dare monet, ut multitudine flammam extinguat, nec, a plurimo ventriculi calore ſuperata, in igneam convertatur. Quo ſenſu *Hippocratem 3. de vict. rat: acut. text. 40.* aquam ſitim non ſedare, ſed amareſcere, & ſuapte natura bilioſo eſſe bilioſam, (ſi ſcilicet pauca quantitate ſumatur,) ſtatuiſſe, veriſimile videtur. Pariter & *Avicennæ* judicio in *peſtilenti febri aqua frigida plurima ſubito eſt juvativa valde: pauca autem conſequenter exhibita excitat caliditatem.* Ita fabri ferrarij, quo flammam luculentiorem eliciant, aquæ parum flammis aſpergere ſolent. Ego *ἀπνευςὶ* ægros meos in tempore potare jubeo, plenis, magnis, crebriusque porrectis cyathis, ubi ſitis inexhauſta excruciat, atq; ubi, ut Perſius loquitur ſat. 5.

Calido ſub pectore maſcula bilis
Intumuit.

Ita enim non ſolum calorem ſtrenue refrigerat, ſed & materiam noxiam per alvum, urinam, ſudorem, quocunque inclinabit materiæ motus, copioſe pota, ac ob molem ocius è corpore præcipitata, ſimul educit, quod in *acidularum* potu fieri obſervamus. Nec probo pitiſſando ſorbere vim refrigerij: quod potius, ut luculentus focus pauca aqua aſperſus, repercuſſa flamma & in ſe collecta, majori vi ardeſcat febris, & non niſi largiorem potum efflagitet ignea viſcerum conſtitutio: quem etiam ægroti animi anxij in magnis & malignis his caloribus obnixe deſiderant. *Aetium & Avicennam* cum *Rhaſe* facile quis conciliaverit, ſi illos refrigerandi caloris, hunc proliciendi ſudoris gratia, diverſo modo frigidam propinare reſponderit.

Verum quoniam *ὑδροποσίας* hæc regio ignorat, alia frigidæ *ἀντιβαλλόμενα* uſus monſtravit, quæ hujus loco non ſine gratiis accipere ægroti poſſunt. Ex his primum occurrit *decoctum hordei*, de quo tot *ἐπαγγελίας* apud *Hippocratem, Galenum* ac ſequentium ſeculorum medicos legimus. *Serum etiam lactis* refrigerat, humectat, abſterget authore *Galeno 4. ſimpl: cap. 17.* febribus curandis propterea ap-

pri-

prime utile, & *ab eodem 4. de vict: acut: comm: 7.* in cauſone commendatum. Hoc cum *ſucco citri* aut *aceto vini*, penuria prioris, paratur. *Seri lactis* præparationem tradidere *Dioſcorides lib. 2. cap. 64.* & *Galenus de vict: acut: lib. & capite allegatis.* Ipſum quoque *ſerum*, quod ſub flore lactis colligitur aceſcens, limpidum eſt, atque in viſcerum caloribus commodiſſimè datur. Sed & *tamarindi* exemptis ſeminibus ferventi lacti injecti facta una atque altera ebullitione *ſerum* à caſeo ſeparant: quod ab injectis *tamarindis* magis refrigerat, ac putredini & malignitati potentius reſiſtit; alvum præterea liberam ſervat. Quo vero *tamarindorum* vis per univerſum lac ſe magis diffundat, ſequenti modo ſerum lactis à me parari ſolet. *R. Tamarindorum rejectis ſeminibus* ℥j. ß. *Aqua acetoſa* ℥viij. Contundantur ſimul in mortario lapideo, piſtillo ligneo: hinc probe remixta per ſetaceum transmittantur, ac lactis ferventis tribus libris affundantur: poſtea iterum leniter ebulliant: ita heterogeneæ partes à *ſero* ſeparatæ propere fundum petent. *Colatum ſerum cum albumine ovorum* depurari, hinc per chartam emporeticam tranſcolari poterit: quod, vini modo clarum redditum, adjectis paucis guttis *Spiritus roſarum*, aut *baccarum rubi Idæi*, magno ægroti prolubio bibitur. *Patavij* frequens uſus eſt *ſeri lactis deſtillati*; quod, dum *ſerum lactis caprilli* aut ejus defectu, vaccini, deſtillatione vitreis organis facta, depuratur, relicta in fundo quarta aut quinta ſeri craſſioris parte, paratur. Hoc, cum ab omni caſeoſitate liberum ſit, (quod enim vulgo cum ſucco citri conficitur, lacteum ut plurimū eſt, nec propterea ita tuto in febribus & doloribus capitis exhibetur, ac circa viſcera diutius moratur) in febribus continuis, intermittentibus, itemque malignis, utiliſſimè datur: diureticum pariter eſt, prompte ad venas interiores abit, raroque alvum movet. Qui volet, huic ſero deſtillato, aut alteri communi, ligni rhodij fruſtulum, item flores violarum immittet, affuſis *Spiritus vitrioli* guttulis aliquot: ita ſerum odorem & ſaporem horum ſimul bibet.

Serum copioſe in his febribus bibitur. *Galenus de ſalubri diæta comm: 18.* teſtatus, *ſerum* majori copia offerri; quod & *Dioſcorides lib. 2. cap. 64.* ſcriptum reliquit. Novi plures, cum impletæ ſiti premerentur, permiſſu meo integris cantharis ſerum exhauſiſſe, magno prolubio, nec minore ſitis levamento. Copioſe enim potum febrilem

lem calorem extinguit, ſitim lenit, alvumq; moderatis ſeceſſibus, *ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ*, reſolvit. *Alexandrum Kockertum*, adfinem meum iſta tempeſtate febre maligna graviſſime decumbentem, provecto jam morbo ſingulis dieb⁹ duos treſve congios *ſeri* limpidiſſimi abſorbere vidi, tanta conteſtatione, ut, ni *ſeri* copia ad ſatietatem ſuppeteret, viſcera immodico æſtu propere ambuſtum iri quereretur. *Serum* eidem non per urinas redditum fuit, quæ toto fere morbo ſanorum ſimiles, paucæque ac ſuppallidæ, erant, delata alio ſeri tinctura, ad cerebrum ſcilicet, quod tum infeſtis bilioſis exhalationibus petebatur: alvus vero cottidie aliquoties ſolvebatur, ſudorq; citra levioris culcitræ operimentum continuus toto corpore manabat.

Alia quoq; refrigerantia magno numero huc referri poſſunt, talia præſertim, quæ malignitati reſiſtunt, & obſtructos meatus expediunt: ut *Julebi* parati ex *aqua acetoſæ, card: ben: ſcorzoner: fragor: ſimpl: cichor: roſar: borrag: bugloſſi*, ac *ſyrupo acetoſæ, acetoſellæ, berberum, ribium, violarum*, remixtis guttulis aliquot *Spiritus vitrioli*, aut *ſulphuris* per campanam deſtillati. *Aqua anguriæ* commendatione *Proſperi Alpini lib. 4. de med: Ægypt: cap. 15.* æſtum febrium ardentium placat, *Turcis medicis* uſu familiaris. Sequens *tinctura Roderici Fonſecæ tom: 1. conſult: 47.* ſuam heic meretur laudem. ℞. *Aquarum pomorum dulcium, redolentium, an. lib. j ß. Spiritus vitrioli* ℈ß. aut *q. ſ.* ut aqua acidula reddatur. Ponantur in vaſe vitreo: hinc accipe *roſar: rubr: ſicc: p. ij.* & cum baculo agita: ſtent in infuſione per duos dies: ita n. aqua fiet rubicundiſſima, ac ſaporem & odorem roſarum habebit: poſtea ſepara per inclinationem aquam tinctam, cui adde *ſaccharum, F. Julebus.* Ex quo unciam unam atq; alteram ſumat cum *ſero lactis*. Cui decoctum placet, ſequens exhibere poterit.

℞. *Radicum cichor:* ℥ß.
pentaphyll: ſcorzoner: acetoſ: an: ℥j. ß.
Lign: rhod: ſantal: citrin: an ℥ iij.
Berber: ſiccat: Mj.
Hord: excort: p. j.
Sem: 4 frig. maj: an: ℥ß.
fœnic: ℥ij.

Cort: citri exter: ℥ *j. ß.*
Fl: cordial: an p. ij.

Conſciſſa & rudíter contuſa, quæ conſcindi aut conquaſſari debent, l. a. vaſe operto, coquantur, in aq: font: q. ſ. affundendo prope finem coctionis *aq: acetoſæ fragor: ſimpl: an.* ℥ *iij.*

R. *Colat: expr: lib. ij.*
Syr: berber: acetoſell:
violar; an: ℥ *j.*
Spir: vitrioli q. ſ. ad gratam aciditatem.

Emulſiones quoq; ex *ſeminibus 4. frigidis majoribus & minoribus, violar: citri, card: ben:* parantur cum *aq: acetoſæ, fragor: ſimplicis, roſar:* adjecta *rot: manus Chriſti ſimpl; aut perlat:* q. ſ. quo grato ſapore ſe magis palato commendent. Iisdem emulſionibus *magiſterium* C C. aut C. C. *phil. præparatum* pulveratum, item *magiſterium perlarum, corallorum, lapis Bezoar or: ambra* aliaque junguntur, metu malignitatis & defectarum virium. Proſunt conditæ *radices cichorij, caules lactucæ Hiſpanicæ, portulacæ,* conditi, *pulpa citri acida, ſaccharo manus Chriſti perlato conſperſa: conſerva acetoſæ, acetoſell: florum violar: roſar: ſimpl:* & *vitriolata: caules portulacæ* cocti & cum aceto præparati in acetariis offeruntur. *Berberes conditi,* exemptis ſeminibus, gratiſſimi ſunt palato ægrotantium, *ut & Baccæ rubi Idæi, ribes, mora, condita ſaccharo: rotulæ ex ſucco berber: ribium, acet: citri; rob ribium, berberum, ceraſorum* &c. quæ omnia pro lubitu ægrotantium per intervalla accepta calorem temperare, ſitimque levare ſolent.

Hæc de refrigerantibus eorumque uſu pro re præſenti ſufficere arbitror: quæ, etſi febrili calori utilia fore cenſeam; ea tamen moderatione offerenda duco, ut etiam putredinis atque coctionis humorum, præcipue vero malignitatis ratio habeatur. Quapropter ut hæc, illa, aut iſta, medentis induſtriam ad ſe vocabunt, ita malignitati humorum, coctioni, putredini, atque febrili calori, corrigendis magis ſtudebimus: aut, ut res poſtulaverit, his omnibus, aut quibusdam conjunctis, ſimul medebimur, non neglecto virium robore. Qua in re exquiſitiſſimum medici *judicium* requiro, quod *difficile* eſſe Vir divinus dicebat *1. aph. 1.* & heic præcipue periclitatur: ut, quæ de ſimplicium febrium curatione *Galenus lib. 11. meth: med: cap. 9.*

Digitized by Google

cap. 9. ſcripſit, multo maximè ad purpuratarum therapejam hoc transferre quis poſſit. *Difficile ſcilicet eſſe, acriq; judicio indigens, febrem, putredinem, & effectricem cauſſam (ubi ipſa ſimul adeſt,) inter ſe conferre: quod eo difficilius eſt, ſi vires quoq; cum illis conferantur*: quæ qualem ſui reſpectum haberi velint, quibusque modis infractæ ſervari poſſint, jam docebo.

CAPUT XXVIII.

Quæ defectum viribus ægrotum reficiant, oſtendit.

DUm reducendæ ſanitati operamur, virium incurioſi eſſe non debemus, cum illæ, præcipue vitales, in hoc morbo proſtratæ langueant: quas in omnibus febribus, maximè in in peſtilentibus, integras ſervare debemus, docente *Aetio lib. 5. cap.* 119. Ipſa enim, ut retuli, deleteria morbi qualitas aliorum venenorum more ſpiritus, in quibus virium robur conſiſtit, corrumpit ac diſſipat, qui pariter ab accenſo calore ac fœda putredine conſumuntur atq; inquinantur: unde innatum calorem ſuo alimento defraudari, viresque omnes labi contingit, niſi ſubito occurramus. In curatione enim venenorum confortatio caloris nativi maximè requiritur, teſte *Avicenna lib. 4. fen. 6. tract. 3. cap. 1.* Hanc virium in ægris conſiderationem medico admodum neceſſariam dicebat *Galenus l. 9. m. m. c. 7.* qui virium debere fieri reſpectum *l. adducto c. 13* profeſſus: *quando vivere ipſum nobis ex harum cuſtodia conſtet*: præterquam quod morbum ipſum κατὰ συμβεβηκὸς, ex accidenti, curent, dum vires inſtaurat e analepticis materiam morbificam alterant, ut patet ex *Galeni loco citato & lib. 11. m. m. cap. 9.* Harum diligens conſideratio etiam propoſitorum auxiliorum uſum metietur, utrum illa præſenti morbo adminiſtrari, & qua quantitate, debeant: cum prudentis medici ſit, remediorum adminiſtrationem ita moderari, ut non ſolum mor-

morbo, ejusque cauſſæ, prodeſſe, verum ut vires etiam eorum uſum ſuſtinere, poſſint: quibus maxime imbecillis fruſtrà omnis curatio, ſæpe etiam temeraria: quod, in quo jam deſperata omnino ſalus eſt, imprudentis conſilij ſit, apud vulgus infamare præſidia, quæ multis fuere ſaluti. Victus quoq; rationem vires monſtrabunt debiles aut firmiores: an ſcilicet pleniori ſuſtinendus ſit æger, an vero cum pauciori ad ſtatum perdurare is poſſit. Quin his inſigniter languentibus, ſæpe omnis curandi methodus invertitur, ut omiſſo morbo, ejusque cauſſa, omne medici ſtudium iis reficiendis allaboret: quod ſi vires mediocriter valeant, illæ quidem non penitus negligendæ, major tamen morbi ejusque cauſſæ reſpectus tum eſſe debet: quo illa convenienti medendi lege tollantur: quæ eò magis tum perſequenda, quo valentiores vires deprehenduntur. Nec enim ſtatim ad illa corroborantia primis diebus feſtinare medicos velim, niſi ſumma neceſſitas id facere cogat: quod ſæpe virtus non exhauſta ſed oppreſſa langueat, & intempeſtiva inutilique refectione agendi tempora prætermittantur.

Quotiens itaq; virium robur graviter infirmatur, quæ eas inſtaurare poſſint, offerenda: qualia ſunt; quæ laudatiſſimum ſanguinem generant, ex quibus ac novi copioſi ſpiritus facile procreantur, alimenta ſcilicet εὔχυλα καὶ εὔπεπτα: *virtus enim non ſuſtentatur, niſi nutrimento*, ſecundum *Avicennam lib. 1. f. 4. doct. 5. cap. 25.* & *l. 4. f. 1. tr. 2. cap. 8.* quo loco in febribus labentibus viribus cibationem præcepit. Laudantur *jura expreſſa carnium, perdicum, caponum, gallinarum, piponum, turturum* (quos reparandis viribus inſigniter conferre *Arabes* teſtantur) *carnis vituli*, duorum, aut trium menſium: *condiri acido & corticibus citri, ite macis cinam*: aut *croci* pauxillo debent, quo majori prolubio accipiantur. Jura vero inſtaurantia ipſis carnibus heic præferenda cenſeo, quod, dum coquuntur, quantam carnes, in ventriculo moram non trahant, nec propterea calorem noſtrum à materiæ morbificæ coctione diutius avocent, &, cum expreſſarum carnium vires obtineant, ſpirituum evanidam ſubſtantiam carnibus ipſis celerius reficiant, quod citius in ſuccum & ſanguinem liquida vertantur, ex mente *Hippocratis lib. de alimentis prope finem. Quæcunq;* inquit, *celerrimâ egent adjectione, iis humidum alimentum*

tum ad vires recuperandas optimum eſt. Item *2. aph: 11. Facilius eſt potu reſici, quàm cibo*: ubi per poculenta, omnia, quæ humida ſunt, ac potu aſſumi itemq; alere queunt, intelligenda, ut monet *Galenus in comm:* Vinum etiam ab horum cenſu exulare non debet, quod exigua quantitate concedi poſſit, cum odoris fragrantiâ & ſubſtantiæ leptomeriâ ſpiritus evanidos refocillare ſoleat: quo uno in potu utendum cenſet *Galenus*, omnibus, quibus refici corpus eſt opus, modo non febricitent, *lib. 7. meth: med: cap. 6. Vini enim natura vicinior eſt ſubſtantiæ ſanguinis* ut loquitur *Avicenna lib. 1. f. 2. doct. 2. cap. 15.* & *dat nutrimentum tenue & multum, ac velociter in ſpiritum convertitur*, teſte *eodem l. 1. fen. 2. doct: 3. c. 11. ac nutriendo reſtaurat ſpiritum*, eodem authore *tract; 1. de vir: cord:* Nec exiſtimet quis, *Galenum* ſententiæ meæ adverſari, dum febricitantibus vini potu interdicit, quod ille vino dicto loco pro alimento utatur: ego, non tam nutriendo corpori, quàm revocandis ac refocillandis abeuntibus ſpiritibus neceſſitate quadam adductus paululum vini porrigere ſuadeam: qua ratione in inſtantibus lipothymiis *aqua cinamomi*, *carbunculi* & id genus aliis linquentem animam ſæpe revocamus. Cæterum *vinum* non ſit *οἰνώδες* vinoſum: illud enim vires imbecillas ferit, facileque flammam concipit, ſed tenue, purum & *ὀλιγοφόρον, quod*, ut explicat *Galenus*, *ſi diluatur, minimam ferat aquæ mixtionem: illud enim, ab aqua imbecillitate receſſit, & vini noxam non habet.* Noſtra etiam vina pleraque *Rhenenſia*, item *Neccarina*, modo nimis vetera non ſint, tantum caloris non obtinent, ut vina *Græca, Italica, Hiſpanica*: Quod ſi quis à calore metus ſit, cum admixtione fontanæ puriſſimæ, aut *aquæ fragorum, acetoſæ, pomorum redolentium, ſucci acidi citri, ſyrupi berberum, granat: acidorum, ribium, bacc: rubi Idæi* &c. facile corrigere licet. *Saccharum* etiam in delicatis interdum permiſcet r, non temperandi caloris, ut vulgus noſtrum autumat, (cum dulcia facile bileſcant, & vinum, admixtione ſacchari corpori diutius inhærens, majorem calorem communicet, venasque viſcerum oblimet:) ſed ſolius ſaporis gratia. Parantur & ſingulari artificio varia *vina ex fructibus*, quæ contemperandi caloris media æſtate à noſtris bibuntur, & heic admitti poſſunt: ut *vina ribium, berberum, ceraſorum*: à quibus tn: aromata abeſſe debent: *vinum* item *baccarum rubi Idæi*, quod ab injectis copioſis bac-

eis colorem odorem & ſaporem accepit, gratiſſimum cordi ac palato: quod miſellos ægrotos ſumma lubentia ſorbere totiens vidi, ut vires ad oſtentationem uſq; recreari ſibi dixerint. Vinum enim illud, præterquam quod minus ſimplici calefacit, cor inſigniter roborat, ut ſuccum baccarum rub:Idæi cum ſucco granorum chermes in corroborando corde certare credam. *Dn. Matthæus Roddius*, *Reipublicæ noſtræ Senator*, ordinis litteratorum amantiſſimus, tramiſſo *vino Rhenano in Sueciam*, illud ſuis uſibus ibidem parari quotannis curat, quod heic ſeu rarior ſit dictarum baccarum copia; ſeu illic meliores atque uberiore proventu naſcantur: qui illud ægrotis meis cupientiſſimis liberaliter elargitus; Vir, de cunctis optime merendi quàm ſtudioſiſſimus. Proſtant etiam in officinis pharmaceuticis vina cydoniorum, granatorum, tuto in tali caſu uſurpanda.

Quòd ſi vinum nimis cito ad partes internas, maligno calore æſtuantes, penetraturum metuam, vinum comedere ægrotos meos jubeo, porrecta *panis ſimilaginei* parum toſti *buccella vino macerata*: ita enim diutius ventriculo inhæret vinum, eumque roborat, virtutem ſuam late quoquoverſum per totum corpus diffundit, nec tam facile flammę pabulum ſubminiſtrat, cum vini ſubſtantia eò non facilè pervadat. Illud tamen curioſè obſervent medici, ne, dum labenti virtuti præſidium parare allaborant, nimio atque intempeſtivo vini uſu febrilem calorem magis accendant: quod, niſi æger inexplicabili vini deſiderio teneatur, vires extreme langueant, calor modicus ſit, inclinato ſolum morbo, paucum, idemque dictis modis alteratum, vix concedere auſim.

Præter illa vero, quæ nova ſpirituum ac ſanguinis reparatione imbecillas vires refocillant, alia ſunt analeptica, quæ ſpecifice confortant, numero multa, quæ, ut hujus aut alterius facultatis inſtrumenta male affici contingit, varie adhibere poſſumus: *illas enim conſervare facultates, nihil plane aliud eſt*, ut loquitur *Galenus lib. 9. m. m. cap. 10. quam vitam ſervare, ſiquidem qualibet earum amiſſa, neceſſe quoq; eſt, reliquas una perire.* Gubernant autem animal tres diverſi inter ſe generis facultates, naturalis vitalis & animalis, ex quibus ſi inſtrumenta, naturali facultati dicata, lęſa ſint, quod ex ſymptomatis earum

partium conjectare licet, quæ ingenita quadam dote partibus nutritioni ſervientibus amica ſunt, convenient, junctis talibus, quæ malignum calorem ſimul temperare poſſint: quod ſi animalis facultas affecta ſit, ejuſdem inſtrumentis vitiatis, quæ totius ſubſtantiæ proprietate illas partes roborent, offerenda, non neglecto febris purpuratæ maligno calore. Ita ſi vitæ principium, quod heic perpetuum fere male habet, (quo etiam graviter affecto, cæteræ functiones ſtatim languent vitalium ſpirituum ἰκλάμψει deſtitutæ,) morbus petat, ejus intemperies alteranda contrariis, junctis talibus, quæ tota ſpecie cor roborare valent. Qualia ſunt *conſerva flor: roſarum ſimplex & vitriolata, violarum, borraginis, bugloſſi, acetoſæ, acetoſellæ, acredinis citri, conſerva totius citri: bacc: rub: Idæi, berberes conditi, flores citri, aurantiorum, conditi.* Qui volet aquas *acetoſæ*, *borraginis*, *roſarum, ſcorzoneræ, totius citri*, in quibus harum conſervarum quędam leniſſime efferbuerint, accipiat, quibus alia quæ tota ſubſtantia corroborant & lucem ac ſplendorem ſpiritibus allucent, ut *margaritæ*, & *lapides pretioſi*, aut ſpirituum ſubitaria refectione ac regeneratione copioſa vires vitales refocillant, ut *moſchus*, *extr: xyloaloes*, *ambra*, aliaq; odorata, aut malignitatem humorum deſtruere valent, ut C. C. quoquo modo præparatum, *lapis Bezoar*, *radix contrayervæ*, *terra ſigillata* &c. (nam & talia ex accidenti cor roborant, quæ ſpirituum vitalium impuritatem abſtergere & conſumere poſſunt, inter medicinas cordiales ab *Avicen: tract: 1. de vir: cord: capit: 9.* relata,) addatur. Efficaciſſima eſt *Eſſentia ambræ cum ſpiritu roſarum extracta*, paucarum guttularum pondere in *aq: meliſſæ* & *acetoſæ* propinata. Prodeſt *tinctura croci* cum *acido citri* parata. *Confectio d. hyacintho, alchermes: elæoſacch: citri, macis, cinam: lavendulæ, meliſſ:* Vel

R. *Aquar: pomor: redolentium,*
acetoſ: roſar: an: ℥ij.
Vini granat: ℥j.
Balſ: embryon:
Aq: cinam: diabor: an: ℥ß.
Conf: alcherm: de hyacinth: an: ℈j ß.
Syr: fl: tunic: granat:
bacc: rub: Idæi an: ℥ß.

Spir:

Spir: roſar: cydon: an: ℥ij. miſc:

Aut ſequens electuarium ex intervallis porrigatur, quod

℞. *Conſerv: totius citri*
Berber: exemptis ſeminibus condit: an: ℥ß.
Conſ: flor: violar: aurant:
tunic: coronar: an: ʒij.
Elect: de bolo,
de gemmis an: ʒß.
Mag: perlar: ℈ß.
corall: ℈j.
Lap: Bezoar or: Ambr: griſ:
Solut: ſmarag: an: g. viij.
Moſchi g. ij.
Spir: bacc: rub: Idæi meliſſ: an: ʒj.
Ol: ſtill: roſar: citri,
macis an: g. ij.

Cum *ſyrupo bacc: rub: Idæi q. ſ. miſc: f. l. a.* Electuarium, folio ☉ operiendum.

Foris quoque cordis regioni, naribus, & arteriarum eminentiis, circa tempora & ad carpum manus, illini poterunt, quæ odoris fragrantia marcentes ſpiritus recreare, & excitare valent: quorum plurima apud authores deſcripta reperiuntur: duo ſequentia pro exemplis in gratiam medicinæ candidatorum heic apponam.

℞. *Aq: fl. roſar: fragrantiſſimæ* ℥jß.
cort: citri meliſſ: an: ℥j.
cinamom: c. vino, carbunc: an: ℥ß.
Aceti bacc: rub: Idæi ʒij.
fl: tunic: violar:
ſambuc: an ʒjß.
Sp: cord: temperat:
elect: de gemmis an: ℈jß.
Caphur: Croci or: an: ℈ß.
miſc: pro Epithemate.

℞. *Balſami roſar: g. vij.*
macis, citri an: g. iij.
Confect: alcherm: ℈j. miſc. pro litu.

Quod

Quod ſi veneno hæc ſimul adverſari velimus, prædicto *balſamo* quid *theriacæ, mithridatij, caphuræ* aut *extracti theriacalis*, item *oleum ſcorpionum ſimplex*, *oleum magni Ducis Hetruriæ* miſcebimus, aut eorum exemplo, alia conficiemus, præſenti negotio accommodata. His vero aut conſimilibus topicis dum utimur, nullus metus eſſe debet παλινδρομῆς veneni ad cor, aut obſtructionis pororum cutis: unde fuligine interclusa, febris magis accendi, aut ſudor criticus impediri poſſit: cum hæc adſtrictos poros reſerent potius, διαφόρησιν promoveant, venenum elicia ſua virtute foras evocent, & cor manifeſto recreent. Ab adſtringentium & valide refrigerantium uſu merito abſtinebimus.

Hæc de febrium purpuratarum curatione tradere volui: quæ, ut veneni purpurati indoles alia atq; alia, ejusdemq; ad varias partes προβολὴ facta fuerit, ita diverſa poſcent remedia. Illarum vero ſingularis curatio præſcribi nequit, quod incertum ſit, qua facie venturis annis ſe proferent: ſi enim olim conſimiles viguere, quæ tum profuere, memorata ab authoribus, quodam ἀναλογισμῷ revertentibus morbis tuto dari poſſunt: cæteroquin, ſi illæ novis atque incompertis ſymptomatis graſſentur, ignota ſpecifica venenorum proprietate, cum *Dioſcoride* communibus contenti erimus alexipharmacis; habito ſimul reſpectu partis affectæ: quam ut vis alexiteriorum promptius pervadat, tertiæ qualitatis medicamenta, quæ ad determinatam partem eam traducant, conjungemus.

Eo vero ordine omnia tranſigenda, ut hujus aut illius indicantis ſuprema neceſſitas remedia feſtinari poſtulaverit. Ita lege methodi medendi cauſſæ, morbum facientis, auxilia, quæ eam accidere ac tollere valeant, primum exequemur, interdum vero morbus invertere hanc curationem, primumque ſibi remedia dari, deſiderat, ac tum maligni caloris, ſi is præ cæteris urgeat, extinguendi & alterandi curioſi erimus: interdum ſymptomata graviter affligunt, &, ni ſubito occurrimus, ægrum peſſundant, de quibus jam plenius agam. *Semper vero, proximè Divinæ Majeſtatis honorem, ægrotantis ſalutem pro metâ laborum* cum *Galeno l. 12. m. m. cap. 1. propoſitam habebimus.*

CAPUT

CAPUT XXIX.

De capitis & lumborum dolore.

HActenus, quæ ad curationem malignarum febrium ſpectare videbantur, curatius explicavi, maximi uſus futura, modo ſatis tempori ac debito modo adminiſtrentur: quibus & ſymptomata earum conſectaria, ceſſante illorum proxima cauſſa, ſponte [redacted] arbitror: quod illa, teſte *Galeno loco citato*, qua ſymptomata, nullam curationis rationem indicent & immutent. Sæpe tamen, dum malignus humor certas partes occupat, non raro truculenta, atque vitæ noſtræ infeſtiſſima, accidentia in hoc morbo ſuccedunt,

Qualia non Capaneus, non audax Amphiaraus
Sperneret, inverſo nec Mænas torva corymbo,

quæ curandi ordinem intervertere, & ſucceſſum morari ſolent: quotiens ab adhibitis morbo ejusque cauſſæ remediis nihil remittunt, aut etiam exacerbantur; vires, quas ſartas tectas ſervare in maligno morbo medicus debet, valide proſternunt, novumque aliquando morbum producunt; unde ſæpius majus damnum, quàm ab ipſo morbo ægroto, afferri contingit: ut horum gravitate, venenati humoris malignitate jam domita, ægrotos aliquando interiiſſe multorum exemplorum documentis ſit confirmatum. Hinc vulgus medicorum in præcipiti malo trepidat, ancipiti cura, quid emergentibus his novis malis potiſſimum agere, è repreſenti ſit futurum: ita

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Imò ſæpè prudentis & experti medici induſtriam fatigare iſta accidentia ſolent, ut, cui præcipuè ac primò, morbo, ejusve cauſſæ aut ſymptomatis, mederi debeat, ſententiæ dubius exiſtat. *Rapiunt enim conſilium repentina & inexpectata & longe præter rationem accidentia*, ut *Pericles lib. 2. bell: Peloponn:* apud *Thucydidem* ſentiebat.

Digitized by Google

Leniendis itaque ſymptomatis operam dabimus, non qua ſymptomata ſunt, ſed qua aut offenſarum virium, aut novi cujusdam dam affectus cauſſa exiſtunt. Ea vero in re ità transigenda omnia, ut neque laborans malorum ſævitia crudelius torqueatur; neq; delicata mollique medicina, dum ſervili adulatione cubantiś deliciis medicus ſubſcribit, quæ conſanuiſſe videbantur, paulò poſt recrudeſcant. Quin in hoc ipſo morbo venientibus ſymptomatis interdum occurrendum, ne materia maligna in parte nobiliore radices agat, non facile poſtea excidendas: cum experientia ſit obſervatum, ſymptomata etiam leviora inſtantis gravioris mali ſæpe fuiſſe præludia: capitis dolori vigilias ipſamque phrenitidem ſucceſſiſſe, ſiti maximum ſuccreviſſe incendium, qua fauces ambuſtæ, atraque fuligine obductæ, fuerunt, ut cordi omnem aeris liberioris, ventriculo cibi potusque, commeatum interclaſerint; nauſeæ vomitum, cardiogmum, ſingultum, animi deliquium, mox conſectaria fuiſſe.

Principium vero hujus ſymptomaticæ curationis à capitis affectibus ordiar, inde ad cæterarum partium ſymptomata tranſiturus: ubi primùm ſe offert capitis dolor, quem inter principia morbi ægroti fere experiuntur, ex maligni humoris ac vaporis acri & venenata qualitate, quæ cerebri membranas vellicat: quemadmodum quocunque dictus humor vaporque fertur, illic affectarum partium dolores efficit: Ad habitum corporis tralatitius factus moleſtum excitat dolorem, ut membra quaſi confracta & conquaſſata ægri querantur. Sic lumborum dolor frequenter moleſtat, ob principes venas illo decurrentes, quæ, maligno & acri ſanguine refertæ, ſubjectis ac vicinis partibus gravem dolorem communicant. Dolor autem capitis in ſyncipite in primis afficit, ob cauſſas ſuo loco allegatas: qui tamen non eadem ferocia ſemper affligit, ſed interdum acerbe excruciat, ſi ex ſubditis partibus ſublimati ad caput vapores aut humores ſint calidi, acres & mordaces, qui pungentes ac lancinantes intolerabilem dolorem excitant, eo magis heic intolerabilem: quod conjuncta malignitas cæteris qualitatibus potentius operetur, ac inexplicabilem dolorem producat. *Hippocrates* noſter *continentem capitis dolorem in febre acuta* damnabat: quem, *ſi alia gravia ſigna comitarentur, mortem minari Coac: text: 160.* dicebat. Confer ejusdem

3. progn:

3. progn: text: 2. Interdum gravativus & contundens dolor adeſt, contraria veneni qualitate, narcotica ſcilicet, cujus vitio conſimilis humor ac vapor in capite generatur: qui & corpore viſcidis ac frigidis humoribus oppleto, maligno purpuræ calore eos fundente, craſſiorumque vaporum inde facta *ἀναθυμιάσεις*, talis advertitur. Cæterum hic dolor minus acris eſt, & mole quaſi quadam incumbente moleſtus, ægerque in ſomnum proclivis, qui tamen ſtabilis non eſt, ſed comatis vigilis naturam aliquando ſimulat: alia quoque indicia aderunt, quæ veternoſa affectione caput occupari oſtendent.

Cum à. dolor teſte *Galeno lib. 3. m. m. cap. 4. Avicenna lib. 1. fen. 4. doct: 5. cap. 3. & lib. 4 fen. 3. tract: 1. cap. 2.* affluxum humorum pariat, etiam capitis dolor, ſi perſtet, gravioris alicujus mali cauſſa & ſignum erit, ac raptu humorum ad caput, vigilias, delirium, phrenitidem, comatoſum affectum, convulſiones inſtare, monſtrabit, eademque propagatione noxiæ materiæ ſimul efficiet. Quare ut variis cauſſis dolor naſcitur, ita & diverſis remediis tolli, aut mitigari, debet, ſemper habito malignitatis reſpectu, quam ut principem omnis mali cauſſam, alexiteriis tollere conabimur. Si igitur ventriculus atque inteſtina gravem halitum ad caput effundant, excrementorum alvi ſuppreſſione, aut corruptorum humorum copia illic hærente, alvus pigrior enemate aut etiam ſuppoſitorio irritari, ac leviori pharmaco humorum colluvies ex primis viis vacuari debet. Si ſanguinis copia ac fervor venas diſtendat, *phlebotomiæ* fomes mali ſubtrahendus, qua fervor remittit, doloręq; quaſi quodam incantamento ſæpe conquieſcit: parcius tamen vacuandus, quod tam feroci malo curando vires ſupereſſe debeant. Præterea omnia revulſionum genera huc advocentur, quæ humores & vapores *ἀναῤῥόπους* deorſum revellant: *cucurbitulæ* partibus inferioribus cum & ſine ſcarificatione adhibendæ, quæ fluxura materia partibus remotiſſimis apponantur, quò longius revellant: nam ſi maligni humores ac vapores cerebrum jam occupent, partibus capiti proprioribus applicentur, quo materia retrahatur ſimulque evacuetur. Conveniunt etiam revellendis vaporibus *frictiones crurum*, cum linteis aſperis calidis deorſum factæ, item *ligaturæ partium extremarum dolorificæ*. Eodem propoſito *raphani radicem* contuſam cum modico *ſale & aceto* plan-

to plantis pedum alligabimus: vel *rutam*, *fermentum acerrimum*, *ſa-ponem*, *ſalem*, commixta, & *aceto acerrimo* irrorata, pedum plantis admovebimus. *Gallum* quoque *per medium diſſectum*, calentem, cum viſceribus pedum plantis quidam apponunt: alij *harengum* aut *tincam* per medium diſſectam, & ſale conſperſam, applicant, & per 24. horas in loco relinquunt, (niſi gravis fœtor ægrum & adſtantes nimium offendat,) quo potentius trahat.

Si illis communibus remediis intolerabilis capitis dolor non recedat, in cauſſa calida aerem ad moderatam frigiditatem diſponemus, conſperſo pavimento rebus refrigerantibus ac ſuaviter olentibus: æger loco minus lucido decumbat, capitis capilli radantur, quo ψευδοπνεύματα acria & fuliginoſa exitum habeant, & medicamenta topica efficacius penetrare valeant: quæ talia ſint, ut refrigerent, acrimoniam humorum temperent, calorem malignum foras trahant & reſolvant. Nimius refrigerantiũ uſus heic mihi ſuſpectus eſt, metu παλινδρομῆς veneni ad cerebrum, (quo alterato atq; corrupto annon mors in propinquo?) & ἐμφράξεως exilium meatuum, ut per eos tranſpirare materia maligna non poſſit: quorum etiam administratione merito interdicitur, ubi maligna materia cerebro jam impacta, nec facile refluxura, quod materiam magis infigant. Quo tempore, quæ moderato & analogo internum roborent, humecta qualitate ſiccitatem, quæ caloris lima eſt, temperent, ac blando calore interiorem febrilem evocent, refrigerantibus adjungenda. Simplicibus enim ac meris anodynis incipiente morbo non utendum, ne, dum caput laxant & calfaciunt, illud ad recipiendos malignos humores magis diſponant. Sequens epithema pro exemplo erit.

℞. *Nucleor: Perſicor: ceraſor: an:* ʒ ij.
Sem: 4. frig: maj. an: ʒ j ß.
papav: lactuc: an: ʒ j.
Aq. frager: ſimpl: ſambuc: an: ℥ iij.
anethi roſar: an: ℥ ij.
Aceti flor: ſambuc: ℥ j.
theriacal: ʒ ß.
miſc. f. l. a, emulſio, cui addatur

Olei

Olei violar: roſar: an: ℥ *j.* & fronti, ſuturæ coronali, temporibus ſubtepide applicetur. Vel

℞. *Amygd: amarar: N. vj.*
Nucleor: Perſicor: N. viij.
Sem: papav. alb: ℥ *iij.*
cannabis ℥ *ij.*
4. frig: maj: an: ʒ *j.*
Aq: articæ, beton:
ſl: papav: rhœados an: ℥ *iij.*
roſar: ℥ *ij.*

f. l. a. emulſio: quæ remixtis
Theriac: veteris Androm: ʒ *j.*
Nitri puriſſimi ℈ *ij.*
Caphuræ diſſolut: ʒ *ß.*
Sacch: ♄*ni* ℈ *j.* dictis locis tepida apponatur.

Balthaſar Conradinus lib. de febre miſcellanea Ungarica cap. 9. ſequens commendat: quo & ego non ſemel feliciter uſus fui.

℞. *Caphuræ* ʒ *j.*

Diſſolvatur *ſpiritu vini rectificato*, donec lacteſcat: hinc admiſceatur *albumen ovi* optimè conquaſſatum, ac valide ſimul concutiantur: ubi optime remixta fuerint, *aquæ* aut *aceti roſarum* bina cochlearia addantur, & ſtuppa cannabina aut linteolo tepida ſyncipiti, fronti, temporibus, apponantur. Vel

℞. *Ung: alabaſtrin:* ʒ *vi.*
ol: roſarum ʒ *ij.*
Lap: magnet: præp: ʒ *j ß.*
Caphuræ ℈ *j.*
Balſ: roſat: anethi an: g. iij.
apoplect: g. iv. miſc.

Inclinante jam morbo ad digerentia tranſeundum, cui fini *pipiones columbarum* per medium diſſectos, *pulmones arietis* recenter evulſos, capiti imponendos cenſeo, ut moderato calore innatum foveant, humecta qualitate partium ſiccitatem emendent, poros cutis laxent, quo expirare præternaturalis calor poſſit: *pipiones*, ubi jam fœtere

Digitized by Google

inceperint, removeantur: *pulmones* vero, poſtquam refrixerint, aquę ferventi injecti, ac calefacti, denuo capiti adhibeantur, aut alij recenter evulſi in priorum locum ſubſtituantur. Huc faciunt anodyna propriè dicta, quæ blando & temperato calore innatum roborant, meatus adſtrictos reſerant, ac partium tenuitate eos penetrant, humorum acrimoniam temperant, partemq; quo minus impreſſione cauſſæ morbificæ afficiatur, laxant & emolliunt. Quod ſi ex his quædam ad calorem inclinare videbuntur, eo potentius adſtrictos poros reſerabunt, materiam attenuabunt, & per inſenſibilem *διαπνοὴν* reſolvent. Ex quorum cenſu ſunt *chamæmelum, melilotus, malva, anethum, ſambucus, betonica, majorana, radices liliorum alborum, althææ ſemen lini, fœni græci, nuclei Perſicorum*, &c. quæ cocta in lacte pultis craſſitie capiti imponuntur. Ad opiata, niſi ſumma neceſſitas volet, cæteraque in caſſum jam ſint adminiſtrata remedia, devenire nolim; quod monente *Galeno 2. medic: loc: cap. 1. in doloribus capitis raro cogamur opiatis uti, cum illis nemo fuerit lipothymia correptus, aut horum vehementia ſe interfecerit.* Sed nec opiata cauſſam doloris tollunt, nec virtute anodyna demulcent ac temperant; ſed principium ſentiendi obtundunt, ſpiritusque figunt ac conſopiunt, ne objecti dolorifici ſpecies ſenſui communi offeratur. *Profecto adulatoris medici eſt, qui cubantis deliciis ſtatim ſubſcribit, ejusq; voluptatem non ſanitatem pro meta gerendorum habet, teſte eodem lib. 12 meth. med. cap. 1.*

Quod ſi frigidus lentusq; humor, aut narcoticus craſſus ac frigidus vapor dolori cauſſam præſtet, quæ materiam à capite revellant ac derivent, adhibenda. Purgatio, ſi res poſtulet, leniori pharmaco inſtituenda. *Clyſmata* inprimis heic ſuum locum invenere, quæ materiam in inteſtinis hærentem vacuent, atque ſublatos vapores in caput, aut eo ruentes humores, ſtrenue revellant. Parantur ex *radice althææ, liliorum alborum, pæoniæ, dictamni albi, angelicæ, Herb: mercurialis, malva, althæa, ruta, ſalvia, beton: chamæmelo Romano. Semi: lini, fœni græci, baccis lauri, juniperi, agarico in peciis ligato, Summ: centaur: min: floribus chamæmeli, meliloti, pæon*, &c. Decocti colati & expreſſi ſelibræ aut ℥viij. *Electuaria diacarthami, diaphœnicôn, bened: laxativæ*, aliave, nota quantitate permiſceantur, junctis *oleis chamæmeli, baccar: lauri*,

lauri, rut: de caſtor, &c. ac ſalis momento. *Ligaturæ ſtrictiores* brachiorum, pedum, ex cerebro ad ſubjectas partes humores retrahunt: quod & faciunt *frictiones inferiorum partiũ deorſum ductæ. Veſicatoria* ad nucham & brachia commendantur applicata. *Apophlegmatiſmis* etiam itemq; *errhinis* detentam in capite materiam prolectare ſtudebimus. Hinc capiti raſo, quæ intemperiem conceptam alterare, materiam malignam evocare & caput roborare queunt, adhibenda, ut *oleum, in quo maduere majorana; ſalvia, ſerpyllum, radices dictamni alb: angelic: lignum aloes, ſtyrax, flores lavendulæ, roſarum, pæoniæ.* Euporiſton eſt *ſal toſtus cum pulvere ſeminum cumini, baccarum lauri ac floribus chamæmeli,* capiti impoſitus. Sacculus etiam ex *ſalvia, majorana, roſmarino, flor: ſtœchados Arabicæ, lilior: convallium, ligno aloes, caryophyllis, ſem: fœniculi, carui, cumini,* præſertim ſi flatus permixti ſint, capiti admovetur: quo vero penetrantius horum medicamentorum vires permeent, *aceto fl: tunicæ, rutæ, ſambuci, roſarum,* irrorari, & calefactus applicari poterit. Conferet & *linimentum ex theriaca, mithridatio, ſtyrace,* cum *olei rutacei* q. ſ. paratum, capiti inunctum.

Lumborum dolor, frequentiſſimus huic morbo, clyſteribus refrigerantibus & anodynis mitigari ſolet: qui ex *decocto hordei, radic: lilior: alb: alth: fol. malv: violar: chamæmelo Romano, anetho, oleis violarum, roſarum, ſambuci, vitellis ovorum & ſaccharo* conficiuntur. Intus proderit exhibere *emulſionem ex amygdalis, ſem: 4. frig: major: violar: papaver: albi, cum aqua fragor ſimpl: acetoſæ, flor: malvæ, roſarum* paratam, *ſyrupo fragorum, capillorum veneris, fl: papav: rhœados,* aut *roſ: manus Chriſti ſimpl:* aut *perlat:* dulcoratam: cui quid *magiſterii ſuccini, ocul:* ♋ & C. C. admiſceatur. Foris *oleum ſcorpionum ſimplex* cum *oleo roſarum, violarum,* pauca *caphura* ac *nitro* renibus dolentibus inungemus. Reliquarum partium dolores communibus morbi remediis curantur: quibus ſi non cedant, inunctionibus digerentibus, modicis frictionibus cum linteolis calidis, utemur: quo reſolutis pravis vaporibus doloroſa & moleſta laſſitudo membrorum quieſcat; namq; inclinata in melius valetudine dolores ſua ſponte evaneſcere conſueverunt.

CAPUT

CAPUT XXX.

De Vigiliis.

Vigiliæ, purpuratæ febri admodum familiares, acerrimis doloribus plerumque naſcuntur, quod objecti dolorifici ſpecies ſenſus interiores perpetuo excitet; cum ſomnum quandam animalis facultatis quietem eſſe ſtatuat *Galenus lib. 1. de ſympt: cauſſis cap. 8*, & *Ariſtoteles lib. de ſomno & vigilia c. 1.* ſcripſerit, *ſomnum eſſe ſenſus immobilitatem quandam, & quaſi nodum ac vinculum: quod animalis facultas munere ſuo in ſenſuum functionibus, aut nihil, aut parum omnino fungatur.* Præterea cum dolores acerrimi ſpiritus & humores, qui in ſomno quaſi ligari videntur, à cerebro, omnis ſenſus principio, & partibus interioribus ad partem adfectam trahant, facultatem animalem eo ſimul diducunt, unde inquies illa oboritur: quam eſſe *extenſionem animæ à principio ad omnes corporis partes* dicebat *author definitionum medicarum.* Sæpe nullis aut etiam levioribus doloribus præſentibus morbi maligna qualitate pervigilium in ipſo morbi principio oboritur, ſecus quam in aliis putridis febribus fieri ſolet; in quibus aucto fervore ſanguinis vigiliæ ſuccedere notum, ut *Gal. 2. aph: comm: 3.* vigilias immodicas, propter calorem primæ ſenſitivæ partis, vel ex humoris bilioſi abundantia, fieri dixerit. At maligna & deleteria purpurę qualitas multo potentius ſimplici aliarum febrium calore agit, dum humores, quibus adhæret, maligno calore prave corrumpit; unde acres & venenati vapores ad cerebrum exhalantes ſpiritus animales varie percellunt, incendunt & agitant.

Vigiliæ in purpura ſæpe maximum faciunt negotium: quod vires inde maxime fatigentur, magnaque caloris nativi ac ſpirituum fiat diſſolutio, docentibus *Galeno lib. 12. m. med. cap. 1.* & *5. Avicenna lib. 4. fen. 1. tract: 2. cap. 55.* & *lib. 3. fen. 11. tract: cap. 6. in fine.* Sed & delirij prænunciæ eſſe ſolent, *Hippocr: in prognoſt*: ſi præſertim manuum tremor appareat, feſtucas colligant, ſomno, ſi is obrepat, inquieti ſint, & abſurda loquantur, ac torvum tueantur: materiam r-

rum

nim acrem & malignam ſurſum ad caput effumare demonſtrant: quin & ipſæ vigiliç raptu humorum ad caput delirium aliquando generant, cum eos adurant; authore *Avicenna lib. 1. f. 2. doct. 2. cap. 14.* Ita *Agathinus*, præceptor *Archigenis* ex vigiliis deliravit, teſte *Aetio l. 3. cap. 172. Vigilias, ſi modum excedant, malas* dicebat *Hippocrates 2. aph: text. 3.* Cujus pariter judicio *2. prognoſt: text: 12.* adducto *peſſimum eſt, ſi neq; noctu neq; interdiu æger dormiat: dolor enim ac labor & deſipientia ab eo indicio ſignificatur. Galen: comm: 2. ad 1. epid: ſuper text: At cum febres ardentes &c.* vigiliarum ſymptoma in febribus ardentibus ſemper exitioſum eſſe volebat. Quæ eo magis damnoſæ, ſi gravioribus conjunctæ fuerint accidentibus. Ita in vigilia convulſio aut deſipientia, mala, ex mente *Hippocratis 7. aph: 18.* quibus alia parallela loca authorum conjungantur.

In removendis vigiliis cauſſa earum accidi debet iis medicamentis, quæ malignam qualitatem, unde omnis fundi calamitas, extirpare valent, ſedatis ſimul doloribus, qui nocturnam quietem turbant. Præter hæc, quæ vapores & humores ad cerebrum ruentes deorſum revellunt, adminiſtrentur; *clyſteres*, maxime ſi ex alvo ſuppreſſa ſurſum effumet teter halitus: *cucurbitulæ* cruribus admovendæ: *frictiones* item *partium infernarum*. Hinc, quę vaporum atq; humorum acrimoniam temperent, eorum adſcenſum intercipiant, cerebrum alterent, ac grato vapore imbuant, exhibenda: emulſio *amygdalarum dulcium excort: Sem: 4 frigidorum majorum, lactucæ, papaveris albi, cum aqua fragor: roſar: lactuc:* parata, poſtea *ſyrupo fragor: lactuc: diacod: fl: papav: errat:* dulcorata: quibus C. C *phil. præpar:* aut *magiſterium* C. C. *perlarum, ſuccini, lapis Bezoar,* aliaque pro domanda malignitate adduntur. *Proſper Alpinus lib. 4. med: Ægypt: cap. 15.* emulſionem ex *ſemine pſyllij & papaveris* cum multa *aqua lactucæ* factam in vigiliis laudat. Proſunt *caules lactucæ conditi: conſervæ fl: violarum, nenufaris, papaveris, ſyrupo diacodeion* exceptæ.

Foris eadem, quæ in capitis doloribus, ex cauſſa calida obortis, propoſita fuere, imponi ſolent: ut emulſio ex *nucleis Perſicorum, ſemine cannabis, lolij, 4. frig: maj: lactucæ, anethi cum aqua lactucæ, roſarum, anethi* facta, adjecto momento *croci*. Inunctiones capitis fiant cum *oleo violarum, nymphææ, anethi*. A fortioribus refrigerantibus & repel-

lentibus cavendum, ne materia venenata intro repellatur. Lotiones quoque manuum & pedum profuturæ ex decocto *foliorum lactucæ, ſalicis, vitis, papaveris, fl: ſambuci, nymphææ: chamomillæ, anethi, capitum & ſeminum papaveris*: quibus & facies lavari atq; vaporari poteſt. *Hippocrates*, aut ſi quis alius *author, lib. de liquidorum uſu prope principium*, aquam capiti aliisque partibus affuſam ſomnum conciliare teſtatur, tepidam ſcilicet, ut vult *Foeſius in comm:* & ex textus cohærentia patet. *Balnei n. ſimplicis aqua licet actu calida ſit, potentia tamen refrigerat* ex ſententia *Galeni lib.1 ad Glauc: 9.& 6. epid: ſ.5. comm: 36.* quod eo magis faciet iis incoctis, quæ fervorem & acrimoniam humorum temperare atque demulcere, ſomnumque vaporoſa ſua ſubſtantia producere, queunt, refrigeratis & impeditis ſpiritibus, ne ad organa ſenſuum ferantur: cum alias *ſimplex balneum ſomnum profundum facere ſoleat*, ut præter cottidianam experientiam teſtatur *Galenus 4. de ſanit. tuend: cap. 4.* Qui *lib. 3. de loc: aff: cap. 5.* medicos vigilantibus phreneticis, caput irrigare conſueviſſe docet: namque *balneæ, quia caput madefaciunt, ſoporiferæ ſunt, eodem authore loco citato.* Ita *Avicenna* in febrium vigiliis *lib 4. f.1. tr: 2. cap. 20.* non tantum frigida odorari ac capiti adhibere, ſed & caput decocto tali vaporare, jubet. *Aetius lib 5. de re med. cap. 177.* ex *Herodoto* & *Philumeno* in talibus vigiliis conferre exiſtimat *ſuffumigium* ibidem recenſum, item *thymiama Beronicæ* ſeu *Berenices*, deſcriptum ab eodem *lib. 13. cap 119.* quamvis horum fumus ob calorem ſuſpectus eſſe poſſit, ut vaporum humectantium & refrigerantium exhalatio omni noxa caret. Nec caput his repleri quis dicat, eamque ob rem temere vaporari ſic affectos. Dum enim replent, ſimul alterant, ſiccitatem humectant, calorem obtundunt, ſpirituumque mobilitatem apprime figunt. Quibus, præmiſſis univerſalibus, eo tutius utemur; ita tamen, ut, dum pedes manusque lavantur, vaporq; faciem ferit, frigidi aeris occurſus penitus caveatur.

Alia quoq; huc adduci poſſunt, quæ ſpiritus recreare, & ad ſenſuum principium reductos ad quietem invitare ſolent. Ita jucunda confabulatione amicorum ægrotis ſomnum aliquando obrepere videmus: quod muſica & ſuavi cantu facilius obtinebimus. De *Mæcenate Seneca lib. de providentia cap. 3.* memoriæ prodidit, *ei amoribus*

anxia

anxio, & moroſæ uxoris quotidiana repudia deflenti, ſomnum per ſymphoniarum cantum, ex longinquo lene reſonantium, quæſitum. Sic ad lenem ſtrepitum fluentis rivi in ſylvis ſomnum veteres ducebant. Quo ſpectat illud *Horat: lib. epod: ode 2.*

Labuntur altis interim ripis aquæ,
Queruntur in ſylvis aves,
Fonteſq; lymphis obſtrepunt manantibus,
Somnos quod invitet leves.

Ad cujus rei imitationem fontes arte factos, qui continuo ex alto delapſu aquam in ſubjectam pelvim extillent, fabricare licet, *Silanos* dictos *Cornel: Celſ: lib. 3. cap. 18.* Et in peſte *Attica* teſte *Lucretio lib. 6. de rerum nat:*

Corpora Silanos ad aquarum ſtrata jacebant.

Paulus Ægineta lib. 1. cap. 98. ſomno alliciendo quoſdam ſonum aquæ placidum machinari ſcribit. Dictum quoque *Mæcenatem aquarum fragoribus mentem anxiam avocaſſe loco citato Seneca* tradit: quibus artificioſos euripos eum intelligere, ut ſtatuam, adducor ex ejuſdem *Senecæ epiſtola* C. ubi *conciſuras aquarum, cubiculis interfluentium,* allegat: artificiales enim euripos in cœnationibus, æſtivis præſertim, *Romani* habuere, quo aerem æſtivum refrigerarent, & blando ſonitu labentis aquę aures oblectarent, ac, ſi res poſtularet, ſomnum provocarent. Quo ſpectat mox adducti *authoris lib. de tranquill: anim:* locus. *Quid perlucentes ad imum aquas, & circumfluentes ipſa convivia loquar?* Alius præterea talium aquarum uſus à *Seneca lib: 3. nat: quæſt: cap. 17.* allegatus, magnô ſtupendæ *Romanorum* luxuriæ documentô. *In cubili,* inquit, *natant piſces: & ſub ipſa menſa capitur, qui ſtatim transferatur in menſam. Octavius Horatianus l. 2. rer. medic: c. 2.* phreneticis, quos contumaces vigiliæ afficiunt, *Lectum ſuſpendendum & ad vicem geſtationis agitandum* monet: *frequenter enim ex illa lecti motione veluti & mentis oculis, & mentibus occupatis, ſomnos his dulciſſimos procurabimus. Cornelius Celſus loco relato ſuſpenſi lecti motum* ad ſomnum conferre ſcribit. *Aſclepiadem* inter cætera blandimenta excogitaſſe ſuſpenſionem lectulorum *Plinius l. 26. nat: hiſt: c. 3.* memorat, quorum *jactatu aut morbos extenuaret, aut ſomnos alliceret.* In componendis ad

 ſo-

ſomnum infantibus, cantu & cunarum agitatione idem nutrices obtinent.

Quod ſi talibus nihil proficiamus, fatigare ægrum oportet, quo laſſus ſopore tandem quieſcat: nullo tamen alio exercitio, quam ut oculorum ſtabili fixoque intuitu rem aliquam lucentem intueatur: namque continuo lucidæ rei aſpectu oculi delaſſati connivebunt, atque ad ſomnum ſe diſponent. Quod auxilij genus à ſummo præceptore *6. epid. ſ. 4. text: 17.* propoſitum, dum inquit: *Somnus ſtabilis, rectorum nictatio. Galenus in comm: dicti loci*, eos, quos firmiter, hoc eſt, profunde dormire volumus, tantiſper vigilantes cuſtodiri vult, dum conniventes conſiſtere non poſſint: quod, ſi ad hoc pervenerint, in altum ſoporem vertantur: *namq; multos ego,* verba Galeni ſunt, *quod citius cubitum irent, male dormientes, diutius vigilare cogens, ut poſtea ſuaviſſime dormirent, effeci. Sicut quoſdam de amiſſo appetitu conquerentes ad multam diem inedia macerans eſurientes reddidi.* Ita *Paulus Ægineta lib. 1. de re med: cap. 98.* poſt prægreſſam laſſitudinem, quietem de repente ſuccedentem ſomnum induxiſſe, memorat. *Aetius lib. 5. de re med: cap. 116.* in pertinaci *ἀγρυπνίᾳ* ex ſententia *Galeni* manus & crura deligari jubet, hora ſomno capeſſendo conſueta, hortaturque ut aſſidue aperiant, ac claudant palpebras, donec ſatis fatigati fuerint. Deinde repente ſolvit ligamenta, tollitque lucernam, multamque quietem eſſe præcipit. Quæ iiſdem prope verbis referunt, *Paulus Ægineta lib. 2. cap. 42. Oribaſius lib. 7. ſynopſ: cap. 31. Avicenna lib. 4. tract: 2. ſen: 1. cap. 20.* idem auxilium commendat: cujus interpretis verba huc apponam. *Deinde multiplicentur inter manus ejus candelæ, & eleventur voces cum fabulis, & ligentur cum inſtitis extremitates ejus ligatione doloroſa parum, cum anſis, quæ reſolvantur velociter. Deinde præcipiatur ei ut dormiat, & claudat oculos, quumq; dormit parum, extinguantur candelæ, & ceſſent voces, & ſolvantur anſæ, quoniam dormiet.* Quod auxilij genus, non ſine ratione, multaque obſervatione, comprobatum, ſumma cura à medico adminiſtrandum, ne, dum ægrotum ſomno arcet, naturæ vim labefactet ſimul, atque is vigiliis exhauſtus ad ſomnum reduci poſtea plane non poſſit.

Omnibus fruſtra uſurpatis, ſi vigiliæ invictæ perſtent, quæ levi ſtupore cerebrum conſopiunt, ſpirituum volatilem ſubſtantiam figunt,

figunt, humorumque motum ſiſtunt, ne ita ad organa ſenſuum copioſe fluant, poſtremum adhibenda: quæ, quod caput gravent, καρηβαρικὰ dicta: quibus Ægyptij narrante *Proſpero Alpino lib. 4. med: Ægypti cap. 2.* ad conficienda ſibi jucunda ſomnia utuntur, *opio ſcilicet, ſucco mandragoræ, lolio, folio cannabis*, quam propter excellentiam *herbam* vocant: quibus jungo, quæ ex *papavere, hyoſcyamo, ſolatro* parantur. Illa enim, ut ſentit *Aretæus lib. 1. curat: morb: acut: cap. 1.* incraſſant ſanguinem, madefaciuntque ſpiritum aridum tenuemque, & caliginem quandam ſenſibus obducunt: id vero eſt ſomni principium. Compoſita de genere hoc medicamenta plurima ab antiquitate prodita fuere. *Philonium Romanum, Perſicum, Requies Nicolai, Pilulæ de cynogloſſa, Antidotus* ἀχάριστος *Marcello dicta lib. de med: cap. 20.* ob properos & efficaces medicamenti effectus, quo cito reſtituti ægroti, cita morbi curatione, medico mercedem ſæpe negant. *Antidotus* πολύχρηστος *Nicolai Myrepſi de antidotis ſect: 2. cap. 225. Theriaca* [illegible] & [illegible] alia. Noſtro ſæculo celebratiſſimus uſus eſt *Laudani Opiati*, quod *Theodorus Zuingerus Nepenthes* primus vocavit, ob admirandas ejus vires, & quod effectu quaſi ἄλυπον καὶ ἀπενθὲς ipſum Νηπενθὲς *Helenæ* apud *Homerum* æmuletur.

De præparatione *laudani opiati*, ipſiusque *opij* jam non agam, quod et in re ſatis ab aliis ſit laboratum: quorum pleræque præparationes *laudanorum* multo majorem invenere laudem, quam veterum receptæ *opij* correctiones: dum hi, frigiditati potiſſimū intenti, ei tollendæ inprimis laborarunt, iſti vero, venenatæ ſulphuris in *opio* corrigendæ qualitatis maxime ſolliciti, *opio* talia junxerunt, quæ cor & cerebrum adverſus infeſtam *opij* qualitatem roborare poſſint.

Hujus *laudani Opiati* granum unum atque alterum, *ſyrupo violar:* aut *papaveris* diſſolutum, miraculo propius dolorem implacabilem ſiſtit, aut indicias doloris facit, invictasq; vigilias tollit, ut interea temporis, dum dolores quieſcunt, ac ſomnus occupat, natura collectis viribus, adjuta ope remediorum, doloris cauſſam ipſumque morbum feliciter expugnet. Quantitas *laudani* augeri vel minui poteſt, pro vigiliarum magnitudine & ipſius ægroti conſtitutione: quæ tamen ita moderanda, ut potius intra mediocritatem ſubſiſtamus, quàm temeraria medicinâ cum vigiliis ipſam vitam tollamus,

Digitized by Google

lamus, aut indelebilem dati *opij* characterem in ægroto relinquamus. Si itaque neceſſitas quantitatem hujus remedij augeri poſtulet, non unica vice tantum dabimus, ſed, una alterave hora intercalari, tertiam aut dimidiam remedij decreti partem offeremus : ut, ſi ſomnus obrepat, quod reliquum eſt, in aliud commodum tempus differatur. In ſenibus minore copia datur : infantibus & pueris temere fere exhibetur, quod cerebrum infirmum ac debile adhuc dum habeant, ut tam validi remedij uſum ſuſtinere non poſſint: cum ab *opij* uſu eos ſtupidos redditos ſit obſervatum. Sic ventriculo debiles ore potius contineant *laudanum* : imo in ſummè debilibus & ubi mors in propinquo, religioſe ab hujus uſu cavendum, *ne, quem obdormire volumus, excitare poſtea non poſſimus, Cornelij Celſi lib. 3. de re med. cap. 18.* monito. Ea enim ratione remedium, quod multis ſaluti fuit, imprudenter medicus diffamabit, contra præceptum *Galeni lib. 11. m. m. cap. 9.* ſæpeque occiſi à ſe ægroti ſuſpicionem, quem tamen ſors propria interemit, præſertim apud vulgus, vix declinabit. Novi medicum doctum, jam ſuo fato functum, admodum debili ægro, Nobili Holſato, laudanum opiatum imprudenter exhibuiſſe, ægrotum vero ſomno correptum inter dormiendum vitam cum morte commutaſſe: quæ res optimo viro maximam peperit calumniam. Cujus vitandæ ergo in magna virium imbecillitate, ſi res exigat, ægrotis clam & ſpecie alterius remedij *laudanum* dare ſoleo: quod multi ejus uſum reformident, & infauſtos morborum eventus adminiſtratis remediis temere adſcribere ſoleant. Inſtante aut præſente criſi opiatorum & aliorum narcoticorum uſu abſtinendum duco, ne ſalutaris iſte naturæ conatus impediatur, quod quemcunq; motum humorum ſiſtant.

Exterius naribus illinatur *balſamus anethi & roſarum* cum *laudano opiato*; aut *ellychnia* inde confecta cum *ſtyrace & parva cera* patulis naribus immittantur: quæ, poſtquam ſomnus ægrum ſatis diu detinuit, removenda, locusq; ab uſu narcoticorũ probe abſtergendus, aut aqua calida aliove convenienti liquore abluendus, ne pars ſtuporem contrahat, aut vis medicamenti narcotica continua ἀναθυμιάσει cerebro penitius imprimatur.

CAPUT

CAPUT XXXI.

De delirio & phrenitide.

VIgiliis in hoc morbo plerumque deliria ſuccedunt, quæ ſæpe per ἐπιγένεσιν quandam in veram phrenitidem degenerant: quotiens acres maligni vapores aut humores in cerebrum effuſi, qui delirio cauſſam præbent, mentemq; turbant, cerebri ſubſtantiæ ejusq; membranis infiguntur: quo deleteria purpuræ qualitate, alterato, humorumq; malignorum affluxu concepta conſimili inflammatione, principes animæ facultates offenduntur, ut non niſi depravate functiones ſuas perficere poſſint; purpuræ pernicie & heic ſummorum venenorum, toxici inprimis, æmula. *Qui enim toxicum biberunt, incoercitus furor* referente *Dioſcor: lib. 6. cap. 20.* & *P. Ægineta lib. 5. cap. 53. variis in imagines obverſat: quare vix medicinæ locus eſt, raroq; qui hauſerunt, evadunt. Sed qui periculo defuncti ſunt, diu lecto decumbunt, & ubi ſurrexere, ſtupide reliquum tempus degunt.* Pariter & in purpuratis deliriis variis mendacibus viſis luduntur ægroti, & abſurda ratiocinantur, ſtabili interdum ac incorrupta, ſæpe adeo graviter læſa, memoratrice, ut matulam petentes mictionis obliviſcantur: ſed & prægreſſæ παραφροσύνης characteres impreſſi diu, ſæpe cerebro inhærent, reſtibili principum facultatum quodam ſtupore, exacto jam morbo, & ægro indies magis convaleſcente: argumento evidentiſſimo, multo gravius heic, quàm in cæteris morbis mentem alienantibus, affectam cerebri conſtitutionem, ut non niſi longa die priſtinum ſuum ſplendorem poſtliminio reciperare queat.

Imminentis delirij indicia pete ex *Hippocratis Coac:* 47. & 76. Qui *deliria, quæ cum riſu fiunt tutiora, at quæ ſtudio adhibito, periculoſiora,* judicavit *lib. 6. aph: text: 53.* Et *Coac* 85. & 155. item *lib. 1 porrhet: text. 26.* ait *Quæ ſenſim fiunt mentis emotiones in ferinas evadunt: quin & convulſiones minantur.* Ea vero deliria perículoſiora cenſentur, quæ aliis gravibus ac lethalibus ſymptomatis comitantur: talia enim periculum

riculum

Digitized by Google

riculum augent, aut mortem jam inſtare prænunciant. Unde *Hippocrates Coac: text: 83. Turbulentæ cum confidentia expergefactiones, quæ mentem emovent, malo ſunt, atq; convulſiones minantur, præſertim vero ſi cum ſudore contingant.* Et *deſipientiæ quæ jam fractis viribus ſuccedunt, peſſimæ Coac: text: 10.* Item *ſi delirio adſit ſtridor dentium, in ægroto, cui à puero non eſt conſuetum, exitiale admodum eſt Coac: text: 235. & 1. progn: text: 21. Sic coac: 89. Deſipientia cum difficultate ſpirandi & ſudore lethalis eſt. Quin & cum difficultate ſpirandi & ſudore mortem adfert. Deſipientiæ cum ſopore convulſiones minantur Coac: 84. Vehementes inſaniæ cum vocis defectione perdunt, Coac: 254.* Pariter *ſi vox fiat clangoſa, ſi æger non videat, non audiat, oculi ſi lucem ſubterfugiant coac: 218, involuntarie lachrymentur, pervertantur, aut grave periculum, aut mortem præ foribus jam adeſſe minantur.* De quibus & conſimilibus aliis *Hippocrates in prognoſticis, prorrheticis & Coacis prænotionibus* fuſius egit: quo ablegare potius lectorem meum volo, quàm longa horum repetitione eundem diutius heic attinere.

Idem judicium eſto de phrenitide ac cum illa concurrentibus affectib⁹; ea enim, cum delirio multo periculoſior ſit; heic maximè funeſta eſt: quod ex pravorum & venenatorum humorum copia, membranas cerebri inflammante, oriatur, ut ſimplici phrenitide ocius ægrum jugulare poſſit: cujus malignæ phrenitidis exemplum *Hippocrates* nobis propoſuit *3. epid: ſect: 3. text: 75.* qua æger tertia die morbo defunctus, *à qualitate ſuccorum virulentium, non à phrenitide peremptus*, ut ſentit *Galenus in hujus loci commentario.*

Quod ſi alia graviora ſymptomata phrenitidi conjungantur, quemadmodum in delirio, ita & heic majoris & inſtantis perniciei notas dabunt. Sic *phrenitidi adjuncti tremores lethales Coac: 97.* magnam enim & inſanabilem cerebri debilitatem ſignificant, quod non alteratum ſolùm ſit cerebrum; ſed & maximè debilitatum. Ita *phrenitis magna cum virium debilitate funeſta eſt*, quanquam mitior appareat, leviuſque delirare ægri videantur: quod ſpiritibus & humoribus abſumptis inſtrumenta explicandi furoris deſint. *Alexander Trallianus lib. 1. cap. 13.* phrenitidem hanc morbo progreſſo, viribusq; extreme debilibus, incidere autumat: *cujus exigua appareant indicia, ut nonnulli etiam aliam phrenitidis ſpeciem eſſe arbitrentur. quamvis*

non

non alia ſit; ſed ægri per initia turbulenti ſiant ac furibundi, bile ad cerebrum tendente: poſtea autem, æquabili intemperie in totum cerebrum diſperſa, non amplius valde turbentur, & inordinata furioſaq; nugentur, neq; vocem edere propter imbecillitatem potentes, neq; decubitus figuram mutantes neq; valide exilientes: manus ſolum inordinate jactitent, ut quidam ignorantes ægrum quærere aliquid, &, ſi inveniat, velle continere, ſuſpicentur: nonnulli ipſorum ne palpebras quidem propter vires jam ante defatigatas aperire poſſint: ſi enim aliquando aperiant, ubi paulisper reſpexerint, ſtatim rurſus propter infeſtantem humorem connivent. Hippocrates lib. 1. prorrhet: text: 33. tales deſipientias *obſcuras, tremulas & blandas ac contrectabiles* vocat, atque *valde phreniticas* eſſe dicit. Obſcuras appellat, quod medicis ignaris & aliis adſtantibus difficulter cognoſcantur: cum adeo quieti ægri decumbant, ut pauca admodum loquantur, nec aliena faciant, & ſpeciem dormiturorum præbeant: tremulas; quod etſi man⁹ quiete moveant, quaſi aliquid contrectare velint, tremere tn. diligenter intuentibus videantur: quod utrumq; imbecillitate virium accidit, quoniam principio, ubi bilis non dum toti cerebri corpori permixta, tumultuoſæ ac ferinæ ſunt deſipientiæ: procedente vero tempore, jam penitus alterato cerebro, quaſi hecticæ fiunt, ac blandæ miteſque adſtantibus videntur, nullo tum ſenſibus comperto, hecticarum febrium inſtar, exceſſus quas incipientes phrenitides easque ſimplices, (nullis malignitatis præſentis veſtigiis,) à bile productas, vix ſolubiles judicabat *Galenus in exegeſi loci præſentis.* ut eas inveteratas, conjuncta præſertim tanti morbi malignitate, incurabiles fore pro certo habeam. *Confer: text: 8. lib. 1.* prorrhet: de *παρεξαδυναμηκόσιν*, prælanguentium, deliriis.

In curatione phrenitidis ac delirij omnia revulſionum genera adhibeantur: alvus clyſtere vacuetur: quamvis & leni pharmaco illa excludendæ bilis ergo interdum poſſit ſolvi; quo morbo fomitem ſubtrahamus, ac materiam, quæ ad caput ſurſum fertur, deorſum revellamus: frictiones partium extremarum, ligaturæ earundem ſtrictiores, item cucurbitulæ cum & ſine ſcarificatione cruribus appoſitæ, revellendis humoribus conferunt: nam ſuperioribus partibus ſi applicentur, cervici atq; humeris, metus eſt, harum tractrice valida virtute humores ſurſum duci. Illis fruſtra adminiſtratis, ad materiæ jam

Digitized by Google

in cerebro contentæ evacuationem, ſi vera phrenitis illud occupet, venam frontis reſerandam cenſet *Ludovic: Mercatus*; in quo caſu doctiſſimus *P. Salius Diverſus de febr: peſt: cap. 21.* uſum hirudinum laudat, ut interioribus narium partibus applicentur: quo unico remedio plures morti proximos ſervatos memorat. Poſt quæ talia dentur, quæ acrimoniam & fervorem humorum temperare & extinguere, atque adſcenſum vaporum ac humorum impedire ſolent, (commixtis aliis, quæ malignitati virtute alexiteria adverſentur,) frigida ſcilicet, aut certe temperata: quorum ſeriem ſuperius enarravi.

Exterius mihi probata, quæ materiam in capite alterant & ſimul reſolvunt: nam à meris refrigerantibus & repellentibus abſtinendum moneo, ob noxam, quam venenati humoris recurſus afferre ſolet, & quod frigidorum topicorum uſu materia magis figatur, pori occludantur, ne tranſpirare malignus humor poſſit. *Emulſiones ex amygdalis amaris, nucleis Perſicorum, ſeminibus lactucæ, 4. frig: maj: cum aq: ſambuc: urticæ, roſar:* factæ, adjecto *caphuræ* momento capiti raſo tepide apponuntur. *Oleis* quoque *violarum, roſarum, chamæmeli, anethi, rutæ, ſambuci, liliorum*, remixto *caphuræ* & *theriacæ* modico, hapſus lanæ imbuitur, eoque caput fovetur. *Aetius tetrabibl: 1. ſerm: 3. cap. 172.* teſtatur, *Archigenem* præceptorem ſuum *Agathinum*, ex vigiliis delirantem, confeſtim à dolore & vigiliis liberaſſe, capite ejus multo oleo calido irrigato. Quod & heic *violaceo* fieri permitto: namque flammeus purpuræ calor omnia in corpore exiccat, & abſumit ingenitum humidum: cui in capite conſervando, alterandæ & diſcutiendæ materiæ auxiliatur *gallus* aut *columba diſſecta* & capiti impoſita. In declinatione digerentia majori quantitate adhiberi, aut etiam ſola, debent, ut *anethum, betonica, thymus, ſerpyllum, majorana, ruta* &c.

Omnibus a. ſic affectis ſomnus & difficilis & præcipue neceſſarius eſt: ſub hoc enim multi ſaneſcunt teſte *C. Celſo lib. 3. de re med: cap. 18.* Prodeſt ad id atque ad mentem ipſam componendam crocinum unguentum cum irino in caput datum, item alia, quæ immodicis vigiliis prodeſſe dixi; ea tamen in accipiendis aut adhibendis refrigerantibus ac narcoticis moderatione adhibita, ne in lethargum com-

compellant. *Facile enim* teſte C. Celſo eodem loco & *Aetio tetrabibl: 2 ſerm: 2. cap. 2, in iu, qui immodice perfrigerantur, tranſitus fit à phrenitide in lethargum.*

Urina, quæ ut plurimum pigrior heic reſtagnat:(quod mictionis obliviſcantur phrenetici,)ne veſicam diſtendat,inflammationem producat, aut ad partes internas corporis recurrat, provocari debet inunctione pubis ac perinæi cum unguento laxante atque emolliente; ut *unguento dialthææ* cum *oleo amygd: dulcium, lilior: alborum, ſcorpionum, ſpermate ceti, olei ſtillat: baccar: junip: petroſel:* paucis guttulis. Vel ſpongia imbuta, aut veſica ſemiplena decocto *radicum lilior: alborum, althææ, petroſelini, ononidis, herb: malv: althææ, parietariæ, chærefolii, baccar: juniperi, ſemin: petroſelini, malv: althææ, lini, fœni græci,* partes dictæ foveantur. Ex iisdem quoque confecta cataplaſmata diſtentæ pubi adhibentur: quin & veſicæ regio præmiſſis fotibus manu leniter compreſſa affatim profundere urinam in talibus ſolet.

Aer, in quo æger decumbit, temperatus ſit, aut ad frigidum inclinet; qui, ſi talis non ſit, arte efficiendus. Antiqui fere hujusmodi ægrotos referente *C. Celſo* in tenebris habebant: eo quod eis contrarium eſſet exterreri, &, ad quietem animi ipſas tenebras conferre aliquid, judicarent. At *Aſclepiades*, tanquam tenebris ipſos terrentibus in lumine habendos eſſe dixit. Neutrum tamen perpetuum eſt: alium enim lux, alium tenebræ magis turbant, reperiunturque, in quibus nullum diſcrimen deprehendi vel hoc vel illo modo poſſit. Optimum itaque eſt, utrumque experiri, & habere eum, qui tenebras horret, in luce, eum, qui lucem, in tenebris: quod & fieri volunt *Aetius tetrabibl: 2 ſerm: 2. cap. 2. Aretæus lib. de cur: acut: morb: cap. 1.* Quod ſi nullum diſcrimen æger faciat, ſi vires habeat, loco lucido; ſi non habeat, obſcuro ponendus eſt. Parietes læves ſint, æquales, neque feſtucas, aut aliquid exertum aut eminens habeant, neque picturis exornentur: quod præ oculis falſa quædam ſimulachra obverſentur, & quædam non eminentia tanquam eminentia manibus contrectent, ut notat *Aretæus*, Quamobrem *Paulus Ægineta lib. 3. de re med: cap. 6* decumbere ſuadet loco temperiem ac lucem moderatam habente; ex quo exceſſe vult picturas varias, quod turbatio-

Digitized by Google

nem inducant. Cum enim cerebrum in phrenitide multis pravis vaporibus oppletum ſit, qui ſpiritus, per quos rerum ſpecies phantaſiæ offeruntur, perturbant atque inquinant, accidit, ut oblatæ rerum ſpecies aliæ appareant, quàm revera ſunt; quas etiam, phantaſiâ morbo jam ante corruptâ, ratio dignoſcere nequit: quemadmodum, qui *toxicum* bibere aut *hyoſcyamum*, cum hæc venenato ſuo vapore ſpiritus lucidos imbubinent ac commoveant, variis viſis percelluntur: quibus vel peregrina ſimulachra obverſantur, aut, quæ levem quandam ſimilitudinem habent, pro veris æſtimantur. Sic qui ab *hyoſcyamo* mentem turbatam habent, pleraque majora arbitrantur, quàm ſunt; namq; paleam projicientes lanceam torquere ſibi videntur.

Ita vero adverſus omnium ſic inſanientium animos ſe gerere pro cujusque natura neceſſarium eſt. Aliorum vani metus levandi, quorundam audacia coercenda: quorundam intempeſtivus riſus obiurgatione, minis, prohibendus: moeror grato colloquio, muſica demulcendus. Huc etiam alia, quæ tum vivendi tum medendi rationem ſpectant, ex aliorum authorum monumentis traducta pro conditione ægri referantur; mihi ſumma ſaltem remediorum genera notare propoſitum fuit.

CAPUT XXXII.

De Sopore.

Quod ſi purpurati veneni maligna vis ſulphure ſuo narcotico cerebrum & ſpiritus conſopiat, ſeu ipſa cerebrum occupet, ſeu è ſubjectis viſceribus eo feratur: (præſertim ſi craſſorum & pituitoſorum humorum colluvies in cerebro congeſta ſit, ut docuit *Galenus 3. epid: ſ. 1. comm: 75. & comm: 2. aph: 3. & 3. de cauſſ: pulſ: cap. 9*). ſuperioribus contrarij affectus contingunt, ægerque perpetuo ad ſomnum proclivis eſt, aut jam alto ſopore detinetur, qui ſæpe in veternum, ſopore graviorem, ſi vaporum ac humorum frigidorum

copia

copia, ac veneni vis adſuerit validior, aut in lethargum abeat, imaginatione ac ratione læſis, omniumque rerum inerti oblivione. Capitis in his adeſt gravitas, dolorque obtuſus, quaſi ab incumbente pondere moleſtaretur: facies ut plurimum ſubtumida, ac pallida, mucus narium copioſè profluens: interrogati vix reſpondent, in ſomnum perpetuo proclives ſunt, oculorum palpebras difficulter excitati aperiunt, easq; ſtatim committunt.

Hippocrates noſter *6. epid: ſ 8. t. 5.* adverti debere monebat, *quæ per ſomnos ingraveſcunt. Quo* enim *in morbo ſomnus laborem adfert θανάσιμον* idem dixerat *2. aph: 2.* ſi ſcilicet febris non remittat, ſymptomata non mitigentur, aut etiam nova emergant. Somnus quidem cum quietem ac medicinam quandam laboribus afferat, interdum repentinam in morbis coctionem efficit, *Galen: in 6. epid: ſ: 4. comm: 20.* Nam & febres aliquando ſomno miteſcere, dolores remittere, languores diſſolvi videmus. Huc ſpectat *Hippocratis aphoriſmus lib. 2. aph: 2. Ubi delirium ſomnus ſedat, bonum.* Somnus etiam arctior perfectæ criſis indicium præbet: cum ob vigilatas noctes exolutis viribus dormiendi neceſſitas inſtet, quo illæ reparentur. Quo tempore ſomnus diuturnior, præſertim ὑπνατάταυδος, non turbulentus, cerebri laudatam temperiem, ſuavem ἀναθυμίασιν, mentemque tranquillam ſimul oſtendit. At ſi is contrarium in morbis præſtet, tanquam perniciosus merito damnatur. Talis vero plerumque turbulentus eſt, juxta *Hippocratem Coac: 151.* in quo æger turbatur, commovetur, nugatur, variisque gravibus inſomniis percellitur. Sopor a, inter initia purpuratę febris maxime exitialis, quod caput graviter infeſtari demonſtret, aliaq; incommoda ſequantur, quæ, ſomno in principiis acceſſionum oborto, obrepere ſolent, *à Galen. comm. 2. aph: text: 1.* recenſa: quæ malignitate purpuræ per ſomnum intro retracta multo maxime damnoſa fiunt. Quod ſi lethale ſignum principio morbi cum ſopore eluceſcat, lethale eſt, ut in *Olympiadæ Uxore 7. epid: t. 49.* quæ quinto die comatoſa facta, graviſſimis aliis ſymptomatis in interitum ægræ conſpirantibus.

Sed & morbo provecto coma damnatur, aliis pravis ſymptomatis præſentibus, ut in *1. prorrhet: text: 57. comm: 2.* aut iisdem ſomni conſectarius. Criticum tamen aliquando eſſe ſignum co-

ma, atque hæmorrhagias criticas, parotides item aliquando præcedere obſervatum : ſed tum ſigna aderunt coctionis, aliaque critica ſigna comitabuntur: ægrum quoque mox bona valetudo excipiet, aut ſymptomata manifeſto fient leviora.

Pro removendo tam gravi adfectu (præterquam quod potiſſima omnium horum ſymptomatum cauſſa, purpuratæ febris malignitas, ſit corrigenda,) vapores ac humores ad partes diſtantiſſimas à cerebro revellendi: at qui jam cerebrum occupant, per proximás vias evacuandi, derivandi ac diſcutiendi, cerebrum alterandum, ſenſuumque ignavia & conſopita vis omni conatu excitanda. Conveniunt itaque *clyſteres acriores. Ligaturæ dolorificæ* partium extremarum potenter à cerebro revellunt, quod & præſtant *frictiones partium inferiorum* cum aſperis & calidis linteis factæ: *cucurbitulæ* item cum magna flamma, ſuris impoſitæ & femori: plantis v. pedum *fermentum acerrimum, cum ſapone Veneto, ſtercore columbino, ruta, aceto & ſale* ſupponitur. *Alexander Trallianus lib.1.cap. 14.* crura perfricare & *oleo Sicyonio* perungere jubet: item *ſolam ſcillam aceto* lævigatam cruribus obducere. Hoc enim eos, qui in ſomnum valde altum & veternoſum delabuntur, excitare ſolet. *Phœnigmi, veſicatoria*, heic præ omnibus celebrantur, ſi partibus inferioribus admoveantur, quod potentiſſime ad ſe trahant ac revellant, & inertem ſenſuum ſtuporem excitent: nam, capiti viciniſque partibus illa in hoc morbo adhibere præter omnem rationem eſſe duco: quod materia maligna; quæ ſponte ſua ad cerebrum abit, calore & dolore ſurſum trahatur. *Ori immittantur*, quæ lentam pituitam & reſinoſos ac narcoticos humores incidant, attenuent & eliciant, ex *ſinapi, naſturtio, nuce moſchata, confectione anacardina, theriaca*, quib⁹ quid *extracti caſtorei* ſit permixtum parata. *Seminis naſturtij* commendatam in hoc affectu bonitatem vide apud *Rondeletium cap. 19. de ſubeth:* ut nihil ſit quod cerebrum magis exiccet, vigiliasque excitet, quam naſturtium. *Naſturtium nomen accepit à narium tormento. Et inde vigoris ſignificatio proverbio id vocabulum uſurpavit, veluti torporem excitantis*, ut notat *Plinius lib. 19. hiſt: nat: cap. 8.* Qui & mentem exacuere teſtatur *l. 20. hiſt: nat: cap. 13. Errhina* ac *ptarmica* leviora ex *floribus liliorum convallium, majorana, nicotiana*, promovendæ ſternutationi naribus inſufflentur,

fientur, depleto jam per alia corpore, humoribusque ad ſubjectas partes retractis. Utiles quoque ad eam rem ſuffitus, qui materiam in capite exiccent, cerebrique torporem ſolvant. *Vapor ſpiritus Vitrioli* candenti laminæ affuſi nares feriat: aut vaporentur nares *aceto acerrimo* ferro ignito affuſo. *Acetum* enim potenter narcoticorum malignitatem domat, ac *ſpiritus vitrioli* fœtidum & narcoticum *opij* ſulphur corrigit: ut pro correctione *opij*, in *theriacam* aſſumendi, à quibuſdam adhibeatur. Sic *acetum rutaceum* æger odoretur. Parantur quoque ſuffitus ex *ladano, benzoe, maſtiche, ſuccino, lavendula &c.* Alij talia pro ſuffiendo ægro eligunt, quę maximam penetrandi vim habeant, humores craſſos incidant & proſectent, & ingrato odore naturam, ſui quaſi oblitam; excitent: quæ in mulieribus, ſuffocationi uteri obnoxiis, maximè profutura credo. Sequens pro exemplo ſit.

R. *Aſæfœtidæ, Galbani,*
Ammon: an: ℥ ij.
Capill: hominu ℨ j ß.
Caſtor: Succin: an: ℨ iij. m. l. a. f. ps pro ſuffitu.

Exhibeantur intus, quæ humoris malignam ac narcoticam qualitatem expugnare, & conceptos pituitoſos humores concoquere, vapores ſublatos diſcutere & abſumere poſſint: ut *radices angel: dictamni alb: valerianæ, ruta, ſcordium, caſtoreum.* Confert *aqua hirund c. caſtoreo* cui quid *aquæ theriacalis* affuſum, *quæ aq: fl: beton: pæoniæ, lavend: ceraſ: nigr: dulc: ſcorzoner, fragor: acetoſ:* ne calor obſit, miſceri ac *ſyrupo fl: pæoniæ, contrayerv: compoſ: tunicæ coronariæ* dulcorari poteſt. Ori pro alterando & confortando cerebro illinitur *theriaca Andromachi, Mithridatium*, quibus quid *extr: pæon: caſtor: ligni aloes, olei ſtill: ſalv: roſmarini, macis, rutæ, & majoranæ*, additur. Videndum tamen, ne nimis calida intus exhibeantur, ne flammam maligni caloris accendant: quare frigidis attemperentur: quemadmodum quæ calidiora videntur, palato illini aut ſub lingua diu retineri debent.

Exterius caput foveatur *oleo*, quod bibit vires *baccarum lauri, florum ſalviæ, lavendulæ, ſtœchados Arab: pæon*, & radicum ejusdem, ut & *majoranæ, ſerpylli, origani, rut: caſtorei*: aut ſpongia decocto horum calente imbuta capiti adhibeatur. *Balſamus ſalviæ, rutæ, roſmarini, majoranæ, cum ſpiritu theriacali permixtus* ſuturæ coronali, naribus & tem-

temporibꝰ inducitur. *Spiritus theriacalis cum ſpiritu caſtorei & aqua apoplectica* commixtus idem præſtat. Ante omnia vero quovis licet ingenio ægroti ab ignaviſſimo necis fratre avocentur, & vigilare cogantur, corporis vellicatione, concuſſione, ſtrepitu, clamore, ita ut proprium, aut dilectæ rei, nomẽ acclametur. Ejus rei elegans hiſtoria *de Opimio*, homine avaro & lethargico, qua ratione ille diſcuſſo veterno mentem ſanam receperit, ab *Horat: ſat: 3. l. 2.* his verſibus deſcripta.

Quondam lethargo grandi eſt oppreſſus: ut hæres
Jam circum loculos & claves lætus ovansq;
Curreret. . Hunc medicus multum celer atq; fidelis
Excitat hoc pacto: menſam poni jubet, atq;
Effundi ſaccos nummorum, accedere plures
Ad numerandum. Hominem ſic erigit, addit & illud,
Ni tua cuſtodis, avidus jam hoc auferet hæres.
Men vivo? Ut vivas igitur vigila.

Cujus amœniſſimi auxilij rationem ſi quis à me petat, hanc dabo: quod teſte *Hippocrate 6. epid. ſ. 5. text. 9.* animæ deambulatio ſit cogitatio hominibus: &, ut deambulatione corpus, ita animum cogitationibus excitari, illuſtrari atq; eo ſplendore affici contingat: ut, exuta inſcitiæ rubigine, præluceat ſibi ad nanciſcendum primi opificis ſimilitudinem: eo ſcilicet directa mentis acie, ut non turpem quæſtum fœdamve corporis voluptatem ſpectet; ſed rerum veritatem inveſtiget. Hinc teſte *Palladio in comm: præſentis loci Socratis & Platonis* domicilium *φροντιστήριον* dicebatur, non quia ſimpliciter cogitarent, ſed quia veritatem cogitando inveſtigarent. Quin & ratiocinia cogitationes appellantur, & Socratem cogitatorem olim vocabant, & prudentia hominis conſilia cogitationes nominabant. Anima autem noſtra divina ſuapte natura etſi nulli infirmitati obnoxia ſit, corpori tamẽ conjuncta actiones ſuas impediri ſentiet, ſi illud morbis affectum fuerit. Qua de re, ſi hominem ſoporoſum fieri contingat, cum majoris mali inſtet metus, lethargi ſcilicet aut apoplexię, ſoporatam mentem excitare decet, variisq; cogitationibus exercere: ita enim ſpiritus animę iſta deambulatione commoti atq; agitati, ac in ſe collecti, perinde quaſi globo facto, diſcuſſis nebuloſis vaporibus, attenuatisque craſſis & viſcidis humoribus, hoſtem ex capite propellent.

CAPUT XXXIII.

De Convulſionibus.

SUperiora ſymptomata horrenda feritate excedunt truculentæ membrorum corporis convulſiones, interdum univerſales; ſæpe particulares: quæ nervos ac nervorum principium adverſa ac venenata purpuræ qualitate vellicari demonſtrant: quibus etiam quodcumq; nervis inimicum expellere natura conatur; tanto ac tam valido impete, ut, extremum hunc afflictæ naturæ conatum & ſupremam malignæ qualitatis ferociam ſimul concurrere merito dixeris; unde & pauciſſimis ægrotis ſupereſſe licet; illis præſertim, quibus multus & frigidus ſudor circa caput, cervicem & extrema artuum erumpit, excrementa violenta concuſſione ſponte prodeunt, ſpumaque ore confertim erumpit, (*Lucretij lib. 3. de rer: nat:* verbis loquar,)

ſpumans ut in æquore ſalſo
Ventorum validis ferveſcit viribus unda,

viribus maximè debilibus, membrisq; graviſſima illa jactatione delaſſatis ac quaſi conquaſſatis.

Placet huc memorandi ſuccuſſantis motus exemplum, ab Excellentiſſimo *Dn. D. Meibomio* atque me illo tempore obſervatum, afferre, non quidem febris malignæ, ſed fluxus alvi colliquativi, ex viſcerum, præcipue hepatis, corruptione producti, ſymptoma: quod in *Johanne Thieſen* L.L. *Candidato*, accidere vidimus. Qui, cum plures dies ac menſes alvum excrementis bilioſis ſolutam haberet, ut totum ſyſtema euſarci ac quadrati corporis illò defluere & abſumi videretur, vapore pravorum humorum ad partes nervoſas muſculorum delato, in graviſſimum hoc malum incidit. Dolor pungens in latere dextro primùm afficiebat ægrotum: inde poſt modicum temp⁹ in ſiniſtro crure ſimilis ſpecie dolor oboriebatur, ſubſequente paulo poſt valida totius membri agitatione & concuſſione, hinc,

 com-

exemplum

Digitized by Google

communicato eodem malo alteri cruri, poſtea brachiis, capiti, tandem totum corpus perenni ac vehementiſſima concuſſione occupabatur, ut ægrum in ſublime motus hic raperet, &, ni adſtantes caviſſent, lecto prope ejiceret. Dum hæc accidebant, ſenſus omnes integri conſtabant, ut æger cum admiratione ſui, quæ vellet, loqueretur, nullamq; offenſam in capite aut corde ſentiret; niſi quod ſublato paroxyſmo membra admodum delaſſata quereretur. Durabat hoc truculentum ſymptoma tres integras horas: poſtero vero die eadem fere hora idem repetebat: quod tamen non pari ſævitia, nec tam diu ægrum affligebat: dum tandem poſt paucos dies, continuantibus perpetuum dejectionibus ſyntecticis, vita excederet. Hunc concuſſum membrorum mirabilem eundem aut ſimilem admodum fuiſſe credo palpitationibus *phrenetici illius 3. epid: ſect: 3. hiſtor: 4.* deſcripti: cui ſecunda die morbi toto corpore palpitationes obortas, eumque ſubſequentibus convulſionibus quarto die obiiſſe, *Hippocrates* refert, ſuccorum virulentorum bilioſorum (unde morbum lethalem natum cenſebat *Galenus in comm:*) copia muſculos ac membranas vellicante, non flatuum craſſorum abundantia, quam alteram palpitationis cauſſam *Galenus allegabat lib. de trem: palpit: c. 5. & 1. prorrhet: t. 29.*

De Convulſionibus ita Hippocrates noſter in *Coac. text: 83.* teſtatur. *Turbulentæ cum confidentia expergefactiones, quæ mentem emovent, malo ſunt, ac convulſiones minantur.* Et *4. aph: 67. In febribus per ſomnum pavores ac convulſiones malum portendunt*, quod, ut loquitur *Galenus in comm: hoc accidat, quum in cerebrum noxius humor adſcenderit.* Convulſionem in his morbis etiam prænunciare ſolent manuum tremor, & leves retractiones membrorum aut unius partis: in quibus inordinati & quaſi convulſivi motus, ſed qui ocius ceſſent, prodroma ſigna convulſionum eſſe conſueverunt. Sic *Hippocratis* edicto *4. aph: text: 68. In febribus ſpiritus offendens malo eſt, convulſionem enim ſignificat.* Et *Cornel: Celſ: lib. 2. cap. 7. Quorum faucibus in febre eliditur ſpiritus, inſtat his nervorum diſtentio. Quoniam*, teſte *Galeno in comm: loci Hippocratici, dum reſpiratione ſpiritus ſiſtitur aut interrumpitur, accidit id muſculis thoracem moventibus & nervis jam quodammodo tentatis convulſione: qua aucta affectione & plures partes occupante aperta*

con-

Digitized by Google

convulſio hominem corripiet. Porro de convulſionibus jam præſentibus *Hippocrates 4. aph. 66.* ita ſentit. *In acutis febribus convulſiones & circa viſcera vehementes dolores, malum.* Et *lib. 7. aph: 73. In febre non intermittente, ſi labrum aut ſupercilium, aut oculus, aut naſus, pervertitur, ſi non videt, non audit, imbecillo jam corpore, quicquid horum etiam acciderit, in propinquo mori.* Et *7. aph: 18. A vigiliis convulſio aut deſipientia, malum. Sic in Coac: convulſio tremori ſuperveniens mala*: nulla n. vis major naturæ ἀντιμάχων, quàm convulſione, poteſt inferri, ut ſentit *Duretus in hujus loci comm:* Convulſiones, quæ pernicioſas phrenitides ſequuntur, lethales ſunt, refertq; *Aetius lib. 5. cap. cap. 133. ſe neminem ex iis, qui ſic convulſi ſunt, ſervatum vidiſſe, neq; qui audiviſſet, aliquem ſe vidiſſe.* Tales namq; convulſiones partium convulſarum offenſione & cauſſarum convellentium gravitate interitum accelerant, duplicatò malô, ac per ἐπιγένεσιν horrendi ſymptomatis non alterato tantum ſed & alienato cerebro, nervisque graviter affectis.

Etſi vero à truculento hoc ſymptomate, purpuræ conjuncto, ſpes ſalutis in anguſto ſit: evaſiſſe tamen paucos obſervatum, robore naturæ inconcuſſo, atque remediis talibus adhibitis, quæ præſenti ac propero effectu inſultus iſtos removere ſolent. Principio igitur inſtrumentum ligneum obvolutum linteis, aut ex corio confectum dentibus inſeratur: ne, dum hi convulſione mordicus conſtringuntur, elidantur, aut lingua detrimentum accipiat; & ut liberior ægroto ſit reſpiratio, ac medicamenta commodius exhiberi poſſint. Hinc extremæ corporis partes, quantum licet, à perverſo hoc ſubſultu liberentur, membris convulſis in directum extenſis, ne valido motu lædantur. Adhibeantur ligaturæ fortes, & frictiones partium extremarum: clyſteres acriores revellentes & evacuentes commendantur: *Alexander Trallianus lib. 1. cap. 14.* quandam ægri partem vulnerare aut pungere jubet, & ſanguine os oblinere: ita ocius ægrotum ad ſe reverti autùmat. An quia, dolore ex vulneratione excitato, revulſio fit à capite, & ſenſibili doloroſo atque excellenti cerebrum excitatur, ut recurrentibus ad cerebrum ſpiritibus horum ope noxam intus hærentem aliquando diſcutiat ac propellat?

Nonnunquam humor tenuis & acris in ore ventriculi collectus ingentes convulſiones & ad ſyncopen deferentes producit, ut

Digitized by Google

notat *Aetius lib. 5. cap. 133.* quibus tepidâ propinatâ, aut digito pennave oleo ſcorpionum, aliove rancido, aut emetico, illitâ, vomitum provocabimus. Conclave itemque ægrotus ſuffiri debent iis, quæ malignitatem evocant, materiam in capite contentam attenuant & reſolvunt, ſpiritusque evanidos recreant & inſtaurant: Suffumigia fiant ex *ladano, benzoë, ſtyrace, maſtiche, ligno aloës, trochiſcis galliæ & aliptæ moſchatæ. Ruta cum aceto* naribus appoſita, *caſtoreum*, odore proſunt. Sunt qui fœtida adhibeant, & ſuccenſo *galbano, aſſa fœtida, cornu, pilis*, paroxyſmum hunc tollere velint, eo præcipue fine, quo vis expultrix ad excludendam epileptici inſultus materiam fortius excitetur. Cautione tamen opus eſt, ne effœtis viribus talia adoleantur, quod eas magis proſternere poſſint: qua ratione in mulieribus hyſtericis, quæ mortuarum ſimiles nulla aut leviſſima ſigna ſuperſtitis vitæ in pulſu aut reſpiratione interdum exhibent, fœtida, quorum odor vitæ noſtræ inimicus, penitus abeſſe ſuadeo; ne, quod supereſt exiguum caloris nativi, horum venenata ac pernicioſa qualitate per fumum intro recepta, penitus diſſipetur. Ex horum fœtidorum cenſu ſunt *ſulphur accenſum, lucernarum extinctarum odor, matula exoleta, ſolearum calceorum accenſarum fumus*, aliaque de genere hoc: nam graveolentia, qualia ſunt, *ruta, caſtoreum, pæonia, ſuccinum*, potius commendaverim, quod non ſolum vim ſopitam cerebri excitent, ſed & materiam attenuent & conſumant; ac cerebrum ſpecifica proprietate confortent.

Nec obſtat *Hippocratis 5. aph. 28.* ſuffitu aromatum τὴν καρηβαρείαν capitis gravitatem generari: quod confirmat *Meſue de ægritudin. cerebri, cap. de caput purg: conferentibus ſodæ frigidæ, in fine: quod ſuffitus aromatum convertat vapores ad caput, & repleat illud vaporibus*: cum de immoderato uſu ſuffituum, &, qui corpore pleno adhibentur, locus iſte intelligi debeat, ut ipſe *Meſue* teſtatur; quod moderatus horum uſus *eodem authore* purgato jam corpore, cerebrum confortet ac caleſaciat & reliquias ſodæ tollat. *Nam ſi ſoda*, verba *Meſues ſunt*, *ſit malitia complexionis frigidæ ſine materia, invenimus eſſe juvamenti ſublimis uſus eorum. Idem cap. de epilepſia ex Democrito* ſuffumigari epilepticum jubet cum *aſſa*, quod excitet & præſervet ægrum ab epilepſia: quo modo & *Galliæ moſchatæ* adminiſtrationem conferre ſcribit.

De

an ſuffitus ejus cum bonô ægrotantium, excitandis aut etiam præſervandis epilepticis, admitti poſſit, quod *ſuccinum & lapidem Gagatem* idem eſſe quidam arbitrentur, traducti *Germanica* appellatione ſuccini; qua vulgo Agt-Stein vocant: *lapis* vero *Gagates* teſte *Dioſcoride* ſuffitus ſonticum morbum deprehendat *lib. 5. de re med. cap. 103.* quod de eodem affirmant *Plinius lib. 36. nat: hiſt: cap. 19. Alexander Trallianus lib. 1. cap. 15. Ægineta l. 3. cap. 13.* Verum *ſuccinum* à *lapide Gagate* ut plane diverſum eſt, ita diverſos etiam effectus producit. *Gagates* enim lapis eſt, teſte *Dioſcoride, Plinio, locis adductis Galeno lib. 9 ſimpl: Solino polyhiſt: cap. 22.* & à *ſuccino* eodem loco manifeſto diſtinctus: dum attritu calefactum applicita detinere ſcribit, atque *ſuccinum. Niger* præterea eſt *Dioſcoridi, ſqualidus, cruſtoſus, perquam levis. Plinio niger, planus, pumicoſus, non multum à ligno differens, levis, fragilis, odore, ſi teratur, gravis, qui, dum uritur, odorem ſulphureum reddat.* At *ſuccinum non lapis ſed iisdem authoribus arborum lachryma eſt. Dioſcoridi populi, Plinio & Solino pinei generis: cujus mediale autumni tempore ſuccino lachrymat,* ut ſentit *Solinus cap. 20.* & ante eum *Plin: l. 37. nat: hiſt: c. 3.* Adi ea de re *Cl: Salmaſium in comm: dicti loci Solini*: quamvis bituminis genus eſſe poſteritatis documentis ſit confirmatum. Sed nec *ſqualidum ac cruſtoſum,* ſed *in ſuperficie læve ac lucidum* potius, non *nigrum* ſuccinum *apparet, nec ligno ſimile eſt, aut pumicoſum, odore quidem,* ſi fricetur aut accendatur, *bituminoſo ac gravi, ſed non, ut ſulphur, fœtido & adverſo.* Quantum vero utraque inter ſe differant, deſtillatione, qui volet, comperire poteſt. *Gagates* itaq;, cum bituminoſus ſit, talemq; odorem accenſus ſpiret, ut notant *Dioſcorides & Galen: lib. 9. ſimpl:* imò, ſi uratur, ſulphureum reddat, teſte *Plinio lib. 36. nat: hiſt: cap. 19.* caput obnoxium alias epilepticis inſultibus, quod neceſſario debile eſt, infeſto ſuo vapore vellicare, & inſtantem paroxyſmum accelerare aut provocare poteſt; quemadmodum & *bitumen odore ſuo epilepſiam prodere* dicitur *Plinio lib. 35. nat. hiſt. cap. 15. Succini* vero ſuffiti odor etſi bituminoſus, capiti tamen non adeo inimicus eſt; ſed, ſi moderate ac certa lege inſtituatur, corpore vacuato, cerebrum alterat, & exiccat: qua ratione & alia graveolentia aliis cerebri affectibus prodeſſe memoravi: *Succini* certe tum foris ſuffitu admoti, tum intus exhibiti, vires ſatis

 in

Digitized by Google

in confeſſo ſunt: &, *oleum ſuccin*
ſtillatione nimis gravem oдorem depoſuerit, non ſolum in utero præfocatione, ſed & in ipſa epilepſia aliisque frigidis cerebri affectibus, paucarum guttularum pondere feliciſſime dari, experientia teſtatur.

Foris naribus, temporibus & ſuturæ coronali raſæ inungitur *balſamus rutæ, majoranæ, lavendulæ, roſmar: macis, nucis moſchatæ, angelicæ, ſuccini. Spiritus caſtorei cum aqua apoplectica æquis partibus* illinitur, item *oleum Cornu Alcis, Cornu Cervi, cranij humani.*

Intus dantur talia, quæ venenatos & acres iſtos vapores humoresque diſcutere ac reſolvere, caputq; ſpecifice roborare poſſint, ſpirituoſa ac virtute penetrantiſſima quæ talia ſint, aut talia conjungantur, ut malignitati purpuratæ febris ſimul adverſentur. *Aqua hirudinum compoſita, aquæ antepilepticæ temperatiores: ſpiritus caſtorei, ſpiritus theriacalis caphuratus Andernaci*, dum extractum theriacale paratur, elicitus: *ſpiritus cardui benedicti, fl: tiliæ, liljor convall: ceraſor: nigr: dulcium, pæoniæ* ʒj aut ʒij. quantitate in convenienti *aqua, ceraſor: pæoniæ, tiliæ* exhibentur: *ſpiritus Vitrioli ſæpius rectificatus, ſpiritus* C. C. *cornu Alcis, cranij humani: Sal volatilis cranij humani, cornu alcis*, C. C. *Magiſterium ſuccini, corallor*: C. C. *cornu Alcis, cranij humani*, & potentiſſima omnium *Olea ſuccini*, C. C. & *cornu alcis*, quorum gravis odor ſi noto artificio emendetur, ab ægrotis jam mente reddita minore cum moleſtia accipiuntur. Inter ſuperiora etiam laudem meruere *extracta caſtorei, rutæ, angelicæ &c.* item *olea ſalviæ, rutæ, roſmarini &c.* quorum aliquot guttulæ offeruntur. Omnia vero jam recenſa aquis appropriatis dilui & ſic exhiberi ſolent, ut *aquâ, in qua* C. C. *philoſophice calcinatum, aqua thyrſorum novellorum* C. C. *Aq: card: ben: fl: pæon: tiliæ, ſalviæ, lavend: ceraſ: nigr: dulc: phlegmate vitrioli*, cum *ſyr: fl: pæon: tunicæ coronar: ſtœchad: Arabicæ.* Ex horum medicamentorum confeſſis generibus laudatiſſima proponere volui: ex quibus arbitrio ſuo pro re ac tempore utilia futura medicinæ conſul[illegible] adhibere poterit: quorum conſimilium medicamentorum ſuum quæque officinæ pharmaceuticæ apparatum habent: à quibus haud temere ad nova & inc[illegible]mperta deflectendum: quod plurima indignis laudibus, naturæ

poti-

potius inani admiratione, propriæque laudis oſtentatione, quàm medicinæ fructu, celebrentur.

Exterius leniendo dolori, relaxandis diſtentis convulſione muſculis, partes convulſæ tepide perunguntur *oleo vulpino, lumbricorum, chamæmelino, anethino, lilior: alb: de caſtoreo, laurino, balſamo Peruviano*: quibus *olea ſtillatitia, roſmarini, ſalviæ, ſuccini, anethi, chamæmeli, guajaci* paucis guttis affunduntur. Quod ſi calor his uti non permittat, *olea roſarum, violarum, pinguedo porcina aq: roſarum lota* aliorum loco ſubſtitui, aut calidis cæteris pro eorum attemperatione conjungi debent.

Finito paroxyſmo, quæ ejus ὑποτροφὴν impediant, uſurpanda, capitique & articulis providendum, ut horum robur conſervetur: namque ægri poſt paroxyſmum, quod & notat *Aretæus lib. 1. de cauſſ: & ſign: acut: morb: cap. 5. ab initio membris ſegnes ſunt, capitis gravitate premuntur, diſſoluti ſunt, languidi, pallentes, conſternati animo: ob laſſitudinem, morbiq; verecundiam, contriſtantur.*

Tremor membrorum frequenter in purpura, aliquando etiam in ipſo principio, advertitur, ſecus quàm in aliis, ex ſola ſimplici putredine natis, febribus accidere conſuevit, in quibus raro & non niſi aucto morbo tremores conſpiciuntur: quod in purpura potentior cauſſa ſubſit, quæ primo morbi inſultu robuſtiſſimas facultatis animalis vires dejicere poſſit: quales tremores in malignis febribus fieri obſervavit *Aetius tetrabibl: 2. ſerm: 1. cap. 130.* Namque teſte *Galeno 3. epid: ſ.1. comm: 2.* nunquam in principio morbi tremores apparent citra validam ægritudinem, niſi aut famem, aut laſſitudinem, aut vigilias, aut ſollicitudines, aut immoderatam venerem, aut humorum copiam gravantem ſequantur. Quare ubi nulla horum cauſſa adduci poteſt, gravem morbum, & materiam morbificam ſurſum ad caput efferri, demonſtrant: aliis vero periculoſis ſymptomatis concomitantibus morbi perniciem ſignificant, ut in *Ermyrhi Uxore l. 4. epid: text:40.* Unde *1. prorrh: text: 9. Hippocrates: phrenitica vehementer trementia finiuntur*: ſolas enim vehementiſſimas phrenitides ſequitur hoc ſymptoma, ut docet *Galenus in comm:* Sic *tremulæ & obſcuræ deſipientiæ ab iisdem lib: citato text: 33. damnatæ.*

Tre-

Digitized by Google

Tremorem non admodum diſſimili ſerie medicamentorum curaveris, quàm quæ in convulſionum curatione memorata: præmiſſis enim evacuationibus & revulſionibus, quæ alexiteria virtute perniciem morbi tollere, caputque roborare, & à graviorum morborum προβολῇ vindicare poſſint, offerenda: quamobrem heic plura lector non expectes; niſi ut te commonefaciam, non omnes tremores periculum nunciare; cum aliquando bonam criſin ſequantur, corrupta materia ad habitum corporis excretione critica delata, *ut in peregrino adoleſcente 4.epid: text: 13.* cui ſeptimo die febris remiſit cum tremore. Aliquando etiam criſin tremor prænunciare ſolet: inſtante enim criſi, qua per vomitum materia excluditur, labrum inferius tremere ſolet, qua de rè inter ſigna imminentis critici vomitus tremor inferioris labri à *Galeno 3. criſ: cap. 11.* relatus.

CAPUT XXXIV.

De Surditate aurium tinnitu earumque dolore ac parotidibus.

Surditas heic ſæpiſſimè obrepere ſolet, interdum vi morbis ſæpius naturæ, materiam noxiam ad auditorium meatum expellentis, robore: quod in *Nobili Linſtovio ejusq; filia, Henrici Saffij famulo, Febria, Schultia* aliisq; accidere memini. Sæpe aurium tinnitus ac ſtrepitus ægrotos moleſtant, & βαρηκοΐαν adducunt: dum materia maligna tenuior, quæ prompte ad caput abit, ad inſtrumenta audiendi decumbit, aut reſoluta in vapores vario ſonitu aures moleſtat, ut humor aut vapor nervum expanſum variè percellit.

Surditatem per ſe perpetuo malam eſſe certum eſt, quod cerebrum affectum demonſtret: quam ob humorem obſtruentem meatum auditorium, aut extinctam facultatem animalem, obrepere *Galenus* docuit *1. prorrhet: comm: 33.* Quamvis autem in aliis morbis hic

affectus

affectus nihil malignitatis obtinere videatur; in purpura tamen aliiſque malignis febribus aliter ſe res habet: in illis enim, ut cætera ſymptomata, ita & ſurditatem à maligna materia produci certum eſt. Surditas omnis, quæ à principio morbi, nullis ϖροσημείων notis oboritur, damnatur: necquicquam enim morbum levat; ſed, caput vitioſorum humorum copia inter initia oppleri, ſignificat, & plurium graviſſimorum ſymptomatum ſeriem poſt ſe trahit, ut in *Hermocrate 3. epid: ſect: 1. ægroto 2. & Philiſte lib. 3. epid: ſ. 2. ægrot: 2* Hinc *Aetius lib. 5. cap. 121.* ſcribit, peſſimum ſignum eſſe in acutis febribus auditus gravitatem: quod vel lethargum, cathochen, parotidas pernicioſas, vel aliam quandam perniciem, minetur. Et juxta *Hippocratem 1. prorrhet: t: 159.* Ex ſurditate abſceſſus ad aures fiunt. Quin & delirium plerumque antecedit, ut patet ex *1. prorrh: text: 10. Vomitus virulenti & æruginoſi cum capitis dolore, ſurditate & inſomnia, promptam inſaniam ſignificant.* Et *eodem libro t. 31. Surditas cum urinis prærubris, non ſubſidentibus, & ſublimamentis, mentis emotionem minatur.* Idem *Coac: text: 96. in acuta febre* ἀ̣ά κωφοῦσθαι, *aurem obſcurdeſcere*, μανικὸν dixit. Pariter & damnanda ſurditas aliis pericuIoſis ſymptomatibus conjuncta, cujus rei in *Philiſte, Hermocrate* exempla ſunt: inprimis ſi extrema virium imbecillitas adſit. Ita teſte *Hippocrate in Coac:* Gravi ſurditate tentati, dum aliquid prehendunt, tremuli, linguæ reſolutione ac torpore affecti, male habere judicantur. Tandem ſurditas, quæ criticis evacuationibus ſuccedit, grave periculum minatur. *Decretoria* enim *non judicantia* totiens ab *Hippocrate*, *Galeno*, *Avicenna* aliiſque damnata.

Interdum tamen ſurditas nullo alio incommodo afficit, teſte cottidiana experientia: quin, ſi criticam evacuationem antecedat, aliaque ſigna χρήσιμα conjungantur, in morbis acutis bonæ valetudinis augurium eſſe ſolet. Quo ſpectat *1. prorrh: ſ. 3. t. 55.* & *Coac: text: 195. Qui ſurditate cum capitis gravitate ac præcordiorum tenſione vexantur, ſi oculorum acies turbatur, in illis ſanguinis ex naribus fluxum ſperare oportet.* Quemadmodum in *Abderitana virgine* id notavit *Hippocrates 3. epid: ſ. 3. text: 78.* quæ, ad viam ſacram decumbens, correpta febri acuta & ardente, octavo obſurduit, ita ut 17 cum multum prorumperet ex naribus, ſurditas nonnihil remitteret. Quæ etſi

proximis dieb⁹ repeteret, vigeſimo tamen oborta hæmorrhagia narium & ſudoribus manantib⁹ rurſus ceſſavit: ac, cum vigeſimo quarto die ſurditas iterum recurreret, vigeſimo ſeptimo, poſtquam multum ſudarat, penitus intermiſit. Confer hiſtoriam *Heropythi eodem libro text: 80.* recenſitam. Si enim, morbo jam progreſſo, ſymptomatis ceſſantibus, aut iiſdem in ſurditatem, ut minus grave ſymptoma, terminantibus, eveniat, ſperata ſanitas plurimis hinc allucere ſolet.

De ſonitu aurium *Galenus tert: med: loc: cap. 1.* ſentiebat, cum in febribus per intervalla moleſtantem non eſſe timendum, quod ut plurimum ſtatim ceſſare ſoleat. Continuum enim in morbi initio aut augmento, cum ſignis cruditatis aliiſque accidentibus illò conſpirantibus, delirium aut phrenitidem portendere obſervatum. Si namque, ut habet *author 1. prorrhet: t. 18. aurium tinnitus in febre ardente cum viſus hebetudine fiant, & ad nares accedat gravitatis ſenſus furioſæ mentis emotio notatur,* ut explicat *Foeſius in notis præſentis loci*: ſimplex ſcilicet delirium ſuccedet, ſi vapores à febrilis caloris flamma caput petant, quod inclinato paroxyſmo ſponte levatur: at ſi humorum raptus fiat ad cerebrum & membranas ejusdem, phrenitis ſubſequetur. Et ut humores ad caput efferri talis ſonitus indicio eſt, ita & inſtantis narium hæmorragiæ prodromus eſſe ſolet: dum diſtentis ac reſeratis venis ſanguis calidior effunditur: qui alias illic reſtagnans phrenitidem aut delirium cauſſari poterat. Quo referendi textus *131. 194. & 195. Coac:* quibus ex *1. prorrh: text: 18.* jam narratis ſymptomatis concurrentibus hæmorrhagiam in febribus ardentibus ſuccedere docetur. Ejusmodi vero ſonitus aurium decretorij, qui ſanguinem naribus erupturum prænunciant, præparatis humoribus, viribus valentibus, die critico percepti, à prudenti medico nequaquam formidandi.

Accidit etiam ut falſi opinionis ſuæ varios ſonos percipiant ægri jam delirantes: quemadmodum *Theophilo medico* ægrotanti contigit, *cui reliqua quidem prudentia ſupererat, & diſputandi, & præſentes exacte noſcendi, cæterum tibicines quoſdam angulum domus, ubi decubuit, occupaſſe, aſſidueq; ſonare, tum pulſare putabat, atq; hos ſe intueri rebatur,* de quo *Galenus de differ: ſympt: cap. 3.* Verum cum iſti ſonitus deli-

Digitized by Google

delirij ratione contingere ſoleant, ad depravatas delirio actiones potius referendi, qui & ſublato delirio ſua ſponte ceſſare ſolent.

De ſurditate auriumque ſonitu ac tinnitu in præſentis morbi curatione parum ſollicití erimus: quod recedente morbo remittant, teſte *Æginetâ lib. 3. de re med: cap 23, Aetio lib. 5, c. 121.* Sic *Hippocrate* authore *4. aph: t: 28. Quibus ſurditas adeſt, bilioſis dejectionibus intervenientibus, ceſſat.* Quem aphoriſmum de ſurditate in febribus oborta intelligendum arbitratur *Galenus in ejus loci comm:* Si tamen ab exacto jam morbo gravis auditus perſtet, aut is alieno ſonitu turbetur, conſuetis & notis remediis tolli debet: quæ numeroſa ex aliorum libris ſuo quisq; conſilio huc transferre poterit.

Aurium dolor gravis citra parotidis conſpectū ægros aliquando excruciat, doloris immanitate colico proximus poſitus à *Galeno 2. med: local: c. 1.* qui periculoſiorem febrem efficit: ſuccedunt dolori atque inflammationi vigiliæ; ſi vero perſeveraverit, etiam mentis emotiones teſte *Aetio tetrabibl: 2. ſerm: 1. cap. 120.* Hoc dudum ante à ſummo medicinæ parente litteris proditum in *3. progn: t. 13. Auris dolor acutus, cum febre continua & vehementi, gravis. Periculum enim delirij & mortis ægro adfert.* Quo loco, ut explicat *Galen: in comm:* per ὠταλγίαν, non, qui externas auriculas dolor afficit, intelligendus; (namque hæ partes tantum dolorem non percipiunt, aut ſi percipiant, periculo vacant; quoniam neq; præcipuæ ſunt, neque parti cuidam præcipuæ continuantur;) ſed qui in profundo ex auditorio meatu doloris ſenſus affligit: tunc enim ipſe afficitur auditorius nervus, non ex longo intervallo cerebro copulatus. Itaque merito multi interimuntur per dolores aurium vehementes, in conſenſum perducto cerebro. Quocirca nonnulli delirant, nec non aliqui derepente moriuntur, quotiens in cerebrum decumbit univerſim aurium dolorem committens fluxio. *Cornelius Celſus lib. 2. de re med: cap. 7.* ex *Hippocrate* juniores intra ſeptimum diem hoc affectu mori ſcribit, ſeniores tardius: quoniam hi ob humoris peccantis frigiditatem & craſſitiem, ut ſentit *Alex. Trallianus lib. 3. ca. 2.* neque æque magnas febres experiuntur, neque æque inſaniunt, ita ſuſtinent, dum is affectus inverſatur. In juvenibus contra materia non celeriter ſuppurat: nam acumen doloris generationem puris prævertit. Interdum

dum tamen juniores ex mente *Hippocratis Coac: t.189.* ſalvantur, ſi puris copia ex aure, aut ſanguis ex naribus effluat, aut aliud laudabile ſignum exiſtat.

Poſt exquiſitiſſimos hos dolores aures ſæpe magnam copiam puris fundunt, rupto jam abſceſſu: quod ſi pus album ſit, cæteraque ſalutem promittere videantur, in junioribus bonæ valetudinis auguria dabit judicio *Hippocratis 3. progn: 14.* Albedinis a. ſolius in pure heic meminit *Hippocrates*, lævitate ac fœtore neglectis; quod in purulentis auribus ſola hæc qualitas ſufficiat ad bonitatem puris demonſtrandam. Fœtere enim plerumque aurium excrementa ſolent & ſanis & ægris, quoniam anguſtis aurium cavernis concluſa putreſcunt, unde fœtor. Sed nec lævitas & æqualitas heic ſemper attenditur, quod per anguſtos meatus materia percoletur. Albedo vero cum inde nihil mutetur, caloris nativi, puriſque ac partis affectæ, unde emanat, laudabilem conſtitutionem demonſtrat. Obſervatum tamen, corrupti cerebri portionem aliquando emanaſſe, decubitu malignæ materiæ ad vicinas cerebri partes, quæ corruptæ ac liqueſcentes poſteà effluxere. Cæterum tum cuncta in deſperationem verſa, ut in tali caſu auxilia afferre ſupervacaneum exiſtimem.

Aurium doloribus ac inflammationibus, cum interdum ad dementiam mortemque præcipitent, eo magis inter principia ſuccurrendum, ne majori periculo locus ſit. Præmiſſis itaque univerſalibus, præſertim phlebotome, auribus principio temere adhibentur, quæ abſceſſum maturant, potius, quæ leniunt & reſolvunt. Auribus itaque *albumen ovi cum lacte muliebri* inſtillari poterit, aut *ol: roſarum* tepidum immittitur: aut *ramentorum cucurbitæ ſuccus*, qui ad maximos eryſipelatum affectus per ſe, aut cum *roſaceo*, aut *violaceo*, *auxiliatur*. Foris *oleum chamomillæ & ſcorpionum* cum pauca *caphura* auribus illinitur. Cataplaſma quoque ex *foliis leviſtici*, *furfure*, *hyoſcyamo*, appoſitum utile eſt. *Galenus lib. 3. med: loc: cap. 1.* nullum pharmacum auribus dolentibus infundit, experientia edoctus, multo melius eſſe, nè quidem contingere doloris tempore auditorium meatum; ſed per auriculare ſpecillum lana molliſſima obvolutum, dolore vexatos fovet, pharmacumque moderato tepore in aurifuſorio

Digitized by Google

ſorio ſpecillo præparatum injicit, ut calore ægrum non offendat, idque pluribus repetit vicibus, diligenter cavendo, ne aliquid grave aurem contingat. Idem de aurifuſorio ſpecillo imitatur *Trallianus loco allegato*, qui ab opiatorum, præcipue foris in aurem placando dolori immiſſorum, uſu cavendum monet: quod noverit quendam, ſolo uſum opio, & vocem & ſenſum ægro ademiſſe, ut ne opobalſamo quidem, aut aliis quibusdam calidis injectis, homo amplius reſtitui potuerit. Qua de re ſi opium adhibendum ſit, vetus præferr, quod ejus vires jam non nihil ſint exoletæ. Itaque non temere ad opiata properandum: quæ, ſi ſuprema vis doloris poſtulet, leniora ſint, ac pauca quantitate, aliisque, ut *caſtoreo*, correcta, cum *ovi candido*, *lacte muliebri* aut *ſapa* diſſoluta inſtillanda: à quorum uſu, levato dolore, alia, quæ illatam *νάρκωσιν* abigant, uſurpanda.

Quod ſi ſuppuraturum abſceſſum conſter, auribus *oleum amygdalarum dulcium* inſtillari, iisdemque cataplaſma apponi poterit ex *rad: althæ lilior: albor: ſem: lini, fœni græci, floribus chamæmeli in lacte* coctis, remixto, loco *olei*, *butyro*. Aurium purulentæ ſordes permittantur ſatis longo tempore fluere, quo extillet, quicquid reſtat noxiæ materiæ: ſponte enim fluxus iſte aliquando ceſſat, & ſolo *emplaſtro Diachylon* foris appoſito ægri curantur. Quod ſi perennet hic fluxus, ac putredinis quædam nota adſit, *hydromelle*, hinc *oinomelle*, inde *aceto mulſo* aurium cavitas abluenda; aut *hydromel*, in quo quid *unguenti Ægyptiaci* diſſolutum, auribus immittendum. *Aetius alumen liquidum mel & roſaceum* æquis partibus ſingula modice cocta inſtillat. Convenit & *Glaucium* in *cote medica* cum *aceto* tritum: hinc *paſtillus Andronis, Muſæ*, cum *ſapa* & *aceto* modico dilutus injicitur. Omnibus his valentius *medicamentum* eſt ex *ſcoria ferri* paratum, quæ ad plurimos dies in ſole cum *aceto acerrimo* trita & lævigata, poſt cum *aceto acerrimo* ad mellis conſiſtentiam cocta imponitur, authore *Galeno lib. 5. m. m. cap. 11. & 3. κατὰ τόπ: cap. de ulcer: aur:* item *Oribaſ: 4. de loc: aff: cur: cap. 38.* Nam cum audiendi locus ſicciſſimus ſit, idcirco medicamentis eget, quæ vehementiſſimè ſiccant: quemadmodum id *Galenus* pluribus *libro m. m. citato* docuit, & inluſtri in eam rem exemplo adverſus *Theſſali, ἀμεθόδου methodici medici*, inſcitiam confirmavit: qui & foris *paſtillos Andronis* cum *aceto* externe auribus illinit, aut aliud

 medica-

Digitized by Google

medicamentum, quod magis hoc ſiccet. Sacculi quoque ex farina *baccarum lauri, juniperi, ſem: anethi, carui, cumini, floribus chamæmeli, meliloti, majoranæ &c.* cocti in vino & expreſſi calide apponantur: namque caput roborant, modice ſiccant, flatus diſcutiunt, & dolorem leniunt.

Parotides quoque in purpura aliquando emergunt, quibus locus poſt aurem ſubito intumeſcit ac dolet, parteſque adiacentes in tumorem ſublatæ ſæpe adeo valide diſtenduntur, ac dolent, ut ipſam faciem occupare tumor aliquando videatur, quod malignus humor ex capite eò decumbat. ſeu robore naturæ (generantur enim per ναυσίαν καὶ ἔρευξιν nauſeam & eructationem venarum: quemadmodum illud ſummus Præceptor *prorrh: 168. ſ. 1.* docuit: *in capitis dolore ſopor & ſurditas aliquid ad aures effundunt*: dum venæ capitis noxio humoræ oppletæ ſe exonerant, &, ventriculi inſtar, dum nauſeat, evomunt,) ſeu ſponte illo devolutus. *Abſceſſus enim, velut bubones, ſignum ſunt germina habentium, cum aliorum, tum præcipue viſcerum,* ut docet *Hipp: 6. epid: ſ. 2. text: 11.* Ubi per viſcera intelligit omnia primaria membra in penitioribus latentia, ut cerebrum, cor, jecur, teſte *Palladio Soph: comm: loci præſentis. Caſſius,* antiquus medicus, *problem: l. 30.* author eſt parotides in morborum declinatione apparentes à veteribus medicis dictas Διοσκούρους geminos, aſſimilataſque eſſe *Caſtori & Polluci*, ut, quemadmodum hæc duo clariſſima ſydera fauſto aſpectu navigantes exhilarant, & ſerenitatem maris pollicentur: ita & parotides in morbis obortæ ſanitatem promittant, quod de iiſdem *author definitionum medicarum* teſtatur. Contra, ſi harum generationem penſius æſtimem, quàm illa non ex ſimplicis calidi aut putris ſed venenati & maligni humoris decubitu fiat: item quam infidæ plane ſint in hoc morbo criſes; quàm vicinus cerebro malignus humor hæreat, qui graviſſima plerumque ſecum trahit ſymptomata, dolorem, vigilias, deliria, & quod ægri vehementia hujus mali aliquando occumbant, etiam provecto morbo parotidas periculi plane expertes eſſe aſſerere vereor. Interdum quidem ductu & auſpiciis naturæ, inclinante morbo, per modum criſeos facta materiæ noxiæ διαδόσει ad aurium glandulas & ſubjectas partes, viribus conſtantibus, quæ poſſint dolori, ſuppurationi, reſolutioni, evacuationi,

Digitized by Google

ni, totique curationi ſufficere, ſymptomatis remittentibus, laudatæ parotides erumpunt. Quarum parotidum, ut cæterorum abſceſſuum conſtituto, ſpem promittit, ſi, ut traditur *6.epid.ſect.2.t.10.* fiant *ὡς δεῖ καὶ οἷα, καὶ ὅθεν, καὶ ὅπη, καὶ ὅσα δεῖ, quemadmodum, qualiter, quo, quando, & quantum oportet*, fiant. Sæpe tamen, cruda atque incocta morbi materia, principio atque augmento morbi, humorum copia atque malignitate parotides emergunt, cum *δυσφορίᾳ* ægri, ſymptomatis auctis & increbreſcentibus, dolore, vigiliis, delirio, tumore in tantum aucto, ut ſuffocationem minetur, viribus imbecillis, quæ nec generoſum aliquod auxilium perferre; nec morbo ſupereſſe poſſint, quemadmodum & parotides *ἀνάῤῥοποι*, quæ ſurſum vergunt, nec ſuppurantur, improbantur. Iſta igitur *διάδοσις* materiæ virulentæ ut laudanda; ita hic morbi impetus periculum auget, & plerumque gravitate ſymptomatum ægrotos conficit.

Præmiſſis communibus defluxionum auxiliis, quę materiam ruentē revellere & evacuare, eam vero, quæ jam influxit, derivare poſſint: clyſmatis ſcilicet, vena ejuſdem lateris ſecta, cucurbitulis ſcarificatis partibus inferioribus adhibitis, frictionibus ac ligaturis partium extremarum doloriſicis, exhibitis præterea talibus, quæ venenoſæ qualitati mederi poſſint, ad topica veniendum; quæ quod alias in inflammationum principiis fieri ſolet, nequaquam repellentia ſint, mandato *Galeni lib. 3. med: loc: cap. 2. de parotid: Oribaſij lib. 3. loc: aff. cur: cap. 44. Aetij tetrabibl. 2. ſerm: 2. cap. 89*, ne materiam intro ad cerebrum repellant. Quod eò magis in hoc affectu cavendum erit, quoniam, materia morbi venenata cum ſit, majus ex ejus, quam ſimplicis humoris, *παλινδρομῇ* damnum metuendum. Ea potius adhibeantur, quæ materiam foras trahant, præſertim ſi natura in expellendo ſit ſegnior, aut imperfecte parotides emergant. Quo in caſu *Galenus* cucurbitulas commendat parti affectæ impoſitas. At ſi natura ſufficienter expellat, aut nimio affluxu tumor late ſe diſtendat, ne dicta ſymptomata magis efferentur, aut præfocatio ab incumbentis humoris mole ſuccedat, ad attrahentia non deveniemus; ſed, præmiſſis univerſalibus, collecti humoris diſſolutioni operabimur, iis, quæ dolorem lenire, materiam concoquere, ac reſolvere poſſint, fomentis ex decocto *florum chamomillæ, meliloti, ſambuci, ſeminum*

Digitized by Google

minum anethi, cumini, ſerpylli, ſatureja. At ſi ſuppurare tumor videatur, dolorq; & inflammatio augeantur, quę ſuppurationem promoveant, dolorem leniant, apponenda: cataplaſma ex *rad: alth: lilior: albor: farina triticea, ſemine lini, fœni græci, althææ, caricis, chamæmelo, meliloto, cum pinguedine porcina, oleis lilior albor. chamomillæ &c.* confectum, adhibendum. Hinc ferro aperiendum ulcus, quod, ubi omnis colluvies noxiæ materiæ penitus expurgata fuerit, conſuetis & notis remediis tarde conſolidetur.

Interdum, ubi metus ægrum vel veneni pravitate, vel gravitate tumoris, prius iri interceptum, quam materia maturari, aut penitus reſolvi, poſſit, ferro maturanda apertio, quò via pateat virulentæ materiæ: qua ratione præſenti præfocationis mortisque periculo quosdam liberatos fuiſſe conſtat.

CAPUT XXXV.

De hæmorrhagia narium & uteri.

HÆmorrhagia hoc morbo affectos frequentiſſime corripit, quod febris hæc analogiam ad ſanguinem præcipue habeat, qui maligno calore corruptus & acrior factus, quoquoverſum fertur, extremitates venenatum erodit ac reſerat, unde copioſę hęmorragię narium, ani, uteri, hęmorrhoidum, producuntur. Quin & cruentas dejectiones alvi excernere; interdum cruenta, ac ſi cantharides aſſumptæ fuiſſent, mingere ægrotos vidi: æmula & heic aliorum venenorum morbi pernicie, *hæmorrhoi ſerpentis*, aut *crocodilij*, aut *hæmagogæ* illius *herbæ* apud *Galenum de purg: medicament: facult: c. 4.* Salutares quidem in aliis morbis, narium, uteri, ac venarum alvi, hæmorrhagiæ: cum, ſi recte fiant, illæ ſuperarum, hæ inferarum partium morbos levare ſoleant; quid vero de illis in hoc morbo obortis ſperare medicus debeat, inter ſigna tradidi. Ut autem non temere huic vacuationi fidendum, etiamſi die critico, & præſentibus coctionis ſignis, erumpat, quod ſæpe modum excedat, cum à maligna morbi

morbi qualitate corruptꝰ ſanguis vaſis contineri amplius nequeat, & alias pleræq; criticæ evacuationes *δυσκρισίας* conſectariam habeant: ita pariter nec protinus ſanguis ſiſtendꝰ, ne alio repat, partiumq;, ad quas fluit, periculoſas inflammationes, ſæpe etiam corruptiones, efficiat: unde à ſuppreſſâ hæmorrhagia narium facies tumida, ac quaſi ſuggillata apparet, manifeſto argumento, ſanguinem in capite detentum faciem tali colore maculare. *Profuſa* enim *narium hæmorrhagia, vi ſuppreſſa, nonnunquam adducit convulſionem* teſte *Hippocr: in Coac*: ſanguine ad cerebrum relapſo. Confer *ejuſdem* 1. *prorrh: ſect:* 3. *text:* 39.

Sanguis igitur, quotiens largo nimis profluvio effunditur, cum caloris nativi pabulum & theſaurus vitæ pretioſiſſimus depereat, viribus labentibus, omni conatu ſupprimendus, revulſo ejus fluxu ad partem oppoſitam, & ad vicina loca derivato: ſecundum quæ intus foriſq; adminiſtranda, quę fervorem & acrimoniam ſanguinis temperent, tenuitatem incraſſent ejusque ruentis impetum ſiſtant, & oſcula venarum adſtringant: cumprimis vero quæ alexiteria virtute malignitatem morbi doment. Convenient itaq; omnia revulſionum genera: in narium hæmorrhagia ligaturæ partium infernarum dolorificæ, quæ valide ſanguinem ad ſe trahunt, frictiones item partium ſubjectarum, cum pannis aſperis & calidis factæ: & ex phlebotome, niſi vires admodum langueant, præcipuum auxilium, reſerata vena in cubito, aut quæ ad pollicem manus decurrit, quo potentius revellat & ex anguſto foramine exilis venæ minus ſpirituum pereat, ſemper habito revulſionis *κατ' ἴξιν* reſpectu, ut, ex qua nare ſanguis fertur, eodem latere & vena ſecetur. Quo auxilio non ſolum narium hæmorrhagiam, ſed & immoderatum menſium profluvium, omnemque ſanguinis per os rejecti impetum miraculo propius pluries conſtitiſſe vidi. Cum a. vires morbo expugnando ſupereſſe debeant, parva quantitate ſanguis mittendus, aut repetitis vicibus vena ſolvenda: cucurbitulæ multa cum flamma partibus inferioribus, ſuris, coxis, lumbis, admovendæ, quæ, ſi ratio medendi poſtulet, ſcarificandæ. Eædem quoque hepatis aut lienis regioni, unde ſcilicet ſanguinem hunc ſcaturire probabile viſum fuerit, apponuntur: hepati, ſi ex dextra nare, lieni, ſi ex ſiniſtra, aut ſi ex utraque erum-

Qqq pat.

pat, utrique viſceri utiliter adhibentur, docente *Galeno 5. m. m. c. 3. & 13. meth: med: cap. 19.*

Intus ſequentia præ cæteris commendantur. *Aqua fragorum ſimplex, polygoni, plantag: equiſeti, tormentill: lactucæ, portulac: papav: ſempervivi majoru*, cum *julebo roſarum, violarum, ſyrupo berberum, corallorum, fragorum, myrtillorum, bacc: rubi Idæi, lactucæ, portulacæ, prunorum ſylveſtrum, papav erratici*: item *Extractum tormentillæ, crocus ♂tis Mag: corall: C. C. lap. hæmatit: terra ſigillata, C. C. uſt præpar: bolus Armena, acacia, hypociſt. balauſt, ſem: acetoſ: plantaginis &c. Lapis prunellæ* quoque propinatus cum convenienti liquore fervorem ſanguinis ejusque fluxum ſiſtit. Idem faciet *caphura* pauca quantitate cum refrigerantibus data. Conveniunt *trochiſci de carabe de terra ſigillata, de berberibus. Conſerva roſarum* vetus, *caules lactucæ conditi, berberes, pruna ſylveſtria condita, cydonia condita* Aut

℞. *Aq: fragor: roſar:* ℥ iij.
plantag: portulac: an: ℥ ij.
aceti roſar:
è bacc: rubi Idæi an: ʒ iij.
boli Armen: veræ, terr: ſigill: Sileſ:
lap: hæmatit: ppar: an: ʒ ß.
uſneæ cranij human: g. vj.
extract: tormentill: g. vj.
Syrupi corall: portulac: an: ℥ j.
miſc: pro 3. doſibus.

Qui volet medicamentum forma electuarij, quod per intervalla ægro dari poſſit, ſequens offerat.

℞. *Conſerv: roſar: vitriolatæ* ʒ vj.
fl: papav: rhœados
nymph: violar:
acetoſæ acetoſell: an: ʒ ij.
berberum condit: cum nucleis
caulium lactuc: Ital: cond:
prunor: ſylveſtr: cond: an: ʒ iij.
Troch: de carabe
de terr: ſigill: an: ℈ j ß.

Mag:

Mag: C. C. *corallor: ſuccini an*: ℈j.
Extr: tormentill: ℈ ß.
Cum *ſyrupo corallor*: aut *granat: acidorum* q. ſ. miſc: f. electuarium.

Ex quo alternis horis æger capiat quantitatem nucis moſchatæ, ac paulo poſt ſuperbibat cochlearia aliquot aquarum refrigerantium & adſtringentium ſupra recenſarum: ita n. vis medicamenti adſtrictoria penetrantius intimas partes pervadet.

His non juvantibus ad opiata, tanquam noviſſimum periclitantis ſalutis auxilium, devenire ſuprema neceſſitas aliquando efflagitat: quæ non, quod refrigerij vim præſtent, ſed quod ruentis ſanguinis ὁρμὴν ceterorumque humorum impetum oppido ſiſtant, commendantur: quorum pauca quantitas ſingulis vicibus danda, quæ, ſi opus eſt, repetenda potius, quàm ut una doſi tota opiati quantitas offeratur: ſæpe n. uno aut altero grano ſic exhibito conquieſcit impetus ſanguinis, ut reliquis medicamenti partibus non opus ſit. *Laudanum opiatum* laudatiſſimum eſt, quod qua lege ſit offerendum jam memoravi.

Foris temporibus, fronti, collo, ubi venæ & arteriæ jugulares decurrunt, unde illa ſcaturigo nimiæ hæmorrhagiæ prodit, epithemata refrigerantia, quæ ſimul adſtringendi & intercipiendi ſanguinis vim habent, imponuntur, ex *aq: plantag: fragor: portulac: ſempervivi majoris, ſpermatis ranarum* cum *aceto roſarum: alb: ovi pulv: boli Armen: terr: ſigill: gypſi præparati, balauſtior: rad: tormentill: aluminis lap: hæmatit: &c.* quibus quid *nitri, caphuræ* item *ſacchari* ♄*ni* remiſcetur, quo vis earum in abditas partes magis penetret. Quæ poſtquam exiccata fuerint, novo liquore humectari iterumque apponi poterunt.

Hepati *aqua fragor: lactucæ, cichorij, acetoſæ* cum *pulvere ſantalorum rubrorum* pauco *nitro & caphura*, duplicato linteolo admovetur. Quæ & teſtibus utile erit adhibere, cum toti corpori vim refrigerij communicent. *Caphura* etiam cum *aceto ſimplici* aut *roſarum* odore ſuo ſanguinem fluentem cohibet. Naribus, quæ refrigerent & affluxum repellant, ora venarum conglutinent & adſtringant, illinantur, ut linimentum ex *bolo lap: hæmatit: gypſo, balauſt: galla, pilis leporis minu-*

tiſſime conſciſſis, albumine ovi, aqua & aceto roſarum: fungus item *pulverulentus*, *Germani* Bubenfiſch vocant, *croco Martis* adſtringente & *capite mortuo vitrioli* conſperſus cum *ſucco ſedi majoris & pauco aceto* imponitur. Alia quoque ab authoribus commendata pro rei præſentis conditione huc referri poſſunt. Omnium, quod ſciam, potentiſſimum eſt *Laudanum opiatum*, cum liquore adſtringente narium cavitati illitum; aut turunda, linimento ex *Laudano* delibuta, impoſita: quo remedio in *Georgij Ludovici Reiſeri* filia, aliiſque, fruſtra cæteris adhibitis, ſanguinem quaſi incantamento quodam cohibui. Accidit a. interdum, ut hæmorrhagia narium penitus ſuppreſſa videatur, impedito ejus fluxu adſtringentium & glutinantium infarctu: cum tamen ſanguis, per choanam retrolapſus, in fauces deſtillet, unde cruentos vomitus ſimileſque dejectiones conſequi obſervatum: cui rei præcavendæ conſilio *Felicis VVurtzij, Chirurgi Baſileenſis, fungum* illum *pulverulentum*, qui æſtate in viis pulverulentis reperitur, & ad cohibendum vulnerum ſanguinem chirurgis in frequenti uſu eſt, digiti craſſitie diſciſſum, & filo arctiſſime conſtrictum, ſuper impoſito per aliquot dies grandiori pondere, quo magis adhuc comprimatur; notis adſtringentibus remediis ſolutis prius filis illitum penitiſſimè, quantum licet, naribus intrudemus, ut totum foramen, quod ex naribus in choanam patet, hujus fungi mole impleatur, annexo filo: ita intumeſcens major ſe ipſo fiet, & ſanguinis ad palatum defluxum impediet, ac propria rerumque illitarum conjuncta virtute hæmorrhagiam curabit. Præter hæc plurima ſunt, quæ occulta proprietate ſanguinis fluxum reſtringunt foris adhibita aut geſtata: ut *muſcus cranij* humani ſindone tenuiſſima incluſus & geſtatus. *Lapis hæmatithes* alligatus & in manibus detentus, item *coralla, jaſpis, lapis corneolus* & inde paratæ armillæ aut collaria.

In victus ratione ſequentia obſervanda erunt. Æger decumbat in aere frigido & ſicco, minuſque lucido: cum hic agitet ſpiritus & humores: rerum rubentium & ipſius præcipuè ſanguinis adſpectum vitet, quod illis ſanguis magis commoveri videatur. Caput & collum modicè ſaltem tegantur, ne calore ſurſum magis ſanguis trahatur. Caput, quantum licet, erectum æger teneat, ne prono capite, qui alias in proclivi eſt humor ad ruendum, eo magis decum-

decumbat. In cibis adhibeantur, quæ refrigerent, humores incraſſent & adſtringant: qualia ſunt fercula ex oryza, amylo, ptiſanæ cremore, amygdalis dulcibus & ſem:4. frigidis majoribus & minoribus acetoſæ, plantaginis, parata. Vinum morbo & ſymptomati huic adverſiſſimum eſt, niſi extrema virium imbecillitas eo uti nos cogat: & tum vinum ſit ὀλιγοφόρον, rubeum, aut aliorum modice refrigerantium & adſtringentium remixtione, correctum: ut vinum, in quo *radices tormentillæ*, itemque *balauſtia*, ebullierint. Somnum reparandis viribus maxime conducibilem medicamentis notis invitabimus, curioſa interim & diligenti obſervatione, dum ęgrotᵒ dormit, ne ſanguis ad faucium iſthmum introrſum fluat. Vitet omnes animi motus inſignes, quod ſanguinem, qui jam ante furit, magis commoveant: qua ratione nec multum nec alta voce ægrotum loqui velim: cum id ſurſum rapiat humores: qua de re fœminis, quibus menſes remorantur, nec cantare medici permittunt.

Uteri hæmorrhagia in mulieribus heic admodum frequens eſt, & non matri ſolum, verum etiam tenello fœtui admodum periculoſa. Heic, quæ ſanguinem ad partes ſuperiores revellant, magnum curationis momentum adferunt: quamobrem frictiones & ligaturę partium ſuperiorum, cucurbitulæ iiſdem partibus appoſitæ, utiles. *Gal: 5. m. m. cap. 3. & 13. m. m. cap. 19.* cucurbitam magnam ſub mamma defigit. Sanguinis miſſio ex ſuperioribus partibus pauca quantitate facta ad partes oppoſitas revellit; cavendum tamen, ne vires alias in hoc morbo admodum debiles, & nimia profuſione ſanguinis proſtratæ, intempeſtiva phlebotome penitus ſuccumbant. Intus talia porriguntur, quæ in narium hæmorrhagia prodeſſe memoravi. Foris quoque eadem applicata conveniunt, ſi lumbis & uteri regioni cataplaſmata refrigerantia & fluxum cohibentia apponantur. Niſi enim ſanguis ocius ſupprimatur, ægroti ſalus prope deſperata eſt. Eadem quoque remedia per metrenchytam utero infuſa, aut goſſypio illita & matrici inſerta, commendantur. Abortus, quem prægnantibus purpurpura correptis & frequentem eſſe & ab hæmorrhagia inſtare ſuperius demonſtravi, cavetur, ſi remotis cauſſis, ſanguis ſupprimatur, ſimulq; fœtᵒ deperditum robur inſtaurantia offerantur. In quam rem *Aq: fragorum, acetoſæ* cum *balſamo*

 puero-

puerorum, ſyrupo acetoſ: citri, corall: rub: Idæi, granator: acidor: granorum chermes exhibetur. Itē *Conſerva totius citri, roſar. berberum cum ſem: condit: co... : aurant: conditi: nux Indica condita, cydonia, pyra moſ{i}batellina, condita: vinum cydoniorum, prunorum ſylveſtrum, ribium, ceraſorum,* Sanguinem ſequens in gravidis ſupprimit, fœtumque imbecillum refocillat.

℞. *Aq: tormentill: cydonior:*
fragor: roſar: an: ℥ j ß.
Vini granat: cydon: an: ℥ j.
Lap: hæmatit: præpar:
Terr: ſigill: Sileſ: opt: an: ℈ j.
Semin: acetoſ: plantag:
granor: cherm: an ℈ ß.
Mag: corall: matr: perl. an: ℈ j.
Extr: tormentill: g. vj.
Spir: bacc: rub: Idæi
cydon: roſar: an: ʒ ß.
Balſami embryon: ʒ vj.
Syr: corall: ℥ j ß. miſc:

Fortiora refrigerantia, niſi extrema neceſſitas aliter velet, in gravidis minus tuto dantur. Quæ per hæmorrhoides, urinas, & alvum effertur hæmorrhagia, rarior eſt, & conſuetis, ſi modum excedat, remediis curatur, quæ ex aliis practicis peti debent: namque horum ſymptomatum curationem in pauca contrahere mihi conſtitutum.

CAPUT XXXVI.

De ſiti atque faucium ſqualore.

Sitis inexpleta in hoc morbo ſæpe ægros excruciat, & exæſtuans præcordiorum calor ægros interdum adeo valide affligit, ut, quamvis plenis cyathis poculenta ingurgitent, ſitis tamen nihil inde remittat: ita ægri *Tantaleo* quodam malo ſitiunt aquas

aquas in aquis, quaſi *Dipſada* venenum huic morbo originem dediſſet,(*Dipſade* enim demorſos nulla, quamvis copioſiſſima, potione levari teſtatur *Aetius ſerm: 13. cap. 22. Paulus Ægineta lib. 5. cap. 16*) aut ſi *ſublimatum* aut *arſenicum* hauſiſſent, ita enim graviſſima ſiti premuntur, ardorque viſcerum hos ſic torret, ut nec largiſſimo potu ſitis tolli valeat: ſed & lingua fauceſque maligno calore arent & fuligine obſitæ ſunt, & quicquid interioris palati videtur, aut craſſo humore obductum, aut ſcabrum, aſperum & quaſi toſtum apparet, retorrido viſcerum calore expirante *πείσματα καυσώδεις*; cum purpura arſenicali ſua virtute cuncta interiora inflammet. *Ex hac enim cauſſa, quam videmus, illam, quam non videmus, ratione perſpicimus*, ut *Gariopontus lib. 7. cap. 4.* monebat. Hinc non ſolum deglutitio impeditur, ſed &, aucto præſertim malo, reſpiratio cum difficultate trahitur, quamvis nulla impedimenta in faucibus advertere liceat. An quod fuliginoſa materia recondita hæreat in laryngis & œſophagi interioribus, quo penetrare viſus medici nequit? aut quod maligna morbi vis *cicutæ, fungorum quorundam, ſolani majoris, Bella donna* dicti, (de cujus viribus adi *Matthiolum comm: in 6. Dioſcor: cap. 6. Camerar: memorabil: med: cent: 3. part: 53.*) venena imitata, in anginam ſe convertat, ac fauces penitus intercludat? Heic enim fauces potius collabuntur & graciléſcunt magis, quam ſolebant, adeſtque ſtrangulationis metus: ægri conqueruntur, in interioribus colli ac thoracis partibus hærere tanti mali cauſſam, quem locum ſæpe digito monſtrant. *Aretæus lib. 1. de cauſſ: & ſign: acut: morb: cap. 7.* hanc affectionem *συνάγχην* vocat, quaſi *συνεύουσαν ἔνδον καὶ ἄγχουσαν*, i. e. *interius vergentem & angentem*, exiſtimatq; ſolius ſpiritus vitium eſſe, prava converſione ad calidiſſimum ſicciſſimumque mutati, nulla corporis parte inflammatione laborante: idque exemplo *Charoneorum ſpecuum* probat, in quibus ſtrangulatus citra ullum aliquod vitium acutiſſimi contingunt: imò vel unica inſpiratione, priusquam corpus aliquod maleficium contrahat, homines moriuntur. Quod de *Charoneis ſpecubus* confirmat *Strabo lib. 14. geograph: Galenus comm: 2. de nat: hum: text: 2.* Cujus rei Puteolis conſimile exemplum videmus in canibus, qui in ſpeluncam cognominem immiſſi ſtatim ſuffocantur, quod & notat *Marcius Zuccarus in meth: occurrendi venenat: corpor: cap. 10.*

Cæte-

Cæterum cum his maximi caloris ſignis merito quis miretur, extremas partes ſubfrigidas, aut ſubtepidas, eſſe, lethali profectò ſigno ſententia *Hippocratis 4. aph: 48*. Qua in re hæ malignæ febres lipyriis ſimiles ſunt, non tam à morſu bilis acerrimæ, quam à veneni malignitate atq; cauſtico calore, (unde partium extremarum frigus, facultatis vitalis à veneno exolutione, ejusque à maligno calore ad interiora retractione, oboritur,) productæ.

Siti levandæ, & reſtinguendo æſtuanti viſcerum calori, ea huc advocentur, quæ his refrigerandis conferre ſuperius notavi. Inter initia tamen copioſus frigidæ frigidorumque potus improbatur, ne materiam malignam magis infigant: quare modicus tum eorum ſit uſus, tepidaque potius offerantur. Convenit potius fallendæ ſiti ore tenere taleolum *anguriæ, mora, ceraſa, rob ribium, berberos conditos, ſaccharum violaceum*, modico *ſpiritu vitrioli* aſperſum. Æger quoque crebrius os abluat aqua hordei, aut frigida, in qua pauxillum *ſalis nitri* diſſolutum. Sæpe enim, ut in loco dixi, ſitis à potu nequicquam remittit, quod malignus calor ſimplici refrigerio non tollatur, atque ejus minera ſæpe alibi, quam in ventriculo hæreat, quæ arſenicalem vaporem continuo exhalat, quò permeare vis refrigerij vix poteſt. Aer itaq; quantum licet, refrigerandus; qualem & haurire æger debet, monentibus *Hippocrate & Galeno 6. epid. ſ. 3. t. 33*. Quin & ægrum os claudere & tacere conveniet: quod tollendæ ſitis remedium ab *Hippocrate & Galeno loco eodem* adductum. Procedente morbo, præmiſſis alexipharmacis cæterisque catholicis auxiliis, frigida copioſe tutoque offeruntur, quæ in caloris purpuratis remediis enarravi.

Lingua fauceſque, cum fuligine hac fere oblimatæ ſint, unde dictæ partes exiccari, ac nativa earum humiditas abſumi, ſitisque magis intendi poſſit, ſuis abſtergeri medicamentis debent. Lardi recentis, in aqua ſempervivi majoris macerati, lamella linguæ applicatur, quæ ſordes tenaces eliquat, ut nec humiditas, linguæ inducta, quemadmodum aliorum refrigerantium, facile abſumatur. Prodeſt etiam *butyrũ recens aq: portulacæ fragor: aut roſar:* lotũ, cum momento *lapidis prunellæ* pauca quantitate acceptum, ut ſenſim in ipſo ore liqueſcat, linguamque fauceſque pinguedine ſua irriget. Alij *aquam ſemper-*

viri,

vivi, prunella, cum modico *ſalis nitri* aut etiam *Ammoniaci* pro collutione oris extollunt. Cheirurgi plurimis variiſque in hanc rem gargariſmis & linimentis utuntur, quę ut nota heic repetere ſuperſedeo. Potentiſſimum eſt, quod ex *cancris fluviatilibus* N. viij. *Herb: ſempervivi majoris* M. iij. contuſis & expreſſis paratur: ſi ſucco expreſſo, adjecto *ſaccharo violaceo* paucoque *ſale Ammoniaco* aut *nitro*, os ſæpius colluatur. Cheirurgus etiam penicillo aut ſpongiola his imbuta, bacillo alligata, interiores colli partes abſtergere debet: quod ea titillatione vomitus aliquando excitetur, aut certe valida & violenta exſcreatio ſuccedat, qua, quodcunque adhæret fuliginis aut limoſæ ſubſtantiæ, ſimul rejicitur. Nec ægrotus moleſtum hoc auxilij genus formidet; quin ipſe vehementi ſcreatu & ſupremo conatu allaboret: ne iſthmo fuliginoſis excrementis oppleto commeatus vitalis auræ intercipiatur, ſed ut, facta via vi, materia, quæ in penitiſſimis laryngis atque œſophagi partibus impacta hæret, motu iſto periſtaltico ſurſum propellatur, quo alias vis gargariſmi atque cheirurgi manus pervenire nequit. *Stercus canis* oſſa comedentis cum *melle roſaceo* aut *violaceo* permixtum à quibusdam illinitur: quod & *lacte muliebri* diſſolutum colatum & potum quibusdam noſtratibus mulierculis mire commendatur. Hoc etſi abſtergendis ſordibus præcipuum remedium ſit, teſte *Galeno lib. 6. med: loc: cap. 2. text: quæ Muſa ſcripſerit &c.* ut eo nullum fortius noverit medicamentum neq; in angina, neque in magna tonſillarum inflammatione, aut his quibus ex glandulis ſuffocationis periculum imminet: dum tamen illud pro refrigeratione in potu noſtræ mulieres temere exhibent, ſingulari quadam ſecreti & efficacis ad refrigerandum remedij perſuaſione, credulitatis ſuæ pœnas luunt, devolutæ ad tam ſordidi medicamenti uſum, nullo refrigerio, ſæpe majori damno, (niſi quod, dum bibitur, faucium ſordes abſtergeat) cum omne ſtercus natura ſua calefaciat. Abſtracta fuligine cutis linguæ & palati tenera, ſæpe ſordium adhærentium acrimonia exeſa, obducenda *muccagine ſem: cydonior: pſyllij, tagacanth:* cum *aq: malvæ, lactucæ, roſar: portulac:* extracta, adjecto *ſyrupo violar: portulacæ*, ne calore maligno exiccetur.

Exterius *olea violar: roſar: amygdalar: dulc: chamameli*, *unguentum roſatum*, *dialthææ &c.* cum *nitri* & *caphuræ* modico illinuntur.

tur. *Balthaſar Conradinus* ſequens duplicatis linteolis tepidum apponere jubet, ſi in palato nulla noxa ſit, ſed interiora gulæ atq; laryngis occupet.

R. *Myrrh: Thuris an:* ℥ *j.*
Aceti ℥ *iij.*
Aquæ ſolatri ℥ *vj.*
Caphur: Croci an: ʒ *j.*

miſc: l.a.& coq: ad diſſolutionem gummatum: hinc tepida apponantur. Aut *aq: florum ſambuci* & *roſar:* cum *aq: theriacalis caphurata* modico tepida applicetur. *Aretæus lib 1. curat: acut: morb: cap. 7. ubi nihil in faucibus aut extra fauces noxij conſpicitur, & ubi partes illæ potius concidunt & interius compreſſio majori ſtrangulatione excruciat, ut interna inflammatio ad cor usq; pertingere videatur, ab interioribus extrorſum* jubet *evocare humores & caliditatem, ut totum foras extumeat.* In quam rem *calidas irrigationes* probat cum *ruta* & *anetho*, inſperſo *nitro*: item cataplaſma ex *farina hordei, ſeminis lini, fœni græci, melle & oleo.* Prodeſt etiam *eodem authore ceratum ex ſinapi* & *nitro* ad calorem excitandum imponere: *calor enim exterior hujusmodi vitium tollit; ſed in collo tumor extuberat. Tumor ea, foras in ſublime elatus à pulmonis inflammatione liberat, intus vero abditus anginam patientibus pernicioſum malum.*

Illud vero denuo monere neceſſarium arbitror, viſceribus incendio conflagrantibus, extremis vero partibus frigidis, aut tepidis, omni ſtudio nos ſollicitos eſſe debere, quo ex alto foras trahatur calor, & cum eo malignitatis focus. Quare diaphoretica fortiora exhibeantur, quæ malignum calorem ſtrenue expellant, & obſtructos poros reſerent, quod iis apertis tranſpirare malignus calor poſſit. Quò vero data remedia potentius operari queant, foris ægrotos bene operire decet: ita ſudor facilius effunditur: totis enim viribus enitendum, ut à profundo calor ad ſuperficiem retrahatur, ut monent *Aetius lib. 5. cap. 95. Ægineta lib. 2. de re med: 36. Avicenna lib. 4. fen 1. tract: 4. cap. 4* Prodeſt ad hanc rem *inunctio Aetij* ex *hydrelæo* & *nitro*, aliaque, quæ exterius illinenda dixi. Pleroſque tamen ſic affectos morbo ſuccumbere vidi, dilatis fere in ſerum tempus morborum remediis.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXXVII.

De pectoris ac pulmonum affectibus.

LAterum pungentes dolores, ſanguinis ſputum, pleuritis, peripneumonia (quos affectus uno capite abſolvam) interdum purpuratæ febris ſymptomata ſunt: quamvis populari jam lue hos affectus, ut primarios morbos, qui febrem purpuratam conjunctam aut conſectariam haberent, in diverſis adverterim; quod de iisdem alij quoq; ſcriptores memorant. *Guido de Cauliaco c. 5. doct: 2. tract: 2.* ſuæ cheirurgiæ, anno CIↃ CCC XLVIII. tempore *Pontificis Clementis ſexti Avinione* pleuritidem peſtilentialem graſſatam refert, quæ orientis & occidentis regiones ac totam Europam integrum quinquennium afflixit; tantæ malignitatis, ut intra tres dies ægrotos jugularet, tantæque contagij vehementiæ, ut non eos modo, qui familiariter cum ægro converſarentur, verum etiam qui ſolùm eum adſpicerent, inficeret. Quam pariter inſignis medicus ac philoſophus *Hieronymus Fracaſtorius lib. 1. de ſyphil:* ſeu *de morb: Gall:* ſequentibus verſibus expreſſit.

Bis centum fluxere anni, cum, flammea Martis
Lumina Saturno triſti immiſcente, per omnes
Auroræ populos, per quæ rigat æquora Ganges,
Inſolita exarſit febris, quæ pectore anhelo
Sanguineum ſputum exagitans (miſerabile viſu)
Quarta luce frequens fato perdebat acerbo &c.

Sic *VVeierus lib. de morb: incognitis* anno CIↃ IↃC LXIV. in *Belgio* atque adſitis *Rheno* provinciis tres periculoſiſſimos morbos anginam, pleuritidem ac peripneumoniam tanta feritate ac contagij vehementia increbruiſſe narrat, ut ſæviſſimæ peſti comparari potuerint: cum iis affecti tertia aut quarta die fere morerentur, pauci ſeptimam attingerent. Pariter *Rembertus Dodonæus in obſerv: med. cap. 21.* peripneumoniam bis populariter ſæviiſſe, Proſper *Alpinus lib. 1. de præſag: vit: & mort: ægrot: cap. 11.* pleuritides peſtilentes epidemicas conta-

gioſas *Baſſani* graſſatas fuiſſe teſtatur: quibus correpti quarta aut ſeptima die ut plurimum occumberent.

Cauſſam horum in purpura ſymptomatum refero ad materiæ corruptæ ac venenatæ ad partes reſpirationi ſervientes decubitum: quæ venas pulmonum erodit, ſanguinisq; ſputum excitat, aut in ſuccingentem membranam, pulmonumq; ſubſtantiam, delata harum partium imflammationes periculoſiſſimas producit.

Profecto ut funeſta eſt ſanguinis excretio, quæ ex pulmone, venis ibidem apertis, educitur, quod tabem inferat; ita in hoc morbo eo magis metuenda eſt, ſi copioſior fiat, cum quaſcunq; hæmorrhagias interitum ægri maturare dixerim: namque tenera & fungoſa pulmonum ſubſtantia acri & maligno ſanguine oppleta facile corrumpitur. Quæ cauſſa eſt, cur pleuritis atque peripneumonia, cum utraque ſatis periculoſa ſit, heic, ob malignitatem purpuræ, & quod tam graves morbi, ſymptomatum vicem ſuſtinentes, graviorem morbum comitentur, duplicato aut triplicato quaſi malo, medicum ægri ſalutis anxium attinere poſſit.

Sanguinem tamen expectorari pauciorem, reſpirationem tuſſimque eſſe facilem, dolorem leviorem, qui ab ἀνακαθάρσει manifeſto remittat, ſputa laudati eſſe coloris ac ſubſtantiæ, viribus conſtantib⁹, pro auguriis felicioris curationis habenda: ut contra ſanguinem copioſè manare, tuſſim eſſe aridam ſiccamque, qua nihil, aut pauca, cruda, aut prava, nigra, viridia, vehementer ſpumantia, admodum fœtida, rejiciuntur, unde dolor necquicquam remittat, viribus imbecillis, difficillimam fore curationem, ægroq; præſens periculum imminere, arguunt. De qua re adi *Hippocratem* & *Galenum* *2. prog: text: 51. & ſeq: Coac: 381. 385. & ſeq: 1. de criſ: cap. 5.* item *de tot: morb' temp: cap. 6. Corn: Celſum lib. 4. cap. 7. Avicenn: lib. 3. fen. 10. tract: 4. cap. 7. 8. & ſeq.*

Curatio horum affectuum, peculiarem medendi rationem poſtulat, qualis in iiſdem pectoris affectibus, dum omni malignitate carent, non obſervatur. Nunquam profuturæ heic ventris dejectiones, niſi expurgandis primis viis inſtituantur, ob rationes ſæpius allegatas, & quod *Hippocratis* decreto *lib. 1. aph: 22.* ſit cautum: *concocta medicari oportere, non cruda, niſi materia turgeat.* Phlebotomen, ſalutare alia-

re alias præſidium in his ſimplicibus affectibus, dum malignitas abeſt, heic plurimum obfuiſſe memorant *VVeierus loco citato, Mindeter: de peſt: cap. 17. Balthaſar Conradinus de feb: miſcell: Ungar: cap. 20,* quod venenum humoribus permixtum agitatum potius, quàm eductum, idemque intrò magis retractum fuerit, ut exſcreatio corrupti ſanguinis impediretur: qui intus retentus majus incendium fecerit, cunctaque ſymptomata efferaverit, viribus languidis venæſectione magis proſtratis. Quod ſi ſanguinem cum *εὐφορίᾳ* aliquando mitti contigiſſet, illud principio morbi, antequam ſanguis tuſſi rejiceretur, factum *VVeierus* aſſerit (Quod & *Dodoneus* in peripneumonia epidemia contigiſſe *loco allegato* refert, etſi phlebotomen primo aut ſecundo die factam plurimum ibidem commendet,) in corporibus polyæmis, ætatis florentis, aut quibus ſolita vacuatio ſuppreſſa fuiſſet. Quorum authorum fide & ipſius experientiæ documentis temere ad phlebotomen heic properari nolo; ſed alexipharmacis primùm oppugnare morbi malignitatem factu conſultiſſimum duco: ita enim laterum maximos dolores, tuſſim moleſtiſſimam, & interceptam prope reſpirationem, communis alicujus bezoartici, bis terve repetiti, uſu evaneſcere vidi: ſi ſtatim primo morbi inſultu, primiſque viis ab excrementis repurgatis, exhiberetur. Quod ſi ætatem aliquot dierum morbus haberet, tardior ſequebatur effectus: continuata tamen alexipharmaca, iisdem remixtis, quæ his affectibus propria quadam dote conferrent, plurimum contuliſſe obſervavi.

Pro ſanguinis ſputo ſequens exhibeatur.

℞. *Aq: portulac: plantag:*
flor: papav: rhœad: an: ℥ ij.
Terr: ſigill: Sileſ:
Boli Armen: ver: an: ℈ j ß.
Mag: C. C. corall: an: ℈ j.
Extr: tormentill: g. vj.
Syr: corall: portulac: an: ℥ ß. miſc.

Proderit etiam *Conſerv: roſar: vetus cum bolo, terra ſigill:* & *ſyr: corallorum*: item *Conſerv: fl: papav: err:* cum *ſyr: berber: granat: acidorum*: aut *Aq: polygoni, fol: querc: equiſet*: in quibus *lapis hæmatites* longo attritu diſſolutus fuerit, remixto *ſyr: portulac: è ſucco plantag:* & *granis* aliquot

Digitized by Google

quot *extr: tormentillæ*, adjecto, ſi res poſtulet, momento *laudani opiati*.

Si vero inflammatio pulmones aut pleuram occupet, eam in rem parari remedia poſſunt ex C C. *rad: cichor: myrrh: odor: ſcorzoner: helen: contrayerv:* herbis *ſcabioſ: veron: card: ben: endiv: tuſſilag: hyſſop: marrub: ſcordij, acetoſæ & trifolij acetoſi: ſeminibus card: ben: citri melon: card: Mar: lapp: min: chærefolij: floribus violar: calend: papav: errat: Mag: ſuccin: ocul:* ♋, *maxill: lucij piſc: præpar: oxyſacch aro, oxymell: ſimpl: & ſcillit*: quæ pro vario medentis propoſito varie exhibentur. Quod ſi dolor maxime urgeat, primis morbi temporibus, defluentibus ad pectus acribus & venenatis humoribus *laudani opiati* granum unum aut alterum per intervalla offerre licebit, quod arcani ſui titulo *VVeierus* intellexiſſe mihi videtur. Sic *flores papaveru rubri cum capitibus* leviter coquuntur in *aqua pimpinell: & ſcabioſæ an: p. æ.* Colatura modico oxyſacchari dulcoratur. Dantur bibendæ ℥iiij. ter vel quater quot diebus, initio morbi, fluente adhuc materia: hanc namq; dicta potio ſiſtit, &, quod influxit, abſumit, ac, cum ſudoré ſimul moveat, materiam alio avertit. Non enim tantummodo incraſſandi vim *papaver rhœas* habet, & influentis humoris impetú inflammationesq; compeſcit; ſed & partium quadam tenuitate & digerente facultate pollet, ut notat *Lobelius* apud *Schenk*. Illud religioſe obſervandum, ne confirmato jam morbo, & ubi craſſa ac viſcida materia in pectore reſtagnat, ad uſum opiatorum deveniamus: ne conceptæ materiæ anacatharſis impediatur, ac præfocans diſpnœa & conſectaria mors propere conſequantur. *VVeierus* ſequens in epidemia illorum temporum pleuritide ſalutare plurimis fuiſſe teſtatur.

℞. *Theriac: opt:* ℥ ß.
Bol: Armen: aliquoties
in aq: card: ben: loti ʒj.
Sp: diamarg: frig: ℈ij.
Sem: citri, ſcordij,
ſcabioſ: an: ʒß.
Cornu monocerot: veri ʒ ß.
Syr: acet: citri aut é ſucco acetoſæ q. ſ. miſ: f. Elect:

ex quo æger capiat ʒj. cum *aq: card: ben: ſcabioſæ*.

Linctus

Linctus, qui expectorandæ materiæ præſcribuntur, conſuetam dulcedinem non habeant, ne illam magis inflamment, putredinem ac corruptionem partis, ab acri & venenato humore factam, augeant: quod iſtis ægrotos maxime læſos fuiſſe teſtentur *VVeierus & Balth: Conrad: locis citatis*, ac venenatam morbi qualitatem his dulcibus necquicquam domari conſtet. Hinc potius quæ acrimoniam temperant, fluxiones ſiſtunt & refrigerant, principio commendant, (quod & facit *Dodonæus loco citato*) quibus acida conjungunt; contra quàm in aliis bechicis communiter fieri ſolet: ſed & his acidis ſolis fluxione ſedata uti jubent: ut *ſyr: acetoſæ, ſucci citri, ſl: acaciæ, berber: ribium, granatorum, oxymelle, diamor: rob: ſambuc:* cum *aqua card: ben: ſcabioſ: borrag: bugloſſi, tuſſilag:* Ex quibus fiunt julebi, aut ſyrupi iſti aliis decoctis miſcentur. Etſi enim pleraque modicè adſtringant (quamobrem nimis acida eſſe non debent) non tamen id adeo validè agunt, ut meatus pulmonum penitus intercipiant: namque acore materiam incidunt, attenuant, &, quia leviter membranas vellicant, tuſſim excitant, atque ſic materiam educunt: calorem præterea temperant, & inſtanti putredini valide reſiſtunt. Quin ipſe *Hippocrates lib. de loc: in hom:* in laterali morbo *aceto mulſo*, aut *aceto & aqua* uti, eamque copioſe offerre, jubet, ut quæ inde contingit madefactio, exſcreationem faciat. Quo authore *3. de rat: vict: acut: acetum mulſum, oxymeli* vocatum, ſputum educit & facilem reddit ſpirationem *sp: ſulphuris* per campanam cæteris palmam præferre merito cenſetur. Nec diſplicebit *bolum Armenum, verum, luteum,* aliaq; id genus remiſcere, quæ vim ſiccantem & alexiteriam habent. Ita teſtatur *Valleriola in append: loc: comm:* in populari illa tuſſi, quam vulgus *la coculuche* vocabat, quæ per univerſam *Galliam Anno CIↃ IↃ LVII:* viguit, ægrotos 1557. plurimum adjutos *bolo Armeno*, ſi linctibus, decoctis, paſtillisve in ore tenendis admiſceretur. Et *Menghus Faventinus tract: 5. de feb peſt. bolum Armenum* in aſthmate commendat ex *Serapionis de temp: ſimpl: cap. 394.* Progreſſo jam morbo & ubi cætera expectoratum parum promovent, ſequens offeratur. Nam materiam potenter educit putredini & malignitati oppidò reſiſtit: ex quo æger ſæpius in die pitiſſando parum ſorbeat: quo ſenſim in aſperam arteriam deferatur.

℞. Gumm,

℞. *Gumm. Ammon. elect.* ℥jß.
fl. ſulphuris compoſ. ℥j.
Rad. zedoar. helen.
Iridis Illyr. myrrhid. an. ℥ß.
Croci or. ℈j.
Aq. acetoſ. ſcabioſ.
veronic: an. ℥iij. miſc.

Decoque l. a. vitreato vaſe optime clauſo; colaturæ expreſſæ adde *Syr. jujubini* ℥jß. *Spir: ſulph.* per campanam q. ſ. modicæ aciditati.

Exterius leniendo dolori decoctum *fl. verbaſci, chamæmel. malv. ſem. lini. fœni græc. malv.* ex lacte paratum laudatur, ſi illô veſica ultra dimidium repleta loco affecto imponatur. *Balthaſar Conrad. de febr. miſc. Ung. cap. 20.* quod ſequitur cataplaſma parti dolenti, thoraci præſertim ac hepati, votivo ſucceſſu applicari ſcripſit.

℞. Kornſchnalgen Blumen *An fl. papav. err. rubri?*
Flor. roſ. rubr. an. Mij.
Contuſ. miſc. cum *oleo roſar: viol: an:* ℥ij aut ℥iij.
Rhabarb: Rhapont. an. ℥j. f. cataplaſma,

quod tepide applicetur. *Folium braſſicæ, butyro inſulſo illitum & ſuper craticula calefactum, aſperſo pulvere cumini, cum momento caphuræ diſſolutæ ac portiuncula theriacæ, utiliter adhibetur.*

CAPUT XXXVIII.

De cordis palpitatione, animi deliquio & ſyncope.

Cordis affectus præcipui ſunt, qui ægroto & medico negotium in hoc morbo faciunt, quod purpuræ deleteria qualitas cordi, tanquam vitæ principio, maxime infenſa ſit; ſeu ibi nata, & ex aere inquinato proxime cordi illata, ſeu circa viſcera aut loca remotiora hæreat, unde ex intervallis fœda *μιάσματα* ad

cor ex

cor exhalent. Hinc cordis dolor & inexplicabilis anxietas: corporis incompoſita jactatio & inquietudo: cordis tremor & palpitatio: præceps virium lapſus ad ſtuporem uſque, nullis aliis manifeſtis tantæ imbecillitatis cauſſis: pulſus parvus debilis & frequens; aliquando ἀσφυγμία intercalaris, animi deliquium & ſyncope, cum ſudore diaphoretico, ſenſus vociſque ac motus privatione, & anhelitus totiuſque corporis refrigeratione. Quæ omnia argumenta certiſſima præbent, ſpirituum vitalium robur langueſcere; contra vero morbi venenati validos eſſe impetus, adverſus quos etſi natura ſupremo conatu obluctetur, tot tamen tantiſque malis inferior facta morbo ferendo ſæpe ſuccumbit. Cum aliàs cordis affectus graviores, etiam nullis manifeſtis morbis conjuncti, functi eſſe ſoleant. Quo refero *Hippocratis lib. 2. aph. 51. Qui ſæpe, & vehementer, ſine cauſſa manifeſta, animo linquuntur, ii derepente moriuntur.* Quemadmodum *palpitationi obnoxios omnes ante ſenectutem deceſſiſſe* teſtatur *Gal. 5. de loc. aff. cap. 2.* Niſi forte inſtante criſi palpitationes & anxietates cordis obrepant: cæterum tum alia ſigna imminentis criſis conjunguntur: quæ tamen in purpura raro feliciter ſuccedit; ut propterea dictos cordis affectus venenata cauſſa prognatos, eo magis in purpura metuendos eſſe cenſeam.

Heic ocius feſtinari debent remedia, quæ conceptam in corde malignitatem virtute alexiteria propellant, ſimul & propria dote evanidos cordis ſpiritus excitent & reficiant, cordiſque languorem demulceant: penetrantiſſima a. eſſe debent, quo prompte permeent, namque periculum in mora maximum: omni quoque cura vel leviſſimus error in animi deliquio & ſyncope cavendus: cum, ſi vel minimum erroris committatur, ad interitum propere ducat. Conſultius & ex re patientis magis fuerit, futuram ſyncopen proſpicere, eidemque venturæ opponere remedia, *docente Galeno 1. therapeut: ad Glaucu: text: 208.* quod ex præſenti jam ſyncope vix evadant ægroti, *cum inſtaurabilis non ſit diſſoluta natura,* ut monet *Aretæus lib. 2. de curat: morb: acut: cap. 3.* Leipothymia itemque palpitatio cordis, quæ in purpura corde primario affecto ſuccreſcunt, periculoſiores, quam quæ ventriculi, lienis, uteri, aut aliarum partium, conſenſu producuntur. his enim vitiis, ſi urgeant, potiſſimum medebimur, remixtis ta-

 libus,

Digitized by Google

libus, quæ cor à fœdis *μιάσμασι* liberare, illudque potenter reficere poſſint. Ità ſi animo linquant ægroti, ob dejectiones crebras, aut nimiam hæmorrhagiam; iis urgentibus ſymptomatis, quantum licet, celerrime medebimur, ita tamen ut & fatiſcenti ſpirituum robori refocillando intenti ſimus.

Pro palpitatione removenda efficaciſſima eſt *Aqua ex corde cervi* deſtillata, adjectis ante deſtillationem *ſeminibus ocymi, citri, floribus roſarum, roſmar. citri, aurant. 3. cordial. tunic. coronar. meliſſa, mace, zedoar, caryophyllis, cinnamomo & malvatico. Aqua ex novellis thyrſis cornuum cervi, affuſa aq. card. bened.* in vaſe vitreo per MB. *deſtillata*, potentiſſime malignos vapores abigit: quæ cum aqua cordis cervi, aut totius citri, aliave aqua cordiali, exhibeatur. Laudantur in primis *Spiritus & ſal eboris volatile, Spiritus* C.C. & *ſal ejusdem. Olea* item *horum deſtillata. Extractum croci cum ſucco citri* paratum. *Tinctura zedoar.* & *croci* cum *aq: meliſ. acetoſ.* diluta. *Caphura* infectos cordi vapores diſcutit, ſi ejus olei una aut altera guttula in *aq: meliſſ card. ben. aut theriacali* quadam exhibeatur: quæ tum maxime proderit, ſi mulier uteri ſuffocationi obnoxia ſit; aut affecti uteri, ſurſumq; inde exhalantis mephitis, ſigna adſint. De *Caphura* ita *Joh. Heurn. lib. 2. m.m. ad prax. cap. quæ cor calidum alterant, & roborant, Hoc mirum, ſi cyathus aquæ, in quo caphura, quanta nux avellana eſt, accenſa, exhibeatur cardiacis, ſtatim liberantur. Aqua* itemque *ſpiritus theriacalis capburatus Andern: Spiritus meliſ. roſar. fragor. card. bened,* cum pauco *croci extracto cum ſucco citri* parato, *ſale cinnamomi, proprio oleo animato*, affuſa *aq. meliſſ. card. ben. roſar. acetoſ. mag. C. C. ſuccin. perlar.* & *ſyrupo meliſ. granat rubi Idæi, berberum*, præ cæteris laudem meruere. *Falloppius lib. de tumor. præter nat. cap 25.* pro cordis tremore, ſyncope, palpitatione in peſte removendis commendat *electuarium de coagulis*, ex *coagulis hædi & cervi* paratum. A nimium calidis cavendum, & temperata eligenda, aut calidorum vis remixtione refrigerantium, ut *aquæ acetoſæ, fragor. roſar. cydon.* emendetur.

Foris palpitanti cordi & eminentiis arteriarum in carpis manuum, temporibus, cartilagini *ξιφοειδεῖ*, ſeu ventriculi orificij regioni (hoc enim, cum cordi ſit *συμπαθέστατον*, appoſiti medicamenti vires eidem communicat,) *oleum ſcorpionum Matthioli* inungatur, cui tantillum

lum *caphura* remixtum fuerit. Quin & *eidem oleo* guttulas paucas *olei ſtill. meliſſ. citri, macis rut*: inſtillare ac *theriacæ* aliquid miſcere, commodum erit. E. g.

℞. *Ol. ſcorpion. Matthioli*, aut ejus defectu,
vulgaris ſimplicis ℥iij.
Theriac. veter. Androm. ℥j.
Ol. ſtill. cort. citri
meliſſ. macis an. g. iiij.
roſar. g. iij.
Moſchi opt. g. ij. miſc.

Sacculi item ex foliis *meliſſ. cortic. citri, mace, flor. lavend. roſmarin. roſar. croco, caphura, pulv. cord. temper. pulv. ſantalor. rubr. lign. aloes* &c. *aqua cordiali, carbunc. cinnam. lavend. citri, meliſſ.* conſperſi; calefacti prius ſuper latere ignito, cui *vinum*, aut *acetum rutaceum, roſar.* aut *theriacale* ſit aſperſum, apponi poterunt.

Leipothymia ſi in hoc morbo ſuperveniat, ociſſime tollenda efficacibus remediis, antequam in veram ſyncopen terminetur. tum enim res ad deſperationem vergit, ubi ab exoluto calore extrema jam frigida, & ſudor ſyncopticus erumpit à diſſolutione ſolidarum partium: qui ſudor peſſimus, quod ſolidas partes ſpoliet humido primigenio, ſpiritusque languentes diſſipet; & quod demonſtret, retentricem adeo debilitatam, ut continere humores in vaſis amplius nequeat: de quo ſudore *Aetius, quæ in demortua ſuperficie erumpunt, quid aliud portendunt, quàm vitam extrinſecus efferri?* Pro revocandis itaque ſpiritibus jam evanidis, ægroti facies aſpergenda *vino, aqua roſar. lavend. cinnam. carbunc. aceto flor. roſarum, ſambuc. tunic. bacc. rub. Idæi &c.* Intus aquæ cordiales ori infundantur, quæ momento quaſi ſuos effectus præſtent; ut *aq. cinnam. diabor. totius citri, lavend. meliſſ. lilior. convall. roſar. carbunc. balſ. embryon.* item *vinum cydonior. bacc. Idæi, granatorum.* Inſigne cordiale eſt *tinctura ambr.* cum *ſpiritu roſar.* extracta, in *aq. meliſſ.* propinata. Idem facit *ſpiritus baccar. rub. Idæi* cum *aq. roſar.* aut *acetoſ.* exhibitus; item *ſpiritus meliſſ. lilior. convall. citri, card. ben.* & *Conſ. alchermes, de hyacintho, quinta eſſentia Matthioli, ſpec. cord. temperatæ: ſpec. de gemmis: Aquæ cordiales* plurimæ: quas tum apud authores diverſos, tum in officinis pharmaceuticis, ſingulari de

lectu reperies: qua de re in iis deſcribendis operoſior non ero. Calidiora tamen, quantum licet, in morbo calido vitentur, quamvis ea penetrantiſſima per ſe corpus ſe facile trajiciant: quare aliarum rerum refrigerantium conjunctione temperentur. Præter hæc *Gagatis* virtus admiranda eſt teſte *Aetio lib. 2. cap. 34.* Si enim accendatur & vino extingvatur, exhibeaturq; vinum cardiacis, confeſtim levantur, ſuppreſſo ſudore, & excitatis pulſibus. Cardiacorum morbo unicam ſpem in vino eſſe certum eſt, authore *Plinio lib. 23. hiſt. nat. cap. 1.* Namque teſte *Galeno lib. 12. m m. cap. 4.* omnibus, quos ſyncope male habet, vinum offerre convenit, ſingulari tamen delectu, ut flavo ſit colore, ſubſtantiâ tenui, odore fragranti: qualeeſt *Rhenanum*, ſi mediocrem ætatem habeat. Etſi enim vini uſus in purpura prorſus damnetur, & ſatis temere oleum igni affundant, qui reficiendis viribus ſtatim vinum propinant; quod ſulphur vini inflammabile æſtu maligni caloris facile accendatur: in hoc tamen caſu, dum vires plane concidunt, corpus totum refrigeratur, evanidos ſpiritus vino inſtaurare neceſſum eſt: quod citiſſime totum corpus pervadat, & familiaritate ſubſtantiæ ſuæ ſpiritus languentes reficiat, cum celeriter alterari, baſinque ac ſedem illius, quod digeſtum eſt, replere poſſit, ut notat *Steph. Ath. com. therap. 1. t. 183.* Unde *Averroes lib. 7. colliget cap. 16. Et ſummariè ſcire debes, quod quando ſyncope fuerit cum febre, ſtudendum eſt tunc in removendo & rectificando, ſeu curando ſyncopen: quamvis contrarium febris videatur. Quare dico, quod quamvis vinum Sarracenis bibere licitum non ſit, tamen in hoc loco licitum eſſe vinum bibere &c.* Et primo parca manu dandum, inde liberalius, ſi ſumma debilitas volet. Hinc *Aretæus lib. 2. acut. morb. curat. c. 3.* cardiacis, ubi humiditas jugulum frontemq; irrorat, extrema algent, arteriarum pulſus minimus, frequentiſſimus, veluti repens, ac tenore debilis eſt, vinum, ſed non pleno ore, neque ad ſaturitatem concedit. Quod ſi ſyncope intendatur, vinum quantum potare poſſint, porrigi jubet. Quod in ſolo vino refrigeratis ſpes vitæ poſita ſit. *Vinum ſit neq; nullarum virium neq; ingentium*, ut monebat *C. Celſ. lib. 3. cap. 19.* *Vinum ex baccis rubi Idæi* abeuntem jam animam illico revocat, maxima odoris fragrantia, ſapore ſuaviſſimo quod innoxie datur in maxima virium debilitate. Noſtræ matronæ *vinum Rhenen-*

Gagates / et Vinum mirabilia

nenſe ἐυοδέσμ]ον cum aq. roſar. & *cinnam. ſucco citri, ſyrupo violar*: aut *ſaccharo cando* permiſcent.

Naribus ſuaveolentia apponantur, ut *aq. cinnam: roſar.* cum *aceto roſar. ſambuc. bacc. rub. Idæi: balſamus quoq. roſarum citri, rut: macis, angelic.* cum *theriaca conſ. alcherm*: arteriis & cordis ac ventriculi ad cartilaginem ξιφοειδῆ regioni illini poſſunt. *Aretæus lib. 2. acut. morb. cap. 3.* odorem panis calentis recentis commendat; quo *Democritum* triduum effluentem ſpiritum retinuiſſe, quo ſoror ſacra *Cereris* interea peragerct, *Diog. Laert. lib. 9. vit. philoſ*: author eſt. Quomodo vero odorata reficiant *Steph. Athen. comm. in 1. therapeut. Gal. comm. t. 214.* docuit. Epithemata aliaque reparandis viribus ſupra allegata pariter adhiberi poſſunt. Mulieribus, quæ ad præfocationem uteri pronæ ſunt, minus ſuavia conveniunt, ne retractis horum uſu ſurſum vaporibus noxiis, malum gravius fiat. Iis *vinum lavend. meliſſ. ſalv.* cum aquis hyſtericis *puleg. matricar. artemiſ.* & pauxillo *ſpiritus caſtorei, ſpir. theriacal caph. Andern. extr. zedoar.* tuto datur. Foris itidem quæ minus ſuavem odorem effundunt, cordi tamen & ſpiritibus amica ſunt, adhibentur: Ut *acetum rutaceum, theriacale, caphur: Balſamus rut: angelic. ſuccini*, & cætera de genera hoc.

Revocare etiam ægrotum ad vitam convenit, iis, quæ ſpiritus languentes excitare, eosdemque à centro ad ſuperficiem revellere poſſint: qua de re nomen ægroti alteriusve amatæ rei ſæpius fortiter acclametur: pinnæ narium, manus itemque pedes, fricentur aut comprimantur: corpus leviter agitetur & concutiatur, quo ſibi redditus æger reviviſcat. Si tamen ab exhauſto æger langueat, à forti illo motu, itemque ligaturis dolorificis ac frictionibus cavendum. Sudor diaphoreticus ex toto thorace, cervice atque capite, prorumpens, reprimendus, iis, quæ ſudorem prohibent. Itaque *oleo roſaceo omphacino. cydoniorum, myrtillorum*, cui & quid *ſucci omphacij, acaciæ, gummi tragacant: rhois opſon: balauſt*: admixtum fuerit, corpus leviter inungendum, &, ſi qua in extremis partibus frigent, calidis linteis fovenda. Per quæ ſi conſequi poſſimus, ut & ſudoris impetus minuatur, & vita prorogetur, incipit jam tempus ipſum eſſe præſidio.

Sublato paroxyſmo, cauſſæ, quæ ſyncopen intulit, providendum, ne novo inſultu brevi recurrens ipſum ægrotum juguler. Itaque maligna purpuræ qualitas cordi, tota ſpecie inimica, quæ ſpiritus & temperamentum ſolidarum partium cum calore innato ac humido primigenio alterat, corrumpit & diſſolvit, potiſſimum corrigenda alexipharmacis, quæ cor ſpecifica virtute ſimul corroborent; qualia ſunt, *lapis Bezoar oriental: ambra, Mag: perl: corall.* C. C. *Rad. contrayerv: ſolut: ſmaragd:* C. C. *phil: præparatum.* Si vero nimia evacuatione ſpiritus diſſipentur, ut ſi hæmorrhagia narium, hæmorrhoidum ani, uteri, ſyncopen inferat; aut vomitus nimius, dejectiones, ſudores colliquantes, eam faciant, illis cauſſis remedia parabimus, quæ in iſtorum ſymptomatum curatione proponuntur. Quod ſi ab orificio ventriculi, utero, aliisve partibus, per *συμπάθειαν* cor affici conſtet, unde malignus vapor expiret, cordi adverſiſſimus, illi diſcutiendo & ſuſtollendæ ejus generationi ſtudebimus, pro cauſſarum varietate adhibitis diverſis remediis. Æger in hoc morbo ad leipothymiam pronus aere puriſſimo ac modice frigido decumbat, qui & rerum fragrantium, quæ vim refrigerandi habent, alterari poteſt, feneſtris patentibus, ſic ut perflatus quoque aliquis accedat: quo etiam minus corpus inſudet, levi veſte æger contectus eſſe debet. Naribus ægri, quæ ſpiritus languentes recreent, admovenda, *flores roſarum, violarum, nymph: luteæ, acetum roſarum, bacc: rub: Idæi, rutæ:* Cibus non multus; ſed ſæpe tamen, nocte ac die dandus eſt, ut, docente C. *Celſo lib. 3. de re med: cap. 19.* nutriat, neque oneret; ſitque facilis digeſtu. Quoniam, ut ait *Stephanus Athen: in 1. therapeut: Gal. ad Glauc: comm: 1, 183. Si ipſa nutrimenta ſe ipſa transmutare & corpori apponere natura poſſent, illa certe impræſentiarum eligeremus, quæ maxime nutrire poſſent, qualis eſt caro ſuilla, panis, reliquaq, id genus edulia. Sed quoniam facultas eſt, quæ has omnes actiones diſpenſat, nec ſine ipſa nutrimentum unquam corpori apponeretur: iccirco pro ipſius tenore nutrimentum admovemus. Neq, igitur cum nunc imbecilla ſupponatur facultas, nutrimentis maxime nutrientibus indigemus; (hæc enim concoctu difficilia ſunt, nec facile virtuti alteratrici cedunt:) ſed iis quæ celeriter ac citra laborem concoqui, celeriterq, diſtribui, poſſint.* Conveniunt *juſcula inſtaurantia ex carne gallinarũ, caponum, vervecum, turturum, perdicum,* alterata *acetoſa meliſſa,*

ſa. agreſta, citro, quibus & *vitellum ovi* remiſcere poſſumus: item panatella ex *decocto hordei, avenæ*, cum *aq: roſar:* & *pauco ſacchare*: juſcula ex *ceraſis acidis, prunis de prunellis*. Quin & per *clyſmata* liquorem nutrientem infundere licet, ſiquidem id quoque auxilij genus vires tuetur authore *C. Celſo lib. 3. cap. 18*. Vinum ob febris præſentiam, aliaque ſymptomata, quæ uſum vini non admittunt, extra paroxyſmum vix dandum; quod ſi æger vinū anxie deſideret, & ſudore nimio, aut hæmorrhagiis aliave evacuatione vires fatiſcant, illud pauca quantitate, *aqua fragor, acetoſ: roſarum, ſucco citri, berberum, ribium, rubi Idæi*, alteratum, concedendum. Quies imperetur, ne corporis motu ſpiritus magis diſſolvantur, ac veneni vis iſta jactatione nimia per univerſum corpus ſe magis diffundat. Somnus cum ad interiora ſpiritus & humores trahat, ſimulque eò venenum abripiat, mox à ſyncope non concedendus: quamvis enim in tuto æger eſſe videatur, verendum tamen, ne ad eandem imbecillitatem cito recidat: itaque ab adſtantibus diligenter obſervetur, ſi in quietem pronus videatur, ne durante ſomno, ſuperveniente nova ſyncope, poſtea nunquam expergiſcatur. Animi affectus ita componantur, ne ægro quavis ratione officiant. quem in bonam ſpem erigere, atque aliorum exemplis allatis animum ejusdem firmare, decet, qui gravi imbecillitate detenti, per divinam gratiam adhuc ſuperſtites, morbo feliciter defuncti fuere.

CAPUT XXXIX.

De nauſea, vomitu, cardialgia & ſingultu.

NAuſea, vomitus, cardialgia ſtomachica, frequentiſſime heic ægrum moleſtant; hæc quidem ob inſignem orificij ventriculi ſenſum, ejusque cum corde ob nervos ſexti partis, συμπάθειαν, dum illud malignis & acribus vaporibus aut humoribus lancinatur; iſte, dum ventriculus, pravis humoribus refertus, ſe ἀνα-

καθάρ-

καθάρσεις effundit: illa dum his firmiter impactis, irrito conatu, quodcunque moleſtum, ſtomachus expellere conatur: quamvis & veriſimile ſit, malignam purpuræ qualitatem ventriculum occupantem aliorum venenorum hauſtorum more ejuſdem æſtuationes, cardialgias; nauſeas & vomitus excitare. Eadem veneni purpurati vis ventriculi appetitum ſæpe adeo proſternit, ut omnis cibi faſtidium obrepat. Quod & purpuræ conjunctus calor ſola ſimplici qualitate facere poteſt, quemadmodum Solis caliditas ignem extinguit, & fornacis aut camini flamma validior lucernæ lumen, ut ſentit *Averroes collect: ſect: 3. cap. 14.* Ut autem leviores in hoc morbo affectus, certis quibusdam partibus emergentes, plerumque prænuncia ſigna ſunt graviorum ſymptomatum: ita cibi faſtidio ac nauſeæ, principio hujus morbi obortis, vomitus, ſingultus, *καρδιογμοὺς*, animi defectiones invaleſcente morbo ſupervenire memini.

Cæterum cum nauſea, vomitus ac cardialgia iisdem fere cauſſis oboriantur, una quaſi opera iſtorum curationem perſequar. Si itaque nauſea ægrum afficiat, aut vomitus non ſatis ex voto medentis ſuccedat, & ad os ventriculi humor decumbat, mandato communis medicinæ præceptoris *lib. 11. meth: med: cap. 9.* levioribus remediis expultrix ventriculi ad vomitum ſollicitanda; quo, ſi qui corrupti humores in ventriculo reſtagnent, ejiciantur, ac morbo fomes ſubtrahatur: illis enim ſublatis vomitus ſæpe ſponte remittit, & alexipharmaca accepta, depleto ventriculo, felicius ſuos effectus habebunt, ſed & topica ventriculo roborando innoxiè magis apponi poterunt. *Hydrelæum*, aut *decoctum hordei* cum *ſyrupo acetoſo*, aut, ſi humor craſſus ac viſcidus fuerit, *oxymelle ſimplici* aut *ſcillitico*, tepidum datur. Vel *decoctum ſeminis anethi, atriplicis, raphani*, cum *jure pulli* paratum, exhibetur. A fortioribus abſtinendi ægroti, ne hypercatharſis malignorum humorum fiat, membrum exquiſitiſſimi ſenſus virulenta acrimonia eorum vellicetur, ac cor cerebrumque in partem mali adducantur.

Præter leviora iſta vomitoria, ſi in ventriculi fundo viciniſque partibus materia corrupta hæreat, leniſſimo cathartico, quod ventriculum non offendat, levemque adſtrictionem poſt ſe relinquat, eam abducemus, & per alvum vacuabimus, *decocto tamarindorum*

cum

cum *ſyrupo roſato* aut *violato ſolutivo* & paucò *cremore tartari*. In calidorum humorum præſentia

R. *Rhabarb: recent:* ℨj.
Myrobalan: citrin: ℈j.
Spic: g. v.
Nuc: moſch: ℈ß.
Aq: acetoſ. tormentill: an: q. ſ.

Præparata l. a. miſc: & per noctem digerantur: poſtero mane ſub operculo leniter ebulliant.

R. *Col: expr:* ℥ij.
Syr: roſ: ſol: ℥ß.
El: roſ: Meſ: ℨß.
Aq: cinnam: ℈ij. miſc:

Quod ſi exhibita omnia vomitu regerantur, clyſmata, materiem ad inteſtina revellentia, adhibentur: cæteræ etiam revulſiones in enormi vomitu utiliter adminiſtrantur, ligaturæ ſcilicet partium extremarum, quarum etiam frictiones cum pannis aſperis calidis peragendæ.

Poſtquam materia vomitu aut medicamentis ſatis expurgata videbitur, quæ malignitatem expugnent (quibus ſolis repetitis contumaces ventriculi affectus, nauſeam, vomitum, cardialgiam, feliciter pluries ſedavi) fervorem & acrimoniam humorum obtundant, ac ventriculo robur addant, exhibenda: ut *ſyrupus & vinum granatorum acidorum*, item *cydoniorum, bacc: rubi Idæi, prunorum ſylveſtrium: Rob ribium. Syrupus berber: acetoſ: citri, de menth: compoſ:* cum *lap: bezoar: mag:* C. C. *corall: extr: rad tormentill.* per ſe, aut cum *aqua tormentillæ. cydoniorum, acetoſæ*, atq; *ſyrupi cinnam:* & *aquæ ejusdem* pauxillo. *Rob granatorum* propoſitum à R. *eſe 9. ad Manſ. cap. 62.* Utile quoque erit *Oxyporium Neronianum*, deſcriptum à *Marcello, Empiricæ ſectæ medico, cap. 20. In muſti*, ait, *recentis & dulcis, ex uvis albis facti, congium unum adduntur cydonia quinq, non purgata, totidem mala punica; additur & ſorborum maturorum ſextarius & Rhois Syriaci ſextarius. Croci* ℈j. *Hæc coquuntur ad craſſitiem mellis, poſtea diligenter colantur. repoſitum medicamentum ſervetur in vitro ſignatum, ſed omnino diligenter colatum, ut excrementa omnia ſeparentur: inde jejune datur ligula plena grandis. Hoc*

 eſt

eſt oxyporium Neronianum, quo Nero utebatur ad digeſtionem: quod, teſtimonio *Marcelli, ſtomachum mire componit, & humores ſiccat: excrementa quoq; data dyſentericis mirabile efficaciâ proſunt*. Omnibus fruſtra tentatis ad opiata deveniendũ. *Theriaca recens*, in qua vis *opij* fermentatione nondum penitus fracta fuerit, aut *theriaca vetus*, cui granum unum aut alterum *laudani opiati* permixtum, cum *ſyr: corallorum* exhibita commendatur. Sic *laudanum opiatum* cum *ſyr. menth: cydoniorum, corallorum*, paucis granis *lap: bezoar* & *ſol: ſmaragd*: vomentibus ſummè profuiſſe vidi.

Foris effuſo ad vomitum ventriculo, quæ valenter adſtringunt, minime apponenda, ne materia venenata intus magis figatur; ſed talia, quæ hanc ſimul oppugnare poſſint. Conveniet itaque *oleum ſcorpionum Matthioli* cum *oleo ſtill: citri, macis, abſinth: menth: criſp*: illitum, cui quid theriacæ adjungatur. Si vero æſtus vehemens in viſceribus deprehenditur, calidorum topicorum uſu abſtinebimus: & buccellam panis leviter toſtam, aſperſam *vino granat*: aut *vino ſimplici*, adjecto *pulv: coriandr. corall: maſtiches &c.* imponemus. *Cucurbitula* cum multa flamma ventriculi regioni appoſita vomitum ſiſtit, & venenum ex alto elicit. Cæterum ut temere tam nobilis membri cura non negligenda; ita non nimis negotioſi hac in re eſſe debemus, ſi affectus non adeo urgeat: principe enim medendi ſcopo feliciter ſuperato, reliqua leviora accidentia facile conquieſcent.

Singultus non inanitione & repletione, quæ veterum medicorum ſententia fuit, ſed maligna & acri humoris aut vaporis qualitate, quæ ventriculi expultricem laceſſit, exoritur. Hic in febribus plerumq; periculoſus eſt, niſi ſit criticus, & ſigna manifeſta coctionis appareant: tum enim criſin vomitione futuram, ac tunicas ventriculi irruentis humoris acrimonia vellicari, ſignificare ſolet. Cui ſi graviora ſymptomata conjungantur, majus periculum ex morbo portendunt *Aphonia* enim *cum ſingultu peſſima 1. prorrhet: 32.* & *Coac: aph: 45 Delaſſati, ſingultuoſi, ſoporoſi, male habere ſignificantur* & *Aet: tetrab: 3. ſerm: 1. cap. 5. Singultus in altiore ſopore, aut animi deliquio, aut etanis, obortus, mortem non longe abeſſe præſagit. Singultus ſi cum ſyncope nerit, mors in propinquo eſt Avicenna* teſte *lib. 4. fen. 4. tract. 2. cap. 16.*

quo

quo loco & *ſingultus à ſanguinis nimia evacuatione lethalis* habetur: item *qui in fluxu ventris oritur lib. 3. fen 16. tract: 1. cap. 2.* ſic *ſingultum à vomitu* damnavit *Hippocrates 7. aph: 3.* & *Celſ: lib. 2. de re med. cap. 4.*

Pro tollendo tam gravi ſymptomate ſuperandæ maligni qualitati operam dabimus, ſimulque quod lateribus ventriculi adhęret, & acrimonia ſua ſtimulat, alterabimus, abſtergemus & evacuabimus, non neglectis revulſionibus,quę materiam à ventriculo revellant. Si itaque in hujus cavitate ſtagnare ſingultus materiam compertum ſit, leniter eam vacuabimus, vomitu provocato *hydrelæo*, aut *oleo amygd: dulcium*, quod vires *florum violarum* biberit. Sed & leniter ſubducemus alvum infuſo *Rhabarbari* cum *ſyrupo roſ: ſol: & cremore tartari.* Nec alienum à re præſenti erit, clyſmate injecto materiam ad inteſtina retrahere, adhibitis ſimul aliis revulſionum generibus, cucurbitulis, frictionibus, ligaturis partium extremarum.

Pro temperanda maligni & acris humoris qualitate & abſterſione inhærentis acris materiæ bibant *decoctum hordei* cum C C. *raſp: Rad. ſcorzon: contrayerv:* factum, admixto *ſyrupo violarum.* Emulſiones *ſeminum 4. frig: maj: papav: alb:* cum *decocto hordei* aut *aqua acetoſæ, ſcorzoner: fragor: ſimpl: lactuc: flor: papav: rhœd: portulacæ* paratæ abſtergent & acrimoniam humorum temperant, item *amygdalogala cum aq: hordei* paratum, affuſo *rhodoſtagmate & ſaccharo cando. Aetius tetrabibl: 3. ſerm: 1. cap. 5.* inter illa, quę mordacitatem obtundunt, & ex ea obortum ſingultum ſedant, maximè omnium præſtare dicit *lac recens mulctum* & potatum. *Lactis mulieris* tepentis hauſtu à deſperato ſingultu quendam liberatum fuiſſe conſtat. *Jus galli veteris* abſterget, & acrimoniam humorum mitigat. Cui, itemque cæteris remediis, talia pleraque conſocianda, quæ flatus diſcutiunt, quod ſæpe vapores maligni hoc moleſtiſſimum ſymptoma cauſſentur. *Herba anethi, ſemen ejus*, item *aqua anethi* primum obtinent locum, ac proprietate ſuæ ſubſtantiæ juvant. Proſunt item *flores & aqua chamæmeli*, præſertim *Rom: cort: & ſemina aurant: citri, Aq: cort: aurant: & citri Aq: carui ſem: deſtill: Olea ſtillatitia, anethi, chamæmeli* ſapphirinum, citri, carui, aurant: & elæoſacchara inde parata laudantur.

tur. Caſtoreum teſte *Avicenna* prodeſt, idque *Aetius tetrabibl: 3. ſ. 1. cap. 5.* ex *aq: mulſa* potum pondere trium obolorum exhibet, in quibus multi crudi frigidi ac glutinoſi humores ſingultum excitarunt, Firmat *Oribaſ: lib. 4. de loc: aff: cur: cap. 83.* Quo in caſu *caſtoreum & potum & olfactum* à *Tralliano* commendatur *lib. 7. cap. 13.* quod tamen heic ob inſignem calorem, niſi foris aut exigua admodum quantitate, vix uſurpabitur aliis remixtum, ubi nervoſum genus manifeſto jam vellicari videmus. Præcedentibus dum utimur, ſequentis alexiterij quantitatem, quæ nucis avellanæ eſt, per intervalla æger aſſumat.

R. *Rad: contrayerv:*
C. C. philoſ: præpar: an: ʒj.
Sem: citri card: ben: an: ℈j.
anethi, carui,
Terr: ſigill. Sileſ: an: ʒß.
Solut: ſmaragd:
Mag: corall: an: ℈j.
Croci or: g. vij.
Lap: Bezar: or: g. vj.
Elæoſacch: citri, anethi,
chamæmeli an: ℈ß. miſc. f. pulvis, conveniente liquore propinandus.

Præparata materia ſequenti leniſſimo aut conſimili cathartico per alvum abducenda.

R. *Rhabarb: electiſ.* ℈iv.
Spic: ſchœnanth: an: g. v.
Sem: citri, anethi an: ℈ß.
Flaved: cort: aurant: ℈ij.
Aq: acetoſ: anethi an: q. ſ.

Remixta l. a. digerantur & optime clauſa leniter ebulliant.

R. *Col: expr:* ℥iiß.
Syr: de cichor: c. rhabarb: ℥ß.
Cremor: tartari ʒß.
Ol: ſtill: aneth: g. iij.
Elix: aurant: ℈iß. miſc.

Poſt quæ, ſi ventriculus debilis irruentes humores & vapores facile recipiat, quæ eundem corroborant, ſimul porrigenda: ut *aq: menth: criſp cydon: cinnam: diabor*: cum *ſyr: menth: criſp: de menth: comp: corallor: cydon: prunor: ſylveſt*: Quibus tamen & ſimilibus adſtringentibus ante factam evacuationem non utendum, ne materiam magis figant.

Omnibus iſtis adminiſtratis, ſi pertinax ſingultus non cedat, ad opiata deveniendum, quæ ſenſum ventriculi hebetant, ne irritamenta maligni humoris percipiat: ex quorum cenſu præcipua eſt *Theriaca recens*, quæ ſimul facultatem alexipharmacam obtinet. *Syrupus flor: papav: rhœad*: cum *ſyrupo cort: aurant*: aut *menth*: gutta una aut altera *ol: ſtill: aneth*: aut *carui* exhibetur: poterit & *croci* pauxillum miſceri. Prodeſt *philonium Romanum, Perſicum*, &c. *Laudanum opiatum* eo fine ſæpius à me uſurpatum cum *ſyr: violarum*: aut ſequenti *emulſione*, quæ acrimoniam humorum temperat, & flatus diſcutit.

℞. *Amygd: dulc: Ambro: ſ excort*: ℥ß.
Sem: 4. frig: maj:
papav: alb: an: ʒ jß.
anethi, citri an: ℈ij.
Aq: acetoſæ, fragor: ſimpl:
chamomill: an: ℥ iij.
roſar: anethi an: ℥ j ß.
miſc: f. l. a. emulſio cui adde
Syr: diacodeion ℥ jß.
cort: aurant: ʒ vi.
Nepent. Croll: *g*. ij.
Mag: corall C. C. *an*: ℈j.
Spir: bacc: rub: Idæi ʒ ij.
Aq: cinnam: diabor: ℥. iij. ſig: Steckmilch.

Si inſigni evatuationi, hæmorrhagiæ, alvi dejectioni, vomitui ſuccedat ſingultus, analeptica offeruntur, ut *juſcula expreſſa caponum, perdicum, vervecis*: quibus *juſculis* & *vitellum ovi* permiſcere licet: *amygdalogala*: *vinum* cum *vitello ovi aq: roſar*: & *ſaccharo*, aliaque quæ ſuo conſilio prudens medicus moderabitur.

Foris ſingultienti ventriculo, ſi intus æſtuet, quæ refrigerant, & acrimoniam humorum & vapor temperant, illinenda: ut *ol. viol roſar: amygd. dul: lilior: alborum:* quibus & ſpina dorſi diligenter inungenda: quæ pariter conveniunt, ubi inſignes vacuationes præceſſere. His, ſi flatuum adſit ſuſpicio, quid *olei ſtill: citri, anethi, rut: caſtor:* jungi poterit. Ventriculi regio faſcia conſtringenda.

CAPUT XL.

De Purpuræ diarrhœa & vermibus.

ALvi dejectiones in hoc morbo frequentiſſimæ, quod ex prava victus ratione venter vitioſis humoribus oppletus ſe effundat, fermentatione humorum à maligno calore facta, aut quod veneni purpurati pernicioſa qualit. humores adeo corrumpat, atq; colliquet, ut naturæ inutiles facti ſponte effluant, vel robore naturæ expellantur. Ex eodem humorum ad ventrem decubitu etiam teneſmus oritur, ut in loco notavi.

Fluxus alvi in peſtilentia ab *Hippocrate 3. epid: ſ. 3. text. 53.* maxime damnati fuere: *nam cunctos venter ſuſtulit.* Idem teſtatur *Galenus comm: loci citati & 3. in 3. epid: Ægroto 1.* Ita *Fracaſtorius lib. 2. de morb. contag. cap. 7.* dejectiones alvi in lenticularibus febribus non multum profuiſſe ſcribit: quod corrupta materia quidem expurgaretur, ſeminaria vero morbi non evacuarentur: quæ intus hærentia magis afficiebant ægrotos, his dejectionibus jam debilitatos. Contra vero *Gerardus Columba in proœm: tract: de peſt: febr: cogn: & curat:* in febri maligna, quæ *Siciliam* afflixit, omnes, quicunque evaſerunt, alvi fluore judicatos fuiſſe, aſſerit: quod tamen, lue dictâ non ex infecti aeris *μιάσματι*, ſed ex morboſo apparatu, productâ, eveniſſe credo.

Ex ſimplici alvi fluxu in purpurata febre nulla fida & certa prope indicia ſalutis aut exitij peti debent: namq; & incipiente morbo, ubi corrupta materia, in qua maligna morbi qualitas ſubſiſtit, in pri-

primis viis hæret, ſalutares diarrhœæ aliquando oboriuntur: quo fomite ſubtracto morbus aliquantum remittere ſolet. Ex adverſo, morbo jam in ſpeciem ſuperato, manifeſtis πεπασμῶν indiciis, funeſtæ diarrhhœæ interdum erumpunt; maximè, ſi morbus aere aut contagio traductus fuerit: quod, etſi putrida materia coctionem adepta innoxie alvo pellatur, princeps tamen morbi cauſſa, venenata materia, coctionis expers, invicta maneat, ac mora ſua principes partes corrumpat, præſens exitium poſtmodùm allatura. Fluente itaque alvo medicus probe attendat, an ductu & auſpiciis naturæ, victâ jam malignitate, & concoctâ materiâ fluxus feratur, atq; manifeſta εὐφορία appareat: & tum naturæ omne committat negotium. *Si nim, qualia oportet, purgentur, confert, & facile ferunt* teſtimonio *Hippocratis 1. aph: 2.* Quod ſi natura excretionem talem quidem moliatur, impar tamen ſuſcepto negotio ſuccumbat, medicus affectæ naturæ ſuppetias in tempore feret, atq; leniori pharmaco (metu hypercatharſis) remorantem materiam excludet, ne olim recidivam pariat. At ſi alvus morbi principio, cruda adhuc materia, quæ vel copia, vel mala qualitate, vel utraque, naturam ſtimulat, copiosè feratur, etſi tam brevi materia concoqui, & à corrupta materia ſequeſtrari nequiverit, unde nec laudata εὐφορία ſuccedit, metusq; ὑποστροφῆς morbi adeſt; illa tamen evacuatio penitus ſupprimenda non eſt, ſi modò, quæ virium fecerit, prava materia excernatur, viribusq; ægrum aliquantum augeri, aut eum morbo ferundo ſufficere, medicus exiſtimet; ita enim, depletis panticibus, accisa materiæ mole, quod reliquum eſt, natura, ſalutaribus adjuta remediis, facilius ſuperabit: ut ſolùm blandis clyſteribus aliisque datis, quæ humorum malignitatem corrigant, eorumque acrimoniam temperent, ne inteſtina affluxu humorum exulcerentur, tempora agendi ſint ducenda. Quod ſi alvi dejectiones increbreſcant, cum manifeſta magnaque virium diſſolutione, quæ humorum malignitatem emendent, acrimoniam temperent, & motum hunc ſymptomaticum ſiſtant, dabimus, alexipharmaca, refrigerantia & modice adſtringentia. Ut decoctum C. C. *Eboris raſp: rad: contrayerv: ſcorzoneræ, tormentill: berber: ſem: melon: acetoſæ, ſyrupo corallorum, berber: cydonior:* alteratum. *Conſerv: roſar: vetus vitriolata, Rob ribium, berber: cydonior: meſpilorum,*

prunor:

prunor: ſylveſtr: C. C. *uſtum* & *phil: præparatum*, *bolus Armenus*, *terra ſigill: Sileſ: opt: cryſtallus præparata*, *Oxyporium Neronianum*, *troch: de terr: ſigill: de ſuccino*, ſuas merentur laudas. *Theriaca*, quæ in hypercatharſi alias maximè celebratur, his auxiliatur fluxibus authore *Galeno lib. de theriaca ad Piſon: cap. 15.* præterquam enim quod corpus firmat, fluxiones ſiſtit, motum humorum ex alto ad partem contrariam deducit, eosq; per διαφόρησιν evacuat, ut quæ maximè alexiteria ſit. Namque *eodem authore, libro eodem cap. 14.* theriacæ incorruptæ hoc argumentum eſt, ſi ab exhibito cathartico, hac aſſumpta, nullæ conſequantur dejectiones. Unde *Avenzoar lib. 1. Theiſir de rebus conſervant: ſanitatem. Si quis theriacæ aurei unius pondus accipiat, curabitur ex eo, ſi aliquis fluxum magnum patiêtur cauſſa alicujus medicinæ acutæ, vel ex aliquo humore venenoſo, vel malo. Idem loco citato* in hoc affectu *ſmaragdum* ſubtiliſſime tritum novem granorum pondere jejuno exhibet. Cujus remedii eximias dotes recitat *lib. 2. theiſir cap. 5. Et videbis*, inquit, *in opere ejus rem mirabilem accidere, & evenire illi qui ſumpſerit illum: quoniam in continenti poſt aſſumptionem hujus incipit habere anguſtiam cordis, & videtur ei, quod omnia membra ejus eradicentur ab invicem. Et ſi poſt hoc ſudaverit infirmus dormiendo, pro conſtanti habeas, quod erit liberatus omnino. Et fac, quod, qui ſumpſit ſmaragdum, abſtineat à cibo omnino ad decem horas vel ſaltem uſq; ad octo. Smaragdus* quoque ventri appoſitus & in ore detentus adverſus hunc affectum efficax eſt, ut de ſeipſo teſtatur *Avenzoar locis allegatis.* Foris illinatur venter *oleis, cydonior: myrtillor: roſar: omphac*: quibus quid *aceti* remixtum fuerit: quo per coctionem abſumpto, pulveres *ſem: acetoſæ, plantag: maſtiches, roſar: rubr: balauſt: rad: tormentill:* cum *oleo nuc: moſchatæ* dictis oleis miſceri poſſunt. Laudatur *emplaſtrum diaphœnicōn* aliaque heic conſulto omittenda.

In fluxu colliquativo conſiderandum, an inſignis calor, an vero deleteria qualitas qualitas citra inſignem calorem colliquationem excitet. In reterrido itaque calore, quæ valide refrigerant, exhibenda, ut *aqua frigida*, quam in hac cauſſa ex frigidiſſimo fonte petere jubet *Ægineta lib. 2. de re med: cap. 41.* Conſentiunt *Aetius tetrabibl: 3. ſerm: 1. cap. 38. Oribaſius lib. 7, ſynopſ: cap. 30. Galenus lib. 10 meth: med: cap: ult:* ubi febre ardente corpus liquatur, ad *frigidam* exhibendam

dam properare monet, *mulſam* vero, tanquam inimiciſſimam huic morbo, rejicit. Alia quoque adduci poſſunt, quæ flammeum calorem ſedare ſolent. Præter hæc vero malignæ qualitati alexiteria exhibeantur, quæ ſimul refrigerent, ſiccent & putredini reſiſtant. Probantur *conſervæ acredinis citri, acetoſæ, acetoſell. berber: roſar: vitriolata*, C. C. *phil: præpar:* & *uſtum præparatum, ſpodium, magiſt: corall: bolus Armena, Cryſtallus præparata*, quam in alvi fluxu maligno colliquante *Zacutus lib. 2. prax: hiſt: cap. 9. obſerv: 3.* commendavit, item *ſmaragdus, ſem: citri, rad. contrayervæ, conſerva ſcordij, theriaca*, quarum poſteriorum calor refrigerantium permixtione facile obtunditur. Adſtringentium ut & purgantium uſum heic plane temerarium eſſe ſtatuo: quod illa materiam attineant, quæ παλινδρομην ad partes nobiliores facere, & continuo aucta morbi malignitatem, febrisq; incendium, intendere, magnosque cruciatus in inteſtinis efficere ſolet: hæc materiam colliquatam, ad alvum decurrentem, magis abducant, nec colliquationis cauſſæ, malignitati ſcilicet, reſtiſtant. Si tamen dolores ægrum afficiant, atque acrimonia conjuncta ſit, clyſmatis refrigerantibus & lenientibus dolores inteſtinorum demulcendi, ex *lacte tepido*, in quo *flores roſar: verbaſci, malv: &c.* ebullierint, cum pauco *ſacchαro* paratis. Prodeſt etiam *decoctum oryzæ* cum *lacte* confectum, *ovis crudis* & conquaſſatis remixtis, injicere: aut *hordei decoctum*, cui *viola, roſæ, malva, fl. chamæmeli, meliloti, ſem: malvæ, althææ, fœni græci*, incocta fuere, placandis doloribus infundere.

Dum vero de fluxu colliquativo ago, ejus rei occaſione de συντήξεως totius corporis, quæ inſenſibiliter ſuccedit, curatione pauca tradam. In hac alexipharmaca omne tulere punctum: quibus ea conjungenda, quæ acrimoniam humorum temperent, de perditas vires refocillent, evanidos ſpiritus excitent & neoteriſmo recreent: alimenta præſertim εὔχυλα καὶ εὔπεπτα, quæ tamen non facile corrumpantur. Habitus rarior modice conſtringendus, ita tamen ut malignæ materiæ διαφορήσει maneat tranſitus: quare ab accepto alexipharmaco minus ad ſudorem infirmi cogendi. Alexipharmaca quoque data minus calida ſint, aut refrigerantibus corrigantur.

 De

De teneſmi curatione nihil dicam, quod hujus cura eadem ſit cum ſuperiore, & leniendis doloribus clyſmata potiſſimum applicentur, quod & fomenta anodyna præſtant, dolenti parti tepida adhibenda.

Ex ſumma pravorum humorum corruptione ac putredine (cum tam brevi temporis ſpatio inter initia morbi in adultis inſolenti malo ſæpe generentur,) vermes in purpuratis naſcuntur, quos in *Reverendi & Clariſſ: Viri, Dn. Siricij filiola, Sternebergi Aurificis & Sutoris cujusdam uxore, Præfecti xenodochio ad S. Annam filia*, aliisq; obſervavi: quemadmodum *Zacutus lib. 3. prax: admir: obſ: 90.* in febre maleficentiſſima 62. lumbricos per triduum excretos fuiſſe tradit. Hi morſu inteſtina lancinant, &, dum ſurſum repunt, cardiogmos, anxietates cum periculo ſuffocationis conjunctas, tremores, convulſiones, aliquando inferunt.

Quamvis abigendis vermibus remedia cuivis prope nota ſint; ea tamen in purpura præcipue uſurpanda, quæ virtutem ſimul alexiteriam habent, nec admodum calida ſunt. Præmiſſis communibus remediis laudantur *ſem: citri, cinæ, pæon: card: ben: fol: card: ben: ſcordij, tanacet: corallina, lap. Bezoar, terr: ſigill, opt: rad: angel: contrayerv: dictamn: albi*: quibus *myrrhæ* atque *aloes* quid interdum jungitur, quo putredini balſamica virtute magis reſiſtant, amarore vermes interficiant, ſimulque alvum ob admixtam aloen leniter evacuent. *Galenus libro de ther: ad Piſonem cap. 15. theriacam* adverſus vermes commendat, quam & ventris latam tineam, omnem alimoniæ ſubſtantiam depaſcentem, ut ſenſim corpus macreſcat, mirabiliter deturbare profitetur. Conferet & *mithridatium* cum *aqua card: ben: & ſale vitrioli g. iij.* aut iv. exhibitum. *Mercurius dulcis* puriſſimus, paucorum granorum pondere pilulis *aloephanginis*, aut *conſerv: fl: roſar: citri, roſmarini*, incluſus, innoxie, citra ſalivationis metum vel ipſis pueris exhibetur. Quem & aliis pulveribus permixtum, nodulo laxo raro incluſum, potui immitto. *Allium* inſigne eſt abigendis vermibus ἀλεξίκακον: quod tamen ob inſignem calorem merito ſuſpectum.

Extra proderit *Balſamum ſacrum* umbilico illinere, aut *oleum tanaceti*, abſinth: roſmarini, ſuccini, cum portione fellis bubuli & myr-

myrrhæ. Sic *extractum comarum abſinth*: liquidum cum pulvere *myrrh*: *aloes*, ventriculi regioni duplicato linteolo apponere, & *lac* per anum infundere, utile erit: quo aditu in ſuperiora vermes prohibeantur, dulcedine vero infuſi lactis illecti, & medicamentis ἐλμινθαγωγοῖς ad inferiora detruſi, feliciter expellantur.

CAPUT XLI.

De Ictero & Hydrope.

Icterum ſubitarium in *Davide Voſſio*, *Paſtoris* cujuſdam *Megapolitani* conjuge, aliiſque oboriri adverti: quem etſi in toto corpore manifeſto cognoſcere liceat, in oculis tamen præcipue mirari eſt, tenuitatem illam denſitatemq; felle ſubeunte. Hunc in febribus peſtilentibus & malignis obſervarunt *Balth*: *Conradinus de febr*: *miſcell*: *Ungar*: *cap*. 20. & *Mindererus tract*: *de peſt*. *cap*. 17. Symptoma hoc in cæteris morbis plerumque ab obſtructione ductus bilarij naſcitur: interdum icterus effloreſcit, ubi calidiore hepate bilis copioſior gignitur, quàm ut à cyſti fellis recipi & expurgari tota poſſit. quare redundans quoquoverſum erumpit, atque per ſumma corporis cum ſero ſanguinis effunditur, cutemque ſuo colore inficit: interdum icterus critica excretione biliosæ materiæ ad ambitum corporis ſuccreſcit, qui ſi per febres 7. 9. 11. aut 14. die ſuperveniat, niſi dextrum hypochondrium obduruerit, bonus habetur authore *Hippocrate* 4. *aph*. 64. ſi ſcilicet morbus manifeſto inde remittat, & urinæ pariterque dejectiones laudabiles appareant. Cæteroquin *Hippocrates in Coacis* vireſcentes urinas in acutis damnavit, tales ſcilicet, quæ morbum non levant, quod perennem generationem biliosæ materiæ indicent: namque in ſimplici ictero abſque febri, obſtructo folliculo fellis, urinæ virides ac ſubnigræ morbum ſæpe tollunt aut levant. Quod ſi *icterus per febres ante ſeptimum diem emergat*, *malus Hippocrati* 4. *aph*: 62. cenſetur: quemadmodum icterus in *Hermocrate* ſexto die lethalis fuit. quod cruditatem potius materiæ &

Digitized by Google

copiam demonſtret, quam ejus coctionem, quæ tam ſubito fieri nequit: unde τὰ προκρινόμενα totiens à Galeno & Hippocrate improbata. *Plinius* tamen *l. 26. hiſt: nat: c. 12.* aliquos etiam ab hac deſperatione vixiſſe obſervavit: quod non icteri, ſed alterius criticæ evacuationis beneficio contigiſſe credo: ita enim Heraclides 1. epidem: tertia die auriginoſus factus, beneficio ſequentis vacuationis liberatus. An & locorum hominumque diverſa temperamenta veritatem aphoriſmi *Hippocratici* limitare poſſunt? Ita cenſet *Averroes l. 4. colliget c. 43. experientia* edoctus in *omnibus iſtis terris icterum, etiam quinto die obortum, laudabilem eſſe, maximè in temporibus & corporibus calidis. Et hac eſt ſententia*, ait, *collegiorum Medicorum omnium Perſarum, & Indiæ majoris & pro majori parte illorum de Antall: & poſſibile eſt, quod iſtud, quod dixit, locum in Græcia habuit, qui terra illa hac frigidor exiſtit.*

In his vero aliiſque venenatis morbis, ubi nulla adductarum cauſſarum indicia occurrunt, origo hujus ſymptomatis altius deducenda, analogiſmo ex mineralibus aliiſque venenatis rebus accepto. Qui enim mineralia tractant, facie pallent, ac flavum, ſubviridem ac fuſcum colorem habent, non certe obſtructione χοληδόχου κύστεως, aut bilioſi humoris generatione, ſed rerum mineralium commercio, quæ, dum ad Vulcani violentiam apponuntur, tetros vapores effundunt, ſanguinemq; corrumpunt, ut contractæ labis character toto corpore eluceſcat, à quo malo cæteri incolæ eorundem locorum immunes eſſe videntur. Ita eorum corpora, qui veneno aſſumpto aut intus genito periere, ſubflavo, viridi, purpureo, nigro, colore ſuffundi videmus. Et Imperialem ſervum à vipera demorſum toto corpore porraceo colore infectum *Galen: 5. loc: aff: c. 7.* refert, & de ſimili caſu confirmat *Cælius antiq: lect: lib. 6. cap. 13.* Sic *Avenzoaris* ſententia *lib. 1. theiſir tract: 13 cap. 6. fit icteritia ex potu rei malitioſæ, ſicut accidit Azir filio Halij, qui erat Coneſtabilis Regis, qui miſit pro illo, ut ad eum Sibiliæ ire deberet, & invenit eum glaucum, ſicut eſt cortex citri.* Et teſte *Avicenna lib. 4. fen: 6. tract: 3. cap. 17. Ex ſudore animalium facies fit viridis & apoſtematur*: quemadmodum & rubetarum venenum præter alia accidentia corpus buxeo colore perfundit, ut notant *Aetius tetrabibl: 4 ſerm: 1. cap. 54. Avicenna lib. 4. fen. 6 tract: 2. cap. 8. Santes Ardoynus lib. 4. de veneris cap. 6.* Hanc etiam veneni præſentiam

ejus-

ejuſque varias in purpuratis febribus corruptiones agnoſco, quibus univerſus ſanguinis perfuſus cutem conſimile colore contaminat, argumento magis apodictico præſentis virulentiæ, quàm illorum, qui manifeſtis cauſſis hujus ſymptomatis generationem adſcribunt.

Sudorem heic commodo, quo buxeus faciei calor brevi disparuit: quibus ſic affectis eſſentiam *chelidonij majoris* commendo, quæ alias in ictero & ipſa peſte dudum à clariſſimis medicis probata. Sic & C. C. *phil: præparatum, radices contrayervæ, valerianæ, angelicæ, dictamn: alb: belen: aquam nucum caphuratam, aquam & ſpiritum theriacalem caphuratum* cum *croco* feliciter exhibui. *Balthaſar Conrad: de febr: miſcell: Hungar: cap. 26. ſeq:* extollit.

R. *Spiritus Vini menſuram ſeu libras tres.*
Theriacæ veteris Androm: ℥ijß.
Myrrh: electiß: ℥jß.
Croci auſtrij ℥ß.

Remixta deſtillentur: deſtillati ſpiritus ℥ ß in *aqua rutæ* ac *fumariæ* exhibeatur. Poſt uſum diaphoreticorum victo jam malo reſtibilis calor fomentis & balneis facile diſcutietur.

Interdum vero toto corpore intumeſcere ægrotos videas, cum ingenti & ſubitaria omniũ membrorum diſtenſione, primo ſtatim, ſecundo, tertiove morbi die facta: quod & de peſte notavit *Avicenna l. 4. fen: 1. tract: 4. cap. 2. Et quandoq; accidit eis diſpoſitio ſicut hydropiſis:* item *Hippocrates lib. 3. epid: ſect: 3. text. 18.* Quem tamen affectum ad certam hydropis ſpeciem, ob citam generationem, cauſſæ diverſitatem, & expeditam curationem nemo jure referet. Unde enim brevi momento temporis tanta *δυσκρασία* introduci poſſet, qua corpus in vaſtam molem ſubito intumeſceret, quæ etiam tàm facile remitteret, ac nulla alia hydropis ſpecies. Tympanitii analogus videtur hic tumor, quod flatuoſo ſpiritu partes manifeſto diſtendantur, quaſi folle ſufflatæ eſſent, flatusq; quoque per alvum copioſe explodantur, & alexipharmaca flatus diſcutientia non parum auxilij afferre videantur.

Cauſſa tamen hujus affectus à tympanite longe diverſa eſt, quæ eadem heic ac cæterorum ſymptomatum, venenata ſcilicet qua-

 litas

liras peculiaris indolis, ut bupreſtin aut rubetarum virus imitetur. *Qui* enim *bupreſtin biberunt, iis tam venter, quam ſtomachus, mirum in modum, ut aqua intercute inflatus inturgeſcit: univerſa corporis facies contenditur* teſte *Dioſcoride lib. 6. cap. 3. Aetio 13. ſerm: cap. 50.* Sic & rubetarum veneno corpus in magnam molem, follis pugillatorij inſtar, diſtenditur, ut etiam diffindatur aliquando, tradente *Aetio l. allegato cap. 36.* Ita frequenti ſpectaculo agyrtæ & circulatores (genus hominum publicæ perniciei natum, quod in magnis urbibus ſemper & vetabitur & retinebitur, *homines inertiſſimi, quorum omnis vis virtusq; in lingua ſita eſt*, ut huc traducam *Salluſtij verba ex Orat: de Republ: ordin:*) quo ſuis medicamentis fidem apud ignarum vulgus adſtruant, diſſectum bufonem exprimunt, ſanguinemque expreſſum miniſtro propinant, qui mox inſtar follis ſufflatur, & flavo ac ſubviridi calore obducitur: quem publice theatro elatum & quaſi moribundum poſtero die ſalvum & incolumem populo ſiſtunt: quo oſtento rude vulgus, quaſi attonitum in admirationem rapitur; ſingulique ſuis malis inde remedia quærentes credulitatis ſuæ pœnas luunt, damno ſæpe immedicabili, quod proprio ære ſibi comparatunt. Quamvis non adeo difficilis ſit hujus veneni curatio, ſi modo ſatis tempori remedia parentur: excitato enim vomitu, exhibita *antidoto Saxonicâ, mithridatio*, &c. ad ſudorem componitur corpus, ut eo quaſi diffluat. Quin & iſti præſtigiatores fraudis ſuæ invenere adminiculum, ut ventriculum ante datum venenum cibis pinguibus ſuffarciant, quo vis ejus minus in venas penetret, citiusque vomitu rejiciatur, ut notant *Andr: Baccius in prolegom: venen: & antidot: pag. 38, & 39. Paulus Zacchias quæſt: med: legal: tit: 2. quæſt: 8. Andr: Matthiolus comm: in lib. 6. Dioſcor: præfat.* Antidotus quoque crebrius accepta naturam hominis reddit alexipharmacam, invictam ſcilicet adverſus venena, ut in *Mithridate* ejus rei exemplum eſt apud *Appianum Marcellinum de bello Mithrid:*

Pro tollendo hoc ſymptomate ægri ſuffiri debent thymiamatis ſupra recenſis: hinc *theriaca, mithridatium* aliave bezoartica offeruntur: cumprimis vero *antidotus Saxonica Moibani*, inventis ruſtici debita, quâ ille citra offenſam varios ſerpentes, rubetas, prodigioſa quadam oſtentatione innoxie devorabat, heic locum meretur. Su-

dor

dor ab exhibitis medicamentis, quantum licet, provocetur: quin & repeti alexipharmaca poſſunt, cum in hoc ſymptomate magnus æſtus non percipiatur. Quo vero promptius ſudor fluat, pariterque conceptum venenum foras prodeat, ſudor fotibus, lateribus calidis, aliiſque auxiliis evocetur: mox enim à ſudore extenſa corporis moles ſubſidere ſolet. Ita *Aetius*, qui rubetarum venenum accepere, in dolio aut furno excalfacto multum ac diu ſudare jubet *libro adducto cap. 54.* Commendatur etiam *lapis Bufonius* exhibitus, in rubetarum veneno omnibus præferendus. Præter alexipharmaca vero carminantia dentur, ut *tinct: zedoar: croci*, *elæoſacch: citri, aurant: carui, cumini*. Totum quoque corpus *oleo bacc: lauri*, *rutæ*, *juniperi anethi*, *carui*, illinatur. Alvus obſtructa clyſmate irritari debet, quo via pateat Æoliis fratribus, qui confertim ab ejus uſu erumpere ſolent.

Alia hydropis in purpura peſtilentibusque febribus ratio eſt, *cujus Petrus Salius Diverſus tr: de febr: peſtil: c.17.* meminit: dum humores in venis à maligno calore colliquati non ad ventrem aut cutem, (inde enim fluxus alvi, vel ſudores, ſi in vapores reſolverentur, colliquativi naſcerentur) ſed ad abdomen decumbentes, hydropi ſimilem tumorem producunt, imbecilli præſertim renum tractrice, dum hi collectos συνθήξει humores attrahere nequeunt. His enim immodice trahentibus, tabeſcunt ægroti, docente *Ariſtot: l.1. de gener: animal: cap. 18. ut in nobili ægro ſpatio quinq, horarum lotium, colore venetum, odore fœtidum, ad libras plusquam viginti excerni viderit P. Salius, qui ſequenti nocte convulſionibus ſuccedentibus expirarit. Galenus lib. 3. de ſympt: cauſſ: cap. 2.* hydropicæ hujus conſtitutionis, ejusq; cauſſæ, meminit: quod humoribus venarum in ſeroſam ſaniem colliquatis, ſi renes invalidi ſint, ut ſerum trahere nequeant, tum venæ ejusmodi ſerum aut in ventrem demittant, aut univerſo corpori ipſum tradentes, de repente habitum ad aquam intercutem transmutent. Cave tamen hunc colliquefactivum tumorem ad aliquam trium hydropis ſpecierum reduxeris, quod eas vitio hepatis ſeu primario ſeu ſecundario & per συμπάθειαν affecti, dum ejus αἱματώσις laborat, naſci ſciamus: at in συνθήξει hac vitium in toto corpore ſit, non in hepate ſolo, nec tam ejus αἱματώσει ſublatâ, quàm fuſis & colliquatis

tis à maligno calore humoribus: unde & hæc ſubito apparet, ociusque jugulat, morbo intra acutorum periodorum terminato: cum cæteræ hydropum ſpecies longa die fere generentur, ſenſim incrementa accipiant, tardiusque recedant aut interficiant. Tandem nec colliquati humores cum cæterorum hydropum materia conveniunt: materia enim maligni hujus tumoris calida eſt, humorum ac ſolidarum corporis partium colliquatione generata, cum in illis ſerum, flatus & pituita, accuſentur.

Quam difficilis futura ſit hujus affectus curatio, is facile cognoſcet, qui, gravi ac maligna febre corpus liquari, & ob id vires neceſſario langueſcere, ut vix cauſſæ colliquanti, ne dum novo producto ſymptomati, ſufficere poſſint, accurate perpendet. Tentanda tamen, ſi qua ulla curationis ſpes ſupereſt, remedia, quæ malignum calorem alterent, & nuper productum tumorem tollant: quorum illa ſuo loco jam memorata; hæc, non niſi remota colliquatione adhibenda, ne principem cauſſam augeant, vireſque debiles uſu horum remediorum magis infirmentur. Quare ſublato morbo ejusque cauſſa ea convenient, quæ materiam per alvum, urinam & ſudorem educant, qualia ex practicis numeroſa huc traduci poſſunt.

Tandem inclinata fere in melius valetudine & heic, quod in aliorum morborum declinatione fieri ſolet, extremæ partes, pedes præcipuè, intumeſcunt, quod gravi morbo aut immoderato frigidæ potu debilitata aut adhuc dum obſtructa viſcera non laudabilem, ſed aquoſum, quo corpus intumeſcit ac pallet, ſanguinem generent; aut quod noxia materia, quæ victa malignitate in corpore ſuperat, robore expultricis ad partes ignobiles, & remotas decumbat. Cæterum, cum victo ſuperatoq; morbo ſua ſponte hoc ſymptoma remittat, ac diſcutientibus medicamentis abſcedat, plura de ejus curatione proferre ſuperſedeo.

CA-

CAPUT XLII.

De maculis, gangræna & ſudore.

Maculas in hoc morbo plerumq; ſua ſponte paucorum dierum ſpatio deflorefcere videm⁹, ut propterea nullis medicamentis opus ſit: quia tamen portio venenati humoris, per ſumma corporis effuſa, cutem conſimili humore inquinat, conſultum maximè fuerit, eum omni conatu etiam inter principia foras eliminare. Nec enim eorum opinio mihi placet, qui motu macularum ſymptomatico earum expulſionem adjuvare prohibent, quod materia adhuc cruda ſit: quam incipiente morbo temere evocari autumant. Sed qualem coctionem expectabimus in materia, quæ πεπασμοῦ fere expers eſt, & ubi excretiones cum ſignis coctionis, die decretorio, pulſu pariter laudabili, factæ, ſæpe damnoſæ? Et annon & heic venenum primo die tutius excluditur, quàm ubi per moram fermentatione auctum validas in corpore fecerit impreſſiones? cum, ut alia quævis venena in ipſo acceſſu corpore excludamus, tantopere ſimus operoſi, & purpuræ venenum ſpiritale fere ſit, quod maximam partem infeſto halitu homines prehendit, & per hæc ſpiracula cutis prompte exhalat: ut, quamvis tempore ſymptomatica videatur talis excretio, utilis tamen arbitranda ſit; quod materia prave corrupta, quam diutius in corpore ſubſiſtere funeſtum, citiſſimè foras trahatur.

Quo igitur facilius emergant maculæ, neu illæ retrocedant, ſed ut virus purpuræ expellatur, ſalutare iſti rei præſidium ſubminiſtrabunt alexipharmaca, qualia plurima ſuperius notavi. Aut

℞. *Rad: vincetox: valerianæ*
dictamn: alb: an: ℥ß.
Sem: aquileg: citri, napi,
card: ben: lapp: min: an: ℈j.
Mag: C. C. ſuccin:
perlar: an: ℈ß.
Terr: ſigill: Sileſ: opt: ℈j. miſc: f. pulvis, qui in

aq: acetoſæ, calend: ſcabioſ: aquilegiæ, theriacali, ℥j. pondere offeratur. Pauperibus ſimplex *decoctum rad: helen:* aut *fl: calendulæ* feliciter datur, provocato inde ſudore. Horum aliorumque uſus crebrius repetitur, quò intus concepta virulentia per cutis emiſſaria promptius expellatur.

Cavendum maximè à frigore, ne pori occludantur, venenique παλινδρομὴ fiat ad partem nobiliorem. Quo fine à medicis proponuntur frictiones cum pannis aſperis, calentibus, aut manu, illita oleo relaxante, ut *oleo chamæmill: anethi*, cui quid *nitri*, *caphuræ* aut *theriacæ*, aliave, quæ cutem laxant & aperiunt, humorem attrahunt, admixta fuerint. *Aetius lib: 5. de re medica cap. 129.* univerſum corpus *hydrelæo*, portiuncula nitri aſperſa, inungere jubet: *exanthemata enim circa ſuperficiem detinet, & profundam materiam attrahit, intimas partes refrigerat, ac ſæpe ſudore allato ingens acrium humorum copia diſſlabitur. Ægyptij* teſte *Proſpero Alpino lib. 4. med: Ægypt: cap. 15.* in peſtilentibus febribus, in quibus exanthemata apparere incipiunt, vel exitura ſperant, calidam laudant linitionem, cujus etiam ſupra memini: à qua ſtatim febricitantes multis pannis cooperientes, ſudorem promovere, venenoſumque humorem à viſceribus ad cutem retrahere, ſtudent. *Ambroſius Paræus lib. 21. de peſt: cap. 29.* pro facilitandâ macularum eruptione unguentum laudat ex *axungia ſuilla, argento vivo, nitro, theriaca, mithridatio, terebinth: oleo ſcorpion: lauri, vitell: ovorum* paratum: de quo ſupra. Cucurbitulæ etiam cruribus & brachiis cum & ſine ſcarificatione apponuntur, quò venenum à partibus principibus ad ignobiliora loca traducant: quæ pariter à *Nicolao Maſſa tract: 3. de febr: peſt cap. 2.* vel non apparentibus maculis in febre peſtilente adhibentur; ea tamen cautione, ut primæ viæ ab excrementis ſint liberæ: quas ſi res poſtulet, clyſmate, aut leniori pharmaco, mundare convenit. *Petrus Salius Diverſus de febr: peſt: cap. 24.* cæteris non juvantibus laudat *veſicatoria*, brachiis & cruribus appoſita, quòd his pravi ichores ad extrema corporis attrahantur, ac per eadem vacuentur; ſicque per partem poſt partem ex intimis locis abducantur, motusque naturæ ad exteriora his adjuvetur: quæ eò promptius applicanda, ſi, quæ ſuo loco relatæ, circumſtantiæ adfuerint: tum enim noxa horum conſectaria levior eſt, ac melioris curationis eventu faci-

facile penſatur. *Roder: Fonſeca tom: 2. conſult: med: 31. in empir*: refert, in *Cinnarum* regione, quam *ſericam* dicunt, peticulas aduri herba quadam ignita, quæ, cum tangit peticulam, crepitum & veſiculam poſtea excitet, atque ita ſanari multos: cujus herbæ loco peticulas majores fungo vel lino crudo aduri poſſe cenſet.

His remediis maculę purpuratarum febrium citra veſtigia evaneſcent, quæ ſi ſale acri atq; erodente natæ, puſtulæ prurientes admomodum, ac ſi cutis igne peruſta eſſet, emergent: quæ, præmiſſis alexipharmacis illinuntur *unguento roſaceo* cum *pauca tutia præparata*, aut *ceruſſa*. *Butyrum ſæpius lotum*, & cum *aq: roſarum* diu agitatum donec albeſcat, tepidum inunctum, juvat. Quin & *aq: roſarum* cum momento *tutiæ, lithargyri* aut *ceruſſæ* tepida his puſtulis imponitur. *Aetius loco allegato* puſtulis illinit medicamentum ex *roſaceo, ceruſſa, thure & vino dulciſſimo*. Huc transferri poſſunt epithemata univerſa, quæ ambuſtis igne admoventur. Quod ſi os, nares, fauceſq; puſtulæ exulcerent, *florem lactis* tepidum illinemus: æger quoq; os ſæpius abluat *decocto hordei* cum *paſſulis exacinatis*, *floribus verbaſci*, *roſarum*, *malvæ*, confecto. *Muccago* item *ſeminis pſyllij*, *cydoniorum*, cum *aqua roſarum* aut *plantaginis* extracta, juncto *ſyr: violarum*, ſubtepida iisdem partibus obducitur. Quod ſi hæ puſtulæ *νομώδεις* fuerint, & ſubjectas vicinasq; partes ambedant, ac quaſi depaſcendo depopulentur, ocius occurrendum. *Aetius* linimentis jam dictis modicum *calcis inextinctæ* admiſcere jubet: mirifice enim exiccat, ac depaſcendi vim reprimit. Mihi præ cæteris commendatur *aqua aluminis magiſtralis Falloppij*, cujus properos effectus in puſtulis erodentibus, herpetibus, & ulceribus, putri colluvie refertis, ſæpius vidi. Deſcriptionem hujus aquæ vide apud *Fallopium tract: de morbo Gall: cap. 93*. Alij *præcipitati* optimè præparati parum imponunt, proſpero pariter eventu. Leviora enim remedia hæ puſtulæ eludunt, non niſi fortioribus curandæ.

Placet heic ſubjungere fluxus illos malignos, qui in purpuratis febribus ex partibus interioribus ad exteriorem aliquam decumbunt, eamque ſenſu ad vita ſpoliant, &, niſi celeriter ſuccurratur, partis ſphacelum introducunt, qualem miſerabilem materiæ malignæ *διάθεσιν* purpura hac populari ter obſervavi: in *Johanne Vogelio*, phar-

pharmacopolÿ majoru miniſtro induſtrio, & Schauertiæ ancilla. Qui pur-purpurata febre conflictati dolorem intolerabilem principio in toto pede experiebantur, ſubſequente tumore & rubra macula: unde conſectaria gangræna, abſentibus tum medicis. Ego, cum ad poſteriorem ſero vocarer, quod pes vitâ ſenſuque jam orbatus eſſet, ac cheirurgus eundem, ſanguinis penitus expertem, variis locis citra minimum doloris ſenſum ſanguinisque profuſionem transfoderet, demortuam partem illico reſcindendam dixi, (cum *læſio partis ipſa morte melior ſit* teſte *Galeno lib. 12. meth: med: cap. 1.*) ne pars ſyncera traheretur in conſortium mali: quod in ſphacelo partium evenire *Lucretius lib. 3. de rer nat:* ſequentibus verſibus teſtatus.

In pedibus primùm digitos liveſcere, & ungueis:
Inde pedes & crura mori: poſt inde per artus
Ire alios tractim gelidi veſtigia lethi.

Amputatione igitur ad mediam tibiam facta hæc gralla incedit; ille vero nimis longum dilato hoc auxilio, quod malum jam penetraſſet ad partes ſuperiores, ablata tibia eodem utitur inſtrumento; penitus tamen reſtitutus non eſt, quod caries adhuc in ipſis hæreat oſſibus, & locus plures annos ſaniem continuò extillet: qui propterea ad cicatricem deduci non poteſt, cum æger fortiora auxilia amplius admittere, & cheirurgi illa facile adhibere nolint. Tertium exemplum contigit in *Petri Bohemi, Cancellariæ Lubecenſis Archigrammatei*, filio, qui, cum per aliquot ſeptimanas febre maligna laboraſſet, ut jam prope reſtitutus ſibi aliisque videretur, ac domi, quò vellet, ambularet, ſubitarium expertus defluxum ad dextram manum, oborto ad indicem & annularem rubore, levique eorum digitorum ſtupore; qui poſt paucas horas auricularem & pollicem, tandem medioxumum digitum occuparet, adeo, ut arctius preſſi vix ſentirent. In recenti adhuc erat memoria triſtiſſimus caſus præcedentium duorum ægrorum, ut eandem cataſtrophen & heic metuerem. Quare ſequens alexiterium, quod ſudorem cieret, ordinavi,

R. Extr: theriac: caphur: ℈j.
valerian: angel:
dictamni alb: an: g. iv.
Aq: theriac: Fern: ℥ß.

calend:

calend. ℥j.

Syr: ſcordij ℥ß. miſc: f. hauſtus.

Cataplaſmate quoque ſubſcripto, quod vitam conſervaret partibus, & debilem calorem roboraret, malignum humorem irruentem, ac jam intro receptum, eliceret, totam manum involvi.

R. *Farin: lupin:* ℥iij.
Fermenti acerr:
Allij ſub prunis coct: an: ℥ij.
Fol: rut: ſcordij, abſinth:
dictam: Cret: an: Mß.
Pulv: radic: angel: gentian:
vincetox: an: ʒvj.
Theriac: veter:
Mithridat: an: ℥ß.

Præparata l. a. miſc: & excipiantur *Spiritu Vini*, in quo *caphuræ* ʒiij. diſſolutæ fuerint. f. cataplaſma.

Hęc circa tertiam pomeridianam ab ægro nullo ſucceſſu uſurpata: namque malum hora ſeptima veſpertina ita invaleſcere cœpit, ut ſenſus in tota manu aboleretur, ac vis mali ſenſim brachium peteret, quod pari ſtupore jam affici æger querebatur. Præcepto itaque *Hippocratis l. 2. epid*: ubi, *quæ ſyderatione periclitantur, ea vena intercepta ulcerare & curare* monet, accito chirurgo *Ludovico Cannenbergio*, injecto vinculo, quod præcipuum intercipiendi veneni remedium eſſe docuit *Galenus* 3. *loc: aff: cap.* 7. univerſam manum phlebotomo, quo venas aperire ſolent, (quod aliud ad manus non eſſet,) ſcarificare juſſi, profundis ſatis inciſuris, unde tamen æger nihil doloris percipiebat, ſanguiniſque pauciſſimæ ſtillæ fluebant, non conferenda cum tot vulneribus ſanguinis exeuntis quantitate: hinc partem vulneratam fortiſſime & diutiſſime fricari mandavi linimento, quod:

R. *Spir. Vini rect. lib. j.*
Pulv: rad: gentian:
dictamn: alb: valerian: an: ℥j.
Myrrhæ electiß: ℥ß.
Caphuræ diſſolut: ʒij.

Digitized by Google

Croci or: ℈ij.

Theriacæ Andromachi veter: ℥vi. miſc:

Senſit longa frictione hoc medicamento facta defunctum prope calorem excitari, partemque incaleſcere, ut ea continuata frictione uri tandem ægroto videretur: cum paulo ante nec profunda ſcarificatione, nec acri linimento, vulneratæ parti duriter affricto, vel leviſſimum dolorem adverteret. Quare cum propoſito meo ſatisfieri viderem, linteolum, eodem medicamento imbutum, manui viciniſque partibus obduxi, ac potionem ſequentem alexiteriam circa noctem dedi, cum mandato, ut ad ſudorem eliciendum, quantum poſſet, ſe componeret.

℞. *Rad*: *angel*: *valerian*:
vincetoxic: *an*: ℥ij.
Herb: *ſcord*. *rutæ*
dictamn: *Cret*: *an*: *p j*.
Coq: vaſe clauſo in *aq*: *bugloſſ*: & *card*: *ben*: *an*: *q*. *ſ*.
℞. *Col*: *expr*: ℥iiß.
Theriac: *veter*: ℈ij.
Sal: C. C. *volat*: ℈ß.
Syr: *citri recent* ℥ß. miſc:

Hinc optime ſudavit, & ſequenti nocte ex voto quievit. Poſtero mane reverſus totam manum iterũ ſcarificari curavi: ſed tum & ſanguis copioſior manabat, & æger ad ſingulos ictus exclamabat: qui eodem epithemate ex S. V. confecto, proximeque deſcripto (nam frictionem ob vulneratæ partis dolorem pati non poterat) reperito, ab exhibita prima potione, quam eodem mane acceperat, iterum probe ſudavit ac perfectam recepit ſanitatem.

Tandem ſudor ſymptomatum agmen claudere debet: in cujus profuſione ſedulo attendendum, an ille ductu & auſpiciis naturę, bonis ægrorum rebus, erumpat, an vero ſymptomaticus ſit, nihilque morbum levet, ſed ægrum potius offendat. In illo caſu ſudor maxime laudandus eſt: de quo Hippocrates 1. prognoſt: text. 26. *Sudor optimus eſt per omnes acutos morbos, ſi per diem evenit decretorium, & integre ſedat febrem.* Hic toto corpore manare debet, utpote iſtorum duorum conſectarius teſte *Galeno in comm*: namque calamitoſa in

ipſo ente

ἀφωνι totiens ab *Hipprocrate* improbata. Calidus quoque ejusmodi ſudor ſit ex ſententia *Hippocratis*, ut ex oppoſito conjectare licet, dum frigidum tantopere damnat. Copioſus preterea, quaſi guttatim extillet, vaporeſque corpore effundat, pulſu undoſo & magno. Sed nes is ſudor improbandus, unde æger aliquantum levari videtur, etſi lauda tiſſimi ſudoris recenſitas notas omnes non habeat Nec enim critico die eundem effundi ſemper neceſſarium, ut *Galenus cenſet in præſentis loci comm*: Et quæ de ſudore critico, victa concoctaque materia, die decretorio erumpente, à medicis traduntur, huc referri non poſſunt, quod, ut ſæpius monui, purpura veneni particeps ſit, nec ad normam bonæ coctionis reſtringatur; unde nec ſudor criticos dies ſemper obſervat, ſed & aliis diebus cum ſalute ægrotantium, & ipſo decretorio die, ſignis coctionis præſentibus, nullo interdum ſublevamento, ſæpe gravi cum damno, diffunditur. Quin in ipſo principio morbi, ubi adhuc dum nulla morbi coctio peracta, ſudorem ſalutariter cieri ſuperius demonſtravi: quem & fœtidiſſimum odorem expiraſſe adverti, morbo tum vergente in melius. Quare ut in optimo ſudore ſoli naturæ relinquendus ægrotus, à quo frigus omni cura arcendum, ſudor calidis linteolis diligenter abſtergendus, vires analepticis inſtaurandæ, atque evanidi ſpiritus rerum fragrantium odore epithematibuſque recreandi; ita ſi natura operi huic impar videatur, adjuvanda erit iis remediis, quæ ſudorem provocare memoravi. Quod ſi in tali ſudore morbus non ſtatim levetur, veneni purpurati pervicacia id accidere credendum; cujus maligna vis, morbo præcipuè jam adulto, adeo fortes egerit in corpore radices, ut unius alteriuſve ſudoris eruptione ea extirpari aut domari ſtatim nequeat.

Contra ſi ſudor planè ſymptomaticus ſit, nullaque cum ἐυφο-ρία ægroti toto corpore maneat, aut ſi frigidus ſit, aut ſaltem caput cervicem & faciem occupet, damnandus merito, quod inde vires maximè poſterni contingat. Hic itaque impediendus inunctione *olei myrtini, roſacei omphacini, cydonior*: cum *pulvere roſar: rubr: ſantal: rubr: farina hordei*. Facies ſudantis irrorari poterit poſca, *aqua roſarum, nymphææ, cydonior: bacc: rub: Idæi*. A fortiter adſtringentium & refrigerantium topicorum uſu, abhorreo, ne malignitas cor re-

petat,

petat, calorque iſta *ἀντιπερίστασιν* viſcera magis amburat. Linteolis raris potius, quàm culcitris operiendus æger, ne, caloro aucto, poriſque cutis nimium patentibus, quicquid reſtat ſpirituum ſimul efferatur. Alexipharmaca, ſed temperata, exhibenda, quibus tamen ad ſudorem æger nequaquam diſponendus: quo in caſu theriacam laudo, quæ authore *Galeno lib. de theriaca ad Piſonem cap. 15. diaphoreticos ſudores in cardiacis ſiſtere valet, quando ſcilicet corpus ſudore adeo diffluit, & vires ita diſſolvuntur, ut ne vinum quidem eas reparet.* Ea vero, ne calore obſit, cum *aqua acetoſæ, ſucco citri, ſyr: granat: bacc: rub: Idæi*, dari debet. Æger per intervalla juſculis inſtaurantibus reficiendus: qui & vini *εὐωδεστάτου*, ſed tenuis, ac *ſucco citri, bacc: rub: Idæi, aqua acetoſ: fragor: cydoniorum*, alterati, parum ſorbere poterit. Spiritus languentes epithematibus cordi, arteriis temporum ac manuum, foveæ cordis adhibitis, & ſuaveolentium rerum fragrantia, ſuſtinentur. Aer ſit frigidiuſculus, qui ſi talis non ſit, arte refrigeretur. Quod ſi ſudor diaphoreticus ſit, viresque effœtæ appareant, (quibus ſic conſtitutis, nulla, qualis etiam tandem fuerit, evacuatio confert.) mortem jam inſtare nunciant, ut curationi nullus locus amplius ſuperſit.

Hæc ſunt, quæ de purpuræ ſymptomatis referre volui, ut potiſſima, & in curatione ejuſdem magis obvia: cætera, ut minus frequentia, & ab aliis authoribus alibi tradita, proponere nolo, purpuratæ febris diætam, ceu colophonem præſentis operis additurus.

CAPUT XLIII.

De Purpuræ diæta.

Victus rationem in præſenti morbo neceſſariam conſiderare operæ maximè pretium fuerit, quæ teſte *Corn: Celſo præfat: lib. 4. de re med: multum admodum in omnibus malis corporis proficit. Quemadmodum enim in ſanis pravus victus ægrotandi affert occaſionem*, ut teſtatur *Galenus lib. 2. de diff: febr: cap. ult: eodem etiam modo mul-*

do multo magis in laborantibus ex erroribus in victu admiſſis graviores fieri acceſſiones, idem monuit, imò, ipſam aliquando mortem, ſi gravior fuerit, inferre docuit *Hippocrates lib. 1. de vict: rat: acut: text: 33.* his verbis. *In lateris morbo, ubi dolor continuus eſt, neq; calidu fomentis levatur, neq; procedit ſputum; ſed lentum & incoctum eſt, ſi tum neq; alvi ſubductione, neq; ſanguinis miſſione (ſi horum auxiliorum alterutrum conferre videatur) dolorem ſolveris, ſed ptiſanam ſic affectu exhibueris, nihil obſtabit, quò minus præcipiti morte rapiantur.* *Idem lib. 1. epid: sect: 2. text: 79: Philonis filiam*, cum liberaliter ex naribus ſanguis effluxiſſet, quod ſeptimo die intempeſtivius cœnaſſet, morte obiiſſe tradit. Namque ut *C. Celſ: in præfat: de re med: dicebat, ægris tantò magis omnis obſervatio neceſſaria eſt, quanto magis obnoxia offenſis infirmitas eſt.*

Victus autem nomine ſecutus *Galenum comm: 2. lib. de nat: hum: text: 2.* non ſolum cibum & potum (quæ ſtrictior alias diætæ appellatio eſt,) ſed & cæteras res non naturales medicis dictas, quibus humana vita nullo modo carere poteſt, complector: aerem ſcilicet, motum & quietem, ſomnum & vigilias, excreta & retenta, animi *παθήματα*: de quibus ſigillatim nunc agam.

Aer ægrotantium ſit purus, lucidus, nullis inquinamentis perfuſus, temperatus: qui ſi in primis qualitatibus nimium excedat, contrariis alterari debet. Hyberno itaque tempore ſtufa modice calefieri, aut luculento foco conclave alterari, poterit, ne pori corporis, per quos noxij halitus tranſpirare debent, ambiente frigido occludantur. Quamvis enim hybernus aer, reſpirando attractus, frigiditate ſua cordi refrigerium præſtet; quia tamen exterius ægrum contingit, cutem denſat cogitq;, putreſcentium humorum effluxum prohibet: quin & idem nimium frigidus aer ſibi ipſi, cutem denſando, viam præcludit, ne ejus qualitas vel ſubſtantia per cutem ad cor pervenire poſſit, ut docet *Galenus lib. 10. meth: med: c. 8.* Pro extruendo foco ligna eligantur *ἄκαπνα*, non putrida, (ſuccenſo enim corruptis lignis balneo mulierem animi deliquio correptam narrat *Galenus 2 aph: comm: 41.*) *querna, fraxinea, juniperina, juglandium*, aeri depurando totâ ſubſtantiâ commendata: quo perennis ignis calor fœda *μιάσματα*, ab ægro exhalantia, aut alias illic hærentia, conſumat: quin & eidem noxiæ qualitati corri-

Digitized by Google

gendæ *baccæ lauri, juniperi, folia roſmarini, flores lavendulæ, ſuccinum* aliaque id genus ſuccenſo igni injicj poſſunt. Quo fine quoque thymiamata ex *ligno aloes, ladano, ſtyrace, ſandaracha Arabum, Benzoe, caryophyllis, nuce moſchata* conficiuntur, quibus *moſchi* momentum remixtum majorem dabit thymiamatis gratiam: quæ ex intervallis incenſa non aeris modo malignitatem emendant, ſed & ſpiritibus languentibus refocillandis, iisque à præſentis morbi virulentia liberandis, apprime conferunt, ut ſupra memoravi. Qui ſuffimentorum uſum perferre nequeunt, *aquam Damaſcenam*, aliamve ſuaveolentem cordialem lateri aut ferro candenti aſpergi curent. Sic enim amœno odore aer perfuſus ægrotos & adſtantes recreabit. Ne tamen aer nimis incaleſcat, ſedulo cavendum, quod ſpiritus & humores cordis alias accendantur: nec enim eorum opinionem probo, qui in ſtuſis noſtris adeo aerem incendunt, ut in balneo quodam ęgri decumbere videantur: qui, dum audiunt moderatos ſudores ægris ſalutares eſſe, quo illi expeditius fluant, ægros hypocauſti fervore prope diſſolvi permittunt: cum tamen vires inde maxime debilitentur, & cor, vitæ principium, quod in purpura inexplicabili anxietate fere oppreſſum languet, nullum refrigerij oblectamentum accipiat: ita, juxtam Poetam *lib. 1. ſerm: ſat: 2.*

dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.

Quin ſi aer aer ad frigiditatem parum inclinare videatur, cordi refrigerando eò magis conveniet, ac, ſi odoris ſuavitate ſimul fragret, ægroto apprimè utilis erit. Hinc *Avicenna lib. 4. f. 1. tract: 4. de curat: peſt: præcipit infrigidare domos, & rectificare aerem fructibus odoriferis frigidis, extremitatibus arborum frigidarum*, item, *rorationibus ex aqua roſarum, caphura, ſantalis* &c. quod & facere jubet *Rhaſes lib. 10. ad Almanſorem cap. 16.* Præcipue vero æſtate æger decumbat loco lucido & perflato, patentibus verſus ſeptentrionem atq; orientem feneſtris, ut liberiorem aerem hauriat: qua de re & turba adſtantium arcenda, ne ægro commeatum aeris intercipiant; cum & paucus aer facile incaleſcat, ut poſtea non refrigeret. *Quæ enim ſpirant in pauco & eodem aere, quæ vero aquatilia in pauca eademq; aqua, ſtrangulari ſolent; nam eorum utrumq; calidum redditur, unde refrigerationem impedit*, ut docet *Ariſtoteles lib: de reſpirat: cap. 16.* Quo vero majus

majus refrigerium aeri præſtemus, pavimentum conſpergatur *gramine recenti*, ante Solis ortum demeſſo, *foliis vitium, ſalicis, flor: nymphææ, aceto* & *aqua gelida*: naribus *flores violar: roſar: nymphææ luteæ, acetum roſarum*, apponuntur: *ſalices*, itemq; *virentes betulæ* aquis impoſitæ & prope lectum collocatæ gratum diffundunt odorem. Æſtivi quoque calores remittunt, aqua frigida de vaſis in vaſa transfuſa, *Gal: lib. 10. meth: med: cap. 8.* aut artificioſis euripis in conclavi factis, quorum in altum ſalientium aquarum frigus æſtum aeris temperat, gratoque murmure infirmos recreat, ut ad ſomnum proni fiant, authore *eodem loco proximè citato*, & *Alex: Tralliano lib. 12. cap. 4. Avicenna* quoque *loco allegato* domos aliquoties in die irrorari vult, qui & aquas manantes, ſeu Silanos aquarum, pro contemperando aere in peſtilentibus febribus probat: à quibus reliqua huc transferantur, quibus aerem æſtivum recentari expertum.

In cibandis ægris circumſpectum decet eſſe medicum, atq; ita victus rationem moderari, ut viribus infirmi conveniat, morboq; non ſit moleſta: univerſæ enim diætæ normam ad duos ſcopos *Hippocrates* direxit, ægroti videlicet virtutem & morbi ſtatum teſte *Galeno 1: aph:* 12. non neglectis tamen aliis circumſtantiis, quæ à conſuetudine, ætate, natura, regione & anni tempore, petuntur: *quò cujusq; indicationis poteſtate conſiderata, omnibusq; inter ſe collatis, unam idonei victus ſummam, quæ laboranti ſit commoda, comparet. Galen: lib. 8. meth: med: cap. ultimo.*

Qua vero quantitate cibus ſit offerendus, inter medicos maximè controvertitur: dum alij pleniorem victum commendant, alij contra per quàm tenui victu alendos ægrotos aſſerunt, victumq; pleniorem, ut ægro damnoſum, maximè improbant. Qui plenius nutriendos ægrotos autumant, pro confirmanda ſententia adducunt locum *Galen: 3. epid. ſect: 3. comm: 58.* ubi omnes peſte affectos, quocunque morborum genere detinerentur, cibum faſtidiviſſe (eos præſertim, qui pernicioſe haberent,) ac fortiores, qui vim ſibi ipſi afferentes cibum oblatum aſſumpſere, omnes fere ſuperſtites fuiſſe, aſſeritur. *Galeno* conjungunt *Avicennam lib. 4. fen: 2. tract: 4. ca. 4.* qui ægrotos ad eſum cogere jubet. *Nam plurimi eorum*, verba authoris ſunt, *qui viriliter agunt ſuper illud, & comedunt viriliter,*

Digitized by Google

liter, abſolvuntur & vivunt, & neceſſe eſt eos inſtaurare ſuper cibum. *Aetium lib. 5. de re med: cap. 130.* qui *alimentum nequaquam differendum eſſe* monet: *materiam enim nequiorem jejunium facit, viresq; proſternit; quas infractas ſervari in omnibus quidem febribus, ſed in peſtilentibus maxime intendimus.* *Rhaſem l. 10. ad Manſ: c. 16.* ubi his febribus implicitos ad epulandum urgendos cenſet: pleriq; enim ipſorum ab omni cibo abhorrent, & nullum fere admittunt. *Cornel: Celſum lib. 3. de re med: cap. 7.* qui *in peſte fame uti, minime utile eſſe,* dixerat: ut propterea purpuratæ febres, cum eas peſtilentium indolem referre certum ſit, parem i. e. plenum victum deſiderare horum opinione videantur. Præterea cum corruptis humoribus temperandis victus plenior prodeſſe ſoleat, & τὴν ἐπίκρασιν ſeu attemperationem humorum corruptio exigat, quæ copioſis cibis perficitur, ut patet ex *Galeno l. 1. aphor: comm: 17.* in purpura vero adeo humores corrumpi videamus, ut venenorum naturam induant, iis mitigandis alimentorum optimorum copiam conferre volunt, quæ virtute valida eò magis admittenda: quemadmodum, ſi ea deficiat (quod in purpura frequens admodum eſt,) ſolo victu conſervari & reſtaurari deſiderat: quem tum parce quidem, ſed crebro offerri jubent, quod multis affectus indigeat, & univerſim magnam copiam virtus infirma ferre non poſſit.

Contra vero qui adſtrictam victus rationem in purpura commendant, ac tenuiter ægros alendos eſſe judicant, his potiſſimum ducti videntur rationibus: quod purpura acutorum morborum genere comprehendatur, in quibus ἀσθενεῖς δίαιται commendantur, cibi ſcilicet *imbecilliſſimæ materiæ*, ut eos vocat. *C. Celſus lib. 2. de re med: cap. 18.* in quibus *minimum alimenti ſit*, ut de iiſdem affirmant *Galenus 6. epid: ſect: 5. comm: 21. & Palladius Sophiſta in ejusdem loci comm:* ubi validos cibos vocat, qui bene nutriunt. Quin eo magis detrahendum cibis, quo morbus citius ſua percurrit tempora. Qua de re *Hippocrates lib. 1. aph: 7.* *Cum morbus peracutus eſt, extremos protinus labores habet, ſummeq; tenuiſſimo victu eſt utendum.* Deinde victum pleniorem propterea improbari, volunt, quod *impura corpora quo plus nutriveris, eo magis læſeris Hipp: 2. aph: 10. quod mali ſucci in corpore prius collecti conſortio vitietur novum accedens alimentum*; *quò fit ut cacochymiæ*

quan-

quantitas augeatur, & retineatur qualitas, ut ſentit *Galenus in comm:* Quam etiam ob cauſſam *Hippocratem* in acutis morbis tenuem victum præſcribere credendum. Vires quidem incolumes ſervari debere agnoſcunt, quod earum pollentiâ morbus ejusque cauſſa ſuperentur, quas in hoc morbo ſemper fere debiles eſſe prompte admittunt: tantum tamen horum judicio abeſt, ut illæ pleniore victu conſerventur, ut alimentorum copia oppreſſa potius natura, nec πεπασμῷ materiæ morbificæ, nec ciborum πέψει, ſimul vacare poſſit. Nec enim alimenta accepta ſtatim membris apponuntur & aſſimilantur; ſed egent coctionis & diſtributionis, ut nutritio commode fiat, quo vires conſerventur & augeantur: unde fit, ut illæ circa cibum occupatæ minus depugnando morbo operentur, qui diſtractis alio ſpiritibus ſeipſo validior factus, vires poſtea magis proſternit. Hinc *Averroes lib. 7. colliget cap. 10.* & *ſect: 3. collect: cap. 17. cibari ægrotantes minime oporteret, niſi poſt ſtatum, ut facilius concoqueret ſuccos natura, quæ alimenti copia plerumq; gravatur.* Cibos enim tantum coctionis morborum impedire, quantum ægroto robur adaugent, docebat *Galen: 1. ad Glauc: c. 10.* Qui *1. de vict: rat: acut: comm: 13. & 17. Petronam* medicum arguebat, qui carnes aſſas, vinumque nigrum, febre acuta laborantibus concedebat. Præclare *Hippocrates lib. de affectionibus in fine. Quæ ſanis conferunt, ægrotis exhibita valentiora ſunt, eaq; vi ipſorum detracta exhibenda, alioqui ea corpus non ferat, ſed magis noceant quàm juvent.* Et vere *Galenus 11. meth: med: cap. 15. Corpora non nutriuntur ex his, quæ devorantur, ſed ex illis, quæ optime in viſceribus conficiuntur, & confecta diſtribuuntur.* Confer *eundem lib. 7. meth: med. cap. 6*

Inter hæc ſententiarum divortia mediam placet tenere viam, nec intempeſtiva abſtinentia cibisque imbeciliſſimæ materiæ ægrum conficere, nec importuna ſagina eundem obruere. Nec enim illud κακόηθες plerarumque noſtratium clinicarum probare poſſum, quæ ægris, morbo acuto correptis, victum pleniſſimum, qui ſanis ſufficere poſſet, ſubminiſtrant, tanta ſollicitudine, ut, niſi ægrum probe epulari viderint, jam actum de ægri ſalute, eumque tenui cum victu ferundo morbo imparem fore, metuant: cum tamen præſens adſit commiſſæ noxiæ pœna, & æger à cibo, ultra quàm par eſt ingeſto,

mox deterius habeat: quod natura à coctione morbi revocata conficiendis cibis occupata ſit, & hi decretoria, quę cum ſalute ægri apparere videntur, impediant, vel immutent, vel aliquo modo turbent. Scilicet *intemperantes homines*, ut C. *Celſus lib. 2. de re med: cap. 16.* de ſui ſeculi diætæ incuria querebatur, *apud nos ipſi cibi tempora ægrotantibus dant. Rurſus alij tempora medicis pro dono remittunt, ſibi ipſis modum vendicant. Liberaliter ſe agere credunt, qui cætera illorum arbitrio relinquunt, in genere cibi liberi ſunt, quaſi quæratur, quod medico liceat, non quid ægro ſalutare ſit; cui vehementer nocet, quoties in ejus, quod aſſumitur, vel tempore, vel modo, vel genere peccatur.*

Nec obſtat *Galeni* authoritas ex *allegato epidemiorum libro* producta: nec enim victum copioſum illic commendari, ſed graviſſimum ſymptoma ex *Hippocrate*, quod & ſuo tempore peſte affectis accidiſſe memorat, faſtidium nempe omnium ciborum, (*ut plurimi mori, quàm comedere, prius duxerint*, qua de re etiam factum, ut multi morerentur,) notari video. Quod vero fortiores, qui vim ſibi afferentes cibum oblatum aſſumpſerunt, omnes fere ſuperſtites fuiſſe dicit, inde concludi non poteſt, victum plenum ab eodem propterea laudari: cum potius res exempli ſit, cujus imitatione, nauſeantes ac ſtomacho reſoluti in peſtilentibus febribus ad cibos inſtigandi ſint, ob properum in hoc morbo virium lapſum, quæ niſi alimentorum benignitate reficiantur, facile ſuccumbunt. Neque enim, ægrotos, præter omnem animi lubentiam comedere juſſos, nullas leges in cibis obſervaſſe, ſed talem diætę rationem, quę medicorum præceptis, morbo & ejus ſtatui, viribusque ſuſtinendis, apta foret, ſecutos fuiſſe, veriſimillimum videtur. Sed nec omnes in peſte purpuratisque febribus adeo à cibis abhorrent, ut mori ſatius ducant, quàm quicquam comedere: quidam enim, quantum ratio morbi viresque exigunt, adhuc aſſumere valent, quod in diverſis peſtibus ipſe notavi, ut propterea ſingularis exempli loco id *Galenus* adduxerit: inde vero omnes ad cibum ſumendum cogere velle, manifeſto *Galeno* adverſatur: cum, quod de quibusdam ægris aſſeruit, ad omnes ægrotos indifferenter deducere velle, omni ratione careat: quod hos rebus humanis ſuperfuiſſe teſtatus ſit, qui extrema ἀνορεξίᾳ detenti ad comedendum coacti fuere. Horſum quoque ſpectare videtur *Avicenna* lo-

Digitized by Google

næ locus: neque enim omnes peſte correptos, ſed eos ſaltem, quibus appetitus penitus languet, frequenti alias purpuræ peſtique malo, ad edendum cogendos, non vero plenius nutriendos, cenſuit: quod paulo poſt ipſe cibos copioſos damnaverit. *Aetius* potius ex *Herodoti*, antiqui cujuſdam medici, quàm ſuâ, ſententiâ loquitur: qui tamen paulo ante, eodem capite, cibos parciſſimè exhiberi volebat, quò tota exanthematum multitudo expurgari poſſit. *Idem* etiam, dum alimentum nequaquam differri juſſit, non victum plenum, qui vires infirmi offendat, ſed talem offerendum cenſuit, quem ratio morbi, & medicorum præcepta requirerent: quod totali abſtinentia acres humores magis exacerbari, at laudatis alimentis temperari ſoleant, viresque inde reſtaurentur, quas in omnibus quidem febribus ſed maximè in peſtilentibus infractas ſervari intendimus. Sed nec *Rhaſes* victum plenum ſimpliciter proponit, dum cum *Avicenna* ad comedendum ægros compellendos eſſe aſſerit, quod pleriq; nullum cibum admittant. *Idem* enim *libro de peſte*, ubi explicatius victus rationem tradidit, uberioris victus non meminit, qui ne volucrem comedendam ægro permittit, priusquam peſtem comitantia ſymptomata remittant. Tandem nec *Cornel: Celſus*, dum famem in peſte improbat, epulari ægros jubet; qui leviſſimos cibos proponit, & operam dari vult, quantum fieri poteſt, *ut inter opportunam abſtinentiam ciboſq; opportunos omiſſis cæteris æger nutriatur.*

Ut autem athleticô victu corpus firmare inconſultum admodum fuerit; ita longa inedia infirmum excruciare non medici, ſed tortoris erit: cum & in exquiſitè tenui victû commiſſus error majoribus damnis ægrum afficiat, quàm ſi is paulo pleniore victu uſus fuiſſet, ut patet ex *Hippocratis lib. 1. aph. 5.* Vires enim, in quarum robore una ſalus decumbentis poſita eſt, adſtricta hac victus ratione labaſcunt, ut morbo ſuperando poſtea impares ſint futuræ, ac in ſtatu, ubi alias rebus infirmiſſimis opus, aut adveniente ſyncope, intempeſtivè poſtea nutrire cogamur: cum hujus vitandæ ergò in ipſis principiis acceſſionum, & in medio paroxyſmo cibum aliquandò offerre debeamus, ut monet *Averroes ſect: 3. collect: cap. 17.* & exemplo juvenis calidi & ſicci febrientis *Galenus* probat *lib. 10 meth: med: cap. 3.* Firmat *Aetius lib. 5. de re med: cap. 90. & 98.* De qua re pluribus

ad 1.

bus egit *πολυμαθέστατος Vir, Dn: Georgius Fridericus Laurentius*, in exercitationibus ad *Hippocratis lib. 1. aph. 11.* Sed & periculoſa eſt ſubita ex largo, conſueto, victu ad tenuiſſimum mutatio. Hinc *Cornel: Celſus lib. 3. de re med: cap. 4. Aſclepiadem* arguit, *qui ubi ægrum triduo per omnia fatigarat, quarto die cibum deſtinabat.* Et *Galenus* adverſus *Diatritarios*, ut eos appellat *lib. 8. meth: med: cap. 6.* expreſſa diſputatione *lib. 10. meth: med: cap. 3.* & *8.* atque alibi oſtendit, corpora ægrotantium tenuiſſimo victu non eſſe maceranda. *Averroes* quoque *loco proximè citato*, antiquorum diætam *Arabes* tolerare non poſſe, dixit. Quemadmodum à noſtris dudum abrogatæ de extremè tenui diæta leges: ut facile invidiam facto conciliare queat, ſi ægrum adſtricta victus ratione attinere medicus velit; morbus vero ſiniſtrum eventum ſortiatur. Quare illud, monente *C. Celſo loco proximè allegato*, medici ſit officium, *ut ægrum neq; ſupervacua materia oneret, neq; imbecillum fame perdat.* Parca autem ſit ciborum quantitas, major tamen, quàm in aliis continuis febribus concedi ſolet; ob deleteriam noxii humoris qualitatem benignitate alimenti temperandam. Nec obſtat *Hippocratis aphoriſmus lib. 2. text: 10. Impura corpora quò plus nutriveris eò magis læſeris*, cum illud de humoribus in ventriculo contentis intelligi debeat, ut explicat *Galenus in comm:* & vires ſemper heic debiles neceſſario inſtaurari deſiderent.

Cibi etiam quantitas augenda aut minuenda pro morbi longitudine aut brevitate: *neq;* enim, monente *Galeno 3. de criſib: cap. 5.* & *1. aph. 11. conveniens victus adhiberi poteſt, ſi ſtatus non præcognoſcatur: ut, niſi quis ad hunc reſpiciens ab initio victus modum adhibuerit, fieri non poſſit, quin magnum malum aliquod afferat ægrotanti, eodem authore 1. de criſ: cap. 13.* In illa igitur copioſius offeratur alimentum, quo vires toto morbo durare poſſint: qua de re & principio morbi plenior victus admittitur, hinc, aucto morbo, minus alimenti datur, (quantum tamen ſuſtinendis ad exitum viribus ſuffecerit, ne in ſtatu imprudentes ægrum nutrire cogatur,) in ſtatu minimum porrigitur, juxta *Avicennam lib. 1. fen: 4. doct: 5. cap. 1.* quod tum cuncta ſymptomatum vehementia percellantur, ut iis fatigata natura coctioni ciborum intenta eſſe nequeat: namque imprudentis medici fuerit, naturam in vigore morbi, hujus coctione maximè occupatam, ad ciborum

borum digeſtionem avocare, niſi fatiſcente virium robore illud facere neceſſitas poſtulet, tum enim in ipſa ἀκμῇ, ſeu ſtatu morbi, cibare ægrum permittit *Galenus 1. aph: comm: 4.*

Vires præterea ut imbecillæ aut validæ fuerint, ita plus minusve cibi dandum: quare ſi hæ toto morbi tempore ſatis firmæ videantur, inſtaurationem cibo potuq; fieri non admodum deſiderant, ſed tum minore copia rariſque intervallis cibus offerendus· at ſi imbecillitatem vereri cœperit medicus, cibo ſubveniat: qui parva quidem quantitate, ſed crebrius ſumendus, ut nutriat neque oneret, cum una vice tantam alimentorum copiam vires affectæ ſuſtinere non valeant.

Porro eandem victus rationem aut liberaliorem efficient, aut magis contrahent, circumſtantiæ, quæ ab ætate, natura, regione, anni tempore, conſuetudine, deſumuntur. Ita pueri teſte *Hippocrate 1. aph: 13. & 14. Corn: Celſ: lib. 3. cap. 4.* difficilius inediam patiuntur, quam viri; præſertim ſi nativi caloris ἐκλάμψις exſplendeſcat: contra ſenes paucis nutrimentis à morte defenduntur. Sic *calidiores ſicciores*q; *naturæ non facile inediam ferunt, maximè in ægritudinibus ſibi cognatis & tempore calidiore. Quod ſi diutius inedia contineantur, à febribus debilibus ad vehementes perducuntur, aliquando item ad hecticas: fames namq; & ſuccos uberiores gignit, & ſalſos adurit,* ut notat *Averroes collecta: ſect: 3. cap. 17.* Sic qui os ventriculi exquiſitiſſimi ſenſus habent, non ita facile à cibis abſtinendi, quod dilatis in paucum tempus nutrimentis patiantur καρδιωγμοὺς, aliquando animi deliquium, interdum, communicato cum cerebro malo, convellantur, exemplo *Grammatici* illius apud *Galenum lib. 5. de loc: aff: cap. 6:* contra pituitoſi, qui calorem ignavum habent, prolatæ cœnæ moram commodius ſuſtinent, quod languidus eorum calor ſegnius cibum oblatum conficiat. Sic hyeme & vere plus cibi exhibendum quàm æſtate, quod tum ventres ſint calidiſſimi *Hippocr: lib. 1. aph: text: 15.* quemadmodum & qui in *Arcticis* locis degunt, ob ἀντιπερίστασιν aucto calore, copioſiore alimento utuntur. Ita qui natura, ſeu conſuetudine exerciti, multum comedere ſolent, abſtinentiam aut tenuiſſimum victum ægrius ferunt, ſi morbo detenti cibi vacivitate laſſis lactibus decumbant: quemadmodum tenui victu utentes, ut *Arabes*, qui

Digitized by Google

nec ſuillam guſtant, nec vinum, & quod in ferventiſſima regione corporis habitus rarior facile diſſolvatur, adeo parcò victu non alendi arbitratu *Averroës loco allegato.* Epulones tamen, qui intra popinas comeſſationibus continuis vitam tranſegere, variis quæſitis oblectamentis, ad edendum ſaturos invitantibus, magis abſtinendi ſunt, cruditate in primis viis ac viſceribus reſtagnante. Hinc *Galenus 11. meth. med: cap. 15.* phlebotomen in divitibus proponit, quod illi magis, quàm pauperes ſanguineis affectibus ſint obnoxij, ut qui magis ſe cibis impleant, tum in otio vivant. Tandem nec exquiſita victus ratio in prægnantibus ſervari poteſt, ut docet *Galenus lib. 5. aph; comm: 55.* imo victus parcior prægnantibus nequaquam convenit, cum fœtus ſufficienti deſtitutus alimento enecetur, ut *libro allato comm: aph: 44.* ex *Numeſiano idem* deducit.

Cibi in continuis morbis ſint facilis coctionis, qui celerrime diſtribuantur, non admodum nutriant, & facile perſpirentur, ut ex *Antyllo* refert *Oribaſius lib. 4 collect: cap. ult:* ne onerata *δυνάμει* mole à coctione morbi virtus avocetur, neu nimis pleno ac craſſo alimento fomes morbo ſubſternatur; ſed ut virtus permeabili alimento citius refocilletur. Conveniet *cremor ptiſanæ, avenæ: panatella ex aqua & pane triticeo, in aq: acetoſæ, cichorij loto,* aut *ex pane & cereviſia* parata, cui & *vitellus ovi* permiſceri poterit: aut *panatella* ex *pane ſemin: melon: cucurbitæ excort:* & *aqua* cum *vitello ovi, & ſacchari* ac *butyri* pauxillo. Juſcula *ceraſorum ſiccorum, prunorum de prunellis, prunor: Damaſcenorum* tuto offeruntur. Quod ſi magis nutrire conſtitutum ſit, *panatella* ex *juſculo pullorum* aut *caponum* cum *ovi vitello* & *ſucco citri* datur. Aut *amygdalogala,* ex paucis *amygdalis & aquæ hordei* confectum, *aquæ roſarum & ſacchari* modico adjecto. Proſunt *ova ſorbilia. Siquidem nullus eſt alius cibus, qui in ægritudine alat, neq; oneret, ſimulq; vim potus ac cibi habeat* teſte *Plinio lib. 29. hiſt: nat: cap. 3. Aretæus lib. 1. de curat: acut: morb: cap. 10.* mirifice prodeſſe ſcribit, *ova nuper à gallina edita, ex igne, igne carentia: quippe à matre caliditas ineſt, igne quidem humidior, ſed ægrotanti familiarior, utpote animali ob animal. Piſces ſaxatiles,* qui carnem teneram, friabilem habent, ut *percæ, funduli, cobitides barbatulæ, lucij minores,* admittuntur: *carnes* item *avium montanarum, perdicum, attagenarum, pullorum* ac *caponum,* aut potius horum

Digitized by Google

horum inſcula expreſſa, quod citius reficiant, nec ſtomacho moleſta ſint: quidam etiam *vitulinam & agninam carnem* admittunt, non mucoſam, macram, ſed lacte uberrimo nutritam. Quamvis à carnibus abſtinendos potius cenſeam infirmos, juſculis ſimplicibus aut expreſſis contentus, ſi virium robur inſigniter langueat. Quæ poſteriora à *Nicolao Boccangelino lib. de mal: & peſt: morb: cap. 18.* immerito damnantur: quod difficulter coquantur, & ob moram in ventriculo aceſcant, ac obſtructiones augeant. *Panis* ſit probe ſubactus, fermentatus, benè coctus, ſimilagineus. Ubi citiſſima refectione opus, & ægri faſtidio ciborum attinentur, *panem dulciarium, ex albumine & luteo ovorum, flore triticeæ farinæ, ſaccharo, ſemine aniſi, cardamomi &* pauco *moſchi* cum *aqua roſar:* confectum, *vino baccarum rubi Idæi ſaccharato*, aut *Rhenano* fragrantiſſimo, intinctum concedere ſoleo: qui in ipſo ore ſtatim diffluit.

Nec mirari quis debet, cur, cum victum plenum damnaverim, heic tamen cibos admittam plurimùm nutrientes: quod neceſſitate adacti medici, reparandis viribus, pauca quantitate, tales darè interdum cogantur. Non enim is victus tenuis ſolùm eſt, qui ex rebus parum nutrientibus paratur, ſed & is dici meretur tenuis, unde vires imminuuntur authore *Galeno 1. aph: 4.* Ut is quoq; ex optimi ſucci cibariis inſtitui poſſit, ſi hæc minore quantitate exhibeantur, quàm ut decumbentis vires, cum integra adhuc uteretur valetudine, augere aut conſervare potuiſſent. Quo reſpexiſſe videtur *Avicenna lib. 1. fen: 4. doct: 5. cap. 1.* dum inquit, *Et quandoq; neceſſarium eſt nobis in qualitate augmentum facere, & minuere quantitatem: & hoc quidem eſt, cum virtutem voluerimus confortare, & ſtomachi natura rem multam digerere non valet.*

Cibi autem propter febrem humectæ ſint facultatis, quod victus talis febribus maximè conveniat, quod eo magis præſtabitur, ſi etiam actu ſint humidi, ut *jura expreſſa pullorum, gallinarum, caponum, perdicum*, quæ etiam facilius coquuntur & diſtribuuntur. Cibi etiam propter malignitatem ac putredinem febris ita præparentur, ut utramque ſimul corrigere valeant. Qui *lactuca, ſpinachia, endivia, acetoſa Italica & noſtrate, uva criſpa, agreſta, corticibus, ſucco & ſeminibus citri, corticibus & ſucco aurantiorum, meliſſa, pimpinella* Italica coqui ac

 parari

parari poſſunt. Embammata fiant ex *aceto flor: roſarum rubr: tunic: coronar: bacc: rub: Idæi, rob ribium, ceraſorum,* aut ex *acetoſa, trita*, ac modico *aceti*, aut *ſucci citri, & ſaccharo* aſperſa. Pinguia maxime vitentur, itemque dulcia copioſa, quod facile bileſcant, & flammæ oleum ſuffundant. *Salis*, ut & aromatum, parciſſimus ſit in cibus uſus. Illud denique ſedulo cavendum, ne, cum jam antea fere proſtratus appetitus langueat, nimis medicamentoſo adjectarum rerum ſapore omnem alimento gratiam, ægro omnem edendi lubidinem, tollamus.

Tempus cibandi commodiſſimum erit, ubi morbus mitius afficere videtur, modo vires imbecillæ alimentum tam diu differri patiantur: illis enim labantibus quovis tempore, imo in ipſo paroxyſmi vigore nutriri infirmus poterit. Quod ſi morbus continuo afficiat, nec ullo tempore remittere videatur, conſuetis horis æger alendus erit.

In potu *vinum* exſto: namque mandato *Averr: lib. 7. colliget cap. 10. in febribus incenſivis à vino omnino elongare debemus*: quod ob leptomeriam ſponte ſurſum tendat, caput feriat, vigilias contumaces & delirium excitet, ac ſulphure ſuo, à maligno calore accenſo, ſanguinem inflammet: ut vere teſtari poſſim, quicunque vino abſtinere noluerunt, omnes fuiſſe mortuos. Quin & *vini, aqua cocta* aliave refrigerante diluti, uſus merito ſuſpectus eſt; quamvis enim liquoris refrigerantis affuſione calor vini aliquantum remittat, prædictum tamen vini ſulphur inflammabile reſtat, quod in maximo viſcerum incendio flammam facile concipit. Viribus vero admodum infirmis, ægro ſumme vinum anhelanti, vinum admodum tenue, aut aqua cocta, *acetoſæ, fragor: ſucco citri &c.* temperatum, pitiſſare permitto: cæteroquin vinum nunquam concedo, niſi ante tranſacta fere morbi tempora, & ubi jam in melius inclinata valetudo eſt: tum enim languentem ex morbo ſtomachum roborat, vires pariter reficit, materiam noxiam per urinarias vias pellit, nec caput gravat, ſi album tenue ac aquoſum ſit, ut patet ex *Galeno lib. 12. meth. med: cap. 4. Cereviſia* tenuis, probe cocta ac defæcata, potus loco conceditur, item *hordei decoctum* cum *paſſulis* exacinatis, *ſeminibus melonum* ac *ſyrupo ribium, acetoſæ, fragorum* confectum. Qui volet *pomaceum* bibat, modo

modo illud ex fragrantiſſimis & electiſſimis pomis expreſſum fuerit. Alij *aquam fontanam* coctam, injectis prope finem *floribus violar: borraginis, bugloſſi,* cum modico *ſacchare* & *ſpiritus ſulphuris* aut *vitrioli* guttis aliquot, aut *aquam decoctam, ſyrupo berberum, ribium, ſucci acetoſæ, citri* & paucis guttulis *ſpiritus vitrioli*, alteratam, laudant: cui, ut majori prolubio hauriatur, *ſpiritus baccarum rub Idæi* pauca quantitate miſceri poterit. Alij *raſuram C.C. berberes, rad: ſcorzoner: acetoſæ,* cum ea decoqunt, quò pota aqua ſimul malignitatem morbi oppugnet.

De motu & quiete nihil pene occurrit monendum; niſi quod commonefaciam, ut ægri, quantum licet, in lecto quietè decumbant, quo per continuam διαφόρησιν venenati halitus expirent, qui frigore intro pelluntur. Familiare namque hoc vitium præſenti malo eſt, ut homines reddat anxios & loci cujusque impatientes, qui ſæpe lecto decumbere, eoq; tegi, nolint.

Somnus & vigilia moderata ſint: quorum alterutrum, ſi extra naturæ legem abeat, reducatur medicamentis proprio loco à me adductis. Morbi tamen primo acceſſu ſomno diſtineri ægrotum malum: quod, ſomno retractis ad interiora ſpiritibus & humoribus, vis maligna purpuræ intro rapiatur, eaque, dilatis ſomno remediis, longiore in corpore mora magis invaleſcat.

Excreta & retenta pariter naturæ conſuetum morem ſervent: itaque ſi alvus aut veſica ſupprimantur, convenientibus remediis laxandæ erunt. Si tamen purpurata febris aeris vitio aut contagio illata ſit; alvum modicè adſtrictam eſſe malim, quàm ut illa ſeceſſu nimio, præſente virium debilitate, copioſius ſolvatur.

Animi affectus ita componantur, ne ulla ratione laborantibus obſint: Ea vero in re & adſtantes ſuum faciant officium, & τὰ ἔξωθεν, ut loquitur *Divinus Senex 1. aph: 1.* ſint ita comparata, ne illos offendant, *cum ſemper ægros ſecuros agere conveniat; ut corpore tantùm, non etiam animo laborent, tum præcipuè, ubi cibum ſumpſerunt: itaq; ſi qua ſunt, quæ exaſperatura eorum animos ſunt, optimum eſt, ea, dum ægrotant, eorum notitiæ ſubtrahere. Si id fieri non poteſt, ſuſtinere tamen poſt cibum ad uſq; ſomni tempus, & , tum experrecti ſunt, tùm exponere* juxta *C. Celſum lib. 3. de re med: cap. 5.* Ita enim malignitatem purpuræ ad cor

Digitized by Google

ac interiora magis traducit, quod ea calorem & humores intro rapiat, ſi primus ille impetus iræ atque vindictæ cupido conſideretur, quà cor in ſe contrahi videtur, teſte *Hippocrate 6. epid: ſect: 5. text: 8.* Quamvis autem paulo poſt humores quoquoverſum diffundantur, & effervescant; concepta tamen malignitas non adeo facile pellitur, & humores jam æſtuantes hoc ſanguinis fervore magis accenduntur, caputque petunt, quod, in purpurá fere graviter affectum, *ὀξυθυμίῃ* infeſtari *Hippocrates adducto loco* profeſſus, & *Galenus* apodicticis ſignis *in comm:* oſtendit.

Preterea curioſe medicus caveat, ne patientes nimium ſollicitet formido præſentis ex morbo periculi, quæ apprime ægros cruciare ſolet, ubi tam gravi morbo ſe attineri intelligunt: quod & in peſte Attica eveniſſe *Thucydides lib. 2. belli Peloponn: cap. 2.* teſtatus, & *Lucretius lib. 6. de rer: nat:* ſequentibus expreſſit.

Illud in hu rebus miſerandum, & magnopere unum
Ærumnabile erat, quod, ubi ſe quiſq; videbat
Implicitum morbo, morti damnatus ut eſſet,
Deficiens animo mæſto cum corde jacebat
Funera reſpectans, animam & mittebat ibidem:
Idq; vel imprimis cumulabat funere funus.

Quare de ſalute propria ægri deſperantes, ac ſi jam conclamatum foret, in meliorem ſpem erigendi, propoſito aliorum exemplo, qui conſimili morbo, ac forte gravius, detenti votivæ ſanitati reſtituti fuere: ſatiusque fuerit, miſeros infirmos ſpe proſperæ curationis prudenter ſuſtinere; (nam apud alios qui horum exceſſum levius ferent, ſententiam ſuam medicus intrepide exponat: ne, ſi aliter ac communia vota velint, curatio ſuccedat, turpis ignorantiæ, aut commiſſæ fraudis, poſtmodo is accuſari poſſit,) quàm eos animi anxios inter ſpem metumque ſuſpendere, aut certæ deſperationi relinquere.

Quantum enim ad felicem curationem peragendam præſtet ægroti *εὐθυμία*, cottidie experimur, qui medicinam facimus: hæc cuncta in corpore ſerenat, ac *τὴν καρδίην ἀραιοῖ*, cor relaxat, ut ait. *Hippocrates loco citato*; cum ſpiritus & humores à centro ad circumferentiam diffundat: ut ſubitario magnoque gaudio perculſos, diffu-

diffuſis ſpiritibus, alios animi deliquium incurriſſe, alios vitam ipſam cum morte commutaſſe, hiſtoriarum monumentis ſit confirmatum. Unde animi hæc laxatio, *ἀνάχυσις* Græcis dicitur, ut notat *Cælius Aurelianus lib. 1. chronion cap. 5. & lib. 3. chronion: cap. 7.* quæ dum ſpiritus, proximum animæ inſtrumentum, excitat atque illuſtrat, virtutem inſtaurat, ſententia *Avicennæ lib. 3. fen: 11. tract: 2. cap. 10.* ut potentius morbo obluctetur: quin etiam purpuræ malignitas, quæ cor atque interiora obſidet, hac ſpirituum ac humorum *ἀναχύσει* ad habitum corporis cum ſalute ægrotantium ſimul diffunditur.

Ægroti vero id ſedulo curare debent, ut primam omnis morbi mortisque cauſſam, peccatorum labem, à ſe amoliantur, ſeriâ de admiſſis delectis pœnitentiâ, ac certâ in DEUM fiduciâ, cujus divino arbitrio ſe ſuamque ſalutem committant: qui potenti ſuô verbô languores noſtros non raro ſanat, ubi omnis conſilij humani vis ceſpitat, ac cuncta deſperationi proxima inſtantem interitum nuntiare videntur.

Tuâ enim, Æterne DEUS, cujus innacceſsâ ſapientiâ ac bonitate cuncta mortaliũ diſpenſantur; tuâ, inquam, miſericordiâ ægrotis meis ſalus obtigit, non meis remediis, ignavis alioquin, &, ſi tu nolis, ſæpe nocituris. Cum & heic nimis verum medicinæ conſulti cottidie experiantur, quod in communi vita evenire rerum prudentes fateri coguntur, niſi affulſerit ab altô conatibus humanis tua Divina benignitas, etiam optimi cujusque & exaſcia-

Digitized by Google

exaſciati conſilij infauſtos eſſe ſucceſſus, & transverſum abripi mentes humanas ad errorum avia, unde illis reverti temere non liceat, mediaque luce non caligare, ſed cæcutire, ut in propria damna ruant, ſibique arceſſant interitum, maximô omnis ſapientiæ humanæ cum propudiô, ſacratiſſimi vero tui nominis honore: cui ſit laus & gloria in ſecula ſeculorum.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN

INDEX

Rerum memorabilium in hoc libro contentarum.

A.

ABortus in purpura frequens 207 ut caveatur 497
Abſceſſus viſcerum germina dicuntur 486
Abſinthites vinum ſtomacho prodeſt, peſti adverſatur 308
Abſurdo uno conceſſo ſequuntur plura 16
Acetū opij malignitatē corrigit 471
Achilles peſtem *Græcorum* à *Junone* i.e. aerē excitatam cognovit 105
Aconitum dari poteſt, ut certo tempore occidat 88. ſcorpio demorſis medetur 356
Acron peſtem igne ſuſtulit 249
Acronius lacus 243
Adſtringentia in purpura cur damnentur 314. in *Æno* articularis morbus unde 35 & 36
Ægroti purpura ſe occupari vix advertunt 159. medicum in principio raro accerſunt *ibid.*
Ægyptiorum in ſanando lex 234
Ægyptij ſibi ipſis jucunda faciunt ſomnia 177 & 461
Aeris conſtitutione varie mutamur 105. conſtitutio naturalis maximè ſalutaris, nam tum & piſces optimè valent 105. morbos ſalutares producit 152
Aer communium morborum præcipua cauſſa *ibid.*
Aer quando mitiores aut graviores morbos excitet 106. & *ſeq.*
Aeris conſtitutio humida cauſſa purpuræ 5. & 108. præſertim ſi calida ſit 109. & *ſeq.* authoritate *Homeri* & *Lucretij* 110. & *ſeq.* nec ventis perfletur *ibid.*
Aer quietus putreſcit 110 & 242 paluſtri ſimilis fit 110
Aeris omnes conſtitutiones præternaturales purpuram generare poſſunt 107
Aeris crebra mutatio noxia 118
Aer ὑπὸ τῶν ἔξωθεν vitiatur 112 à paludibus, cadaveribus inhumatis, antris diu concluſis, venenatis, terræ motu, *ibid.* & *ſeq.*
Aer ab aſtris alteratur 114. 148. 242. an putredine & manifeſtis qualitatibus ſolùm an & vero tota ſubſtantia noceat 119
Aer noxius quomodo abortum efficiat 158
Aer pluvius nebuloſus purpuram prænuntiat *ibid.* fructus, vina, carnes fœtum facile corrumpit *ibid.*
Aer paucus concluſus incaleſcit 138 & 244. concluſus cryptarum, convallium, locorum paluſtrium putredini obnoxius 244
Aer ξενώτατος laudatus in peſte ab *Hippocrate* 256
Aeris conſtitutio à ventis depēdet 244

A.

Aer infectus quomodo corrigatur 249. & *ſeq.*
Aeris mutatio in peſte hominum & boum neceſſaria 250
Aeris calor quomodo temperandus 244. frigus ut emendandum 241
Aer cum tonitru ligna diffindit 122
Aetij inunctio laudata 364. an ægro cuidam noxia fuerit *ibid.* emendata 365
Aetij locus de victu pleno explicatus 543
Agaricus veneno adverſus 416
Agentia non agunt ultra conditionem eſſentiæ ſuæ 40. requirunt ſubjectum diſpoſitum 80
Agnina caro quæ laudetur 270
Agyrtarum in accipiendis venenis fraudes 256
Alex mæna eſt *Gazæ* 296. Alecula piſcis *Columellæ ibid.*
Alec piſciculus ad falliendum idoneus *Iſidoro* 297
Alex veterum quid fuerit *ibid.*
Aleces veterum non ſunt noſtri harengi *ibid.*
Alexander VI. P. M. Bajacetis fratrem veneno ſuſtulit 88
Alexipharmaca venenis adverſantur 325. corpora adverſus venena muniunt 307 & 326
Alexipharmacorum diverſæ operationes 326
Alexipharmaca ſæpius mutanda 310 & 353
Alexipharmacis cur morbus interdum exacerbetur 330
Alexipharmaca ſæpius repetenda 313
Alexipharmaca communia in peſte quando uſurpanda 333. cur bezoar appellentur 354. venenum alterant & evacuant 420. media inter venena & corpora *Galenus* poſuit; theriacam tamen ſanitatis tempore idem commendavit 354
Alexipharmaca media eſſe negat *Averroes* 355. cur ſanis non noceant 356
Alexipharmaca duum generum 357
Alexipharmaca quomodo media dicantur inter corpora & venena 359
Allium alexiterium eſt, adverſus veneficia adhibitum 293
Alvi fluxus in purpura, aere aut contagio genita, funeſtus 189. ex apparatu morboſo ortus qui damnetur, aut laudetur 518. & *ſeq.* fluxui immodico quæ conveniant 519
Alvi fluxus ſyntecticus ſymptoma febris peſtilentis privatæ 190
Ἀλυσμὸς, ἀλύκη in purpuratis 181
Ἀλυσμὸς alius ναυτιώδης alius ἀνώμαλος 182
Ἀναλογισμὸς in purpura utilis 445
Anaxagoras ſaxum è Sole caſurum prædixit 121
Angina ex ſpiritu calidiore 295
Anglicus ſudor an ad ephemeras referendus 81
Anguilla guſtu ſuavis, ſed inſalubris 285. cur ab authoribus celebretur *ibid.* ſola piſcium ἀπύρηνος *ibid.*
Anguillarum maximæ laudes *ibid.*
Anhelitus fœtor in purpuratis 183
Animæ humanæ divinitas demonſtrata 24. eſſentia *Galeno* ignota 41
Anima *Hippocratis* immortalis & ætheriæ naturæ 42
Animi tranquillitas in peſte neceſſaria 304

A.

Animi affectuum mira vis 129. ut moderandi 304. affectus mortem, morbos, aliquando ſanitatem, cauſſantur, peſtem producunt 129. & 130
Animi anxietas in purpuratis 173. deliquio correptis levis error funeſtus 505
Animo qui linquuntur ut tractandi 507
Anſerum hepar laudatum 258
Anſerum & anatum caro qualis 257
Anſeres capitolium ſervarunt: inde anſeres à cenſoribus inter prima edulia locati *ibid.*
Anthoræ radicum vires in peſte 335
Aphya *Athenis* vilis, alibi magno æſtimata 282
Apicius cur veneno perierit 268
Apollo unde dictus 118
Apongna caro qualis 269
Apri ſolidi in cœnis appoſiti *ibid.*
Trojan[illegible]ur dicti *ibid.*
Aquæ ſtagnantes malæ 112
Aqua interdum corrumpitur nullis manifeſtis putredinis notis 112
Aquæ corruptæ purpuram generant 125. ut corrumpantur *ibid.* emendentur 243. & *ſeq.*
Aquæ bonæ notæ 245
Aqua unde dicatur *Lactantio* 248
Aqua frigida primus mortalium potus 431. ab *Ægyptiis, Nerone*, ut refrigerata 432
Aqua fervens refrigerata cur ſimplici frigida magis refrigeret *ibid.*
Aquam frigidam in peſte laudant *C. Celſus, Aetius, Avicenna, Rhaſes ibid.*
Aqua frigida an venenoſitatem domet 433. quibus in febribus dari nequit at 434. in principio febrium quandoque datur *ibid.*
Aquæ frigidæ noxæ ex *Hippocrate*, & quomodo corrigantur 435
Aqua frigida cur decoquatur, ejus vitia ut emendentur, qua quantitate bibenda 437, an paulatim ac ſæpius, an magnis crebriſq; cyathis, haurienda *ibid.*
Aquam bileſcere cur dixerit *Hipp* 438
Argentum vivum exhibitum veneno à mœcha potionatum liberavit 356. venenum non eſt, ſed plurimis morbis medetur 363
Aſellorum caro ſaxatilium carni comparatur 280
Aſpis hypnale dicta *Solino* 126
Aſpidis venenum ſoporiferum *ibid.* morſu mortua *Cleopatra* *ibid.*
Aſpide fontes *Alexandriæ* necati *ibid.*
Αὐτοφυξίας exempla 169
Aſiatica in peſte varij morbi obſervati 93
Athenæ ſedes ſapientiæ 105
Atthido tentantur greſſus 34
Attica peſtis horrendaſtiaſs 219
Attica peſti cum nihil profuerit ut dicatur ab *Hippocrate* propulſa 234
Attica peſtis cauſſa ad infectos fontes relata 14
Attilio Regulo lentum venenum à *Carthaginenſibus* datum 88
Aurium ſonitus purpuratis diu adhærent 179. quid indicent 482
Aurium dolore juvenes fere moriuntur 483. dolor proximus à colico *ibid.* & periculoſus *ibid.*
Auribus purulentis corrupta cerebri portio aliquando effluit 484
Auribus opiata infundi non debent *ibid.*

A. B. C.

Auſonius de *Eumpuna* adultera 356
Auſtrina tempeſtas diuturnà & humida putredinem generat 109
Auſter aliquando ſiccus *ibid.* cur plumbeus dicatur *ibid.*

B.

B*Acchus* quomodo milites ſuos peſte in *India* liberaverit 242
Bachtreſſen 281
Barbus vilioris notæ piſcis 288. olim pretioſior æſtimatus *ibid.*
Bezoartica tota ſubſtantia agunt 42 calidiora in purpura ſuſpecta 344
Boccangelinus notatus 40
Boetia aer craſſus 105
Boleti occultam malignitatem habent, viſcidam pituitam generant 297. apud *Romanos* olim in pretio 298
Boletis *Claudius* periit *ibid.*
Boleti cervini vires *ibid.*
Bolus Armenus tota ſubſtantia agit 62. pectoris malignis affectibus utilis 563
Bovina caro 261
Boum peſtis 5
Bronchocele Alpinis gentibus familiaris 34
Bufonis veneni effectus 527. eſus veneno ſudor prodeſt *ibid.*
Bufonij lapidis virtus *ibid.*

C.

C*Acochymica* corpora neceſſario debilia & purpuræ obnoxia 81
Cadavera purpura defunctorum ſubito fœtent & diſſolvuntur 236
Cæparum in cibis & medicamentis uſus 293
C. Julius Cæſar cur Deus appellatus 25
Calidum innatum *Hipp.* & *Galeno* anima eſt: *Hippocrati* immortale & ætheriæ naturæ 46
Calor pro ſubjecti diverſitate varios effectus producit 160
Calor in purpura foris nullus aut levis 47. in principio mitis, qui tamen non facile tollatur 159. & *ſeq.* quomodo malignitatem purpuræ indicet 162. & *ſeq.*
Calor purpuræ levis, tangenti acrimoniam ſuffundit 163. progreſſa purpura interius augetur, externis membris frigidis 161. quando foris fortis appareat 163
Cancri fluviatiles hydrophobiam ſanant 48
Cancrorum fluviatilium ſuccus faucibus ambuſtis medetur 497
Caput cur divinum dicatur 24
Capitis dolor in purpuratis 180
Caphura cardiacos mire juvat, alexipharmaca & antihyſterica 336
Caponis caro ut teneſcat 255
Capitonis caro quæ melior 280
Kardias vox orificio ventriculi tribuitur 188
Cardialgia ad orificium ventriculi pertinet *ibid.* cur pectoris affectibus adjuncta à *Thucydide* 189
Caro ſalita & fumo durata 266
Caro caſtratorum melior cur ſit 270
Carnes ad falliendum aptæ 288. in clibano aſſæ malæ 292
Caſtoreum in ſingultu 516
Cei unde futuram ſalubritatem anni conjectarint 151
C. Celſi laus ex *Columella* & *Quintiliano* 29. & 30
Celtæ toxico jacula venenant 41

Gere

Digitized by Google

C.

Cereviſia οἶνος ἐκ κριθῶν, ἐκ κριθῶν καὶ πυρῶν. Zythom *Ægyptiorum*, liquor ex hordeo in ſpeciem vini corruptus 300
Cervina caro cujus ſucci 272. alexiteria ibid.
Cervorum cornua in ferculis magnatum expetita ibid.
Cervi lachryma ut generetur 340 & ſeq.
Cervi lachryma, ſordes & lapis in canthis oculorum ὁμώνυμα 342
Cervi ſerpentes veſtigant 340
Charax *Geſneri* 281
Charonium ſpecus aves necat 113. homines ſtrangulat ibid. & 49
Cibi quidam ſua natura pravi 224
Cibi corrupti comeſi purpuram & peſtem generant 123. 124. 116. 155. eandemq; prænuntiant 155
Cibi multi in imbecillitate virium non dandi 510. 541
Ciborum copia cur vitanda 251. & 541. moderata abſtinentia laudatur 251
Cibus quoties in die aſſumendus 252
Ciborum varietas damnata 253. & ſeq.
Cibo homines maximè pereunt 253
Ciborum pretia ac laudes non manſere ſemper eædem 278
Cibi iidem meliores & deteriores 257
Cibi quales purpuratis conveniant 546. & ſeq.
Cibandi tempus in purpura 548
Cibi aliquando in paroxyſmis febrium admittuntur 543
Ciconia in cibo & exiſtimatione apud *Romanos* 261
Ciconiæ deſcriptio *Petroniana* 262
Ciconia veneris adverſatur ibid.
Cicuta ſturni innoxiè veſcuntur 81
Circæi montis venenum 192 & 112
Cloacis *Smyrna* caruit 44
Cloacis quantum impenderint *Romani* ibid.
Clyſmata nutrientia debilibus injiciuntur 511
Coctio aliquando in purpura obſervatur 408
Cœlum pro aere 24
Cogitatio animæ deambulatio 472 quid animo præſtet ibid. ſoporoſos excitat ibid.
Colica peſtilens *Æginetæ* 51
Colliquativus fluxus ſymptoma febris peſtilentis privatæ 190. & 197
Colliquatio fit à febribus ardentibus 191. ex hepate calido & debili, ulcere hepatis 192. à venenoſa qualitate ibid.
Colliquatio aliquando eadem cum atrophia ibid.
Colliquamenta nulla certa ſedes ibid.
Colliquatio alia inſenſilis alia ſenſilis, eaq; per alvum fertur 193. per urinas, ſudores ibid.
Colliquantes fluxus ſubito fere jugulant, interdum tamen lenta tabe conficiunt 196
Colliquationis ſubitariæ exemplũ 61
Colliquativo fluxui quæ conveniant 510. purgantia & adſtringentia nocent 511
Colonienſis puella araneos innoxiè vorat 81
Columbarum caro calidum generat ſanguinem, febricitantibus cur inimica, ſenibus & imbecillis unicè prodeſt 258
Columbarũ carnis noxæ & dotes 259

C. C.

Columbinum ſtercus purgantibus ab *Avenzoare* addictum 415
Confectio *Orfietana* 343
Conſultatio rerum humanarum diviniſſima 25
Contagium à putredine non dependet 52
Contagio purpura tripliciter communicatur 149
Contagium ipſos medicos quandoq; inficit 135
Contagium veteribus notum 135. cur ejus *Hippocrates* non meminerit *ibid.*
Contagium ut caveatur 305
Contrayervæ vires 335
Convulſionis imminentis ſigna 474
Convulſiones quid in morbis portendant 475
Convulſi qui pereant 473
Convulſis quæ auxilientur 476.
Convulſivi motus memorabile exemplum 473
Cor ſubjectum purpuræ 75. omnium ſenſoriorum commune ſenſorium 128. nullum grave vitium diu patitur 76. & 505
Corde affecto cur ſequantur inſignes corporis mutationes 128. & ſeq.
Cordis palpitationi obnoxij juvenes moriuntur 505
Cordis palpitatio aliquando critica 505
Cordis affecti in purpura ſigna *ibid.* virtus quibus refocilletur 446. & 507.
Cornu Cervi venenis reſiſtit 337
C. C. Sal volatilis & fixus 338. & ſeq.
C. C. phil: præparatum Pantzeri 339
C. C. gelatina 340. Cordis cervi os 342
C. C. magiſterium *ibid.*
Corrupti humores valida purgantia non ferunt 408. & 413
Coturnicum caro quare improbetur 260. innoxiè comeditur *ibid.*
Criſis in purpura fere mala, aut imperfecta 266. & ſeq.
Cryſtalli vires in diarrhœa 521
Cucumeres & melopepones ſæpe peſſimè corrumpuntur 44. 100. 124
Cucurbitula cum multa flamma vomitum ſiſtit 514
Cucurbitulæ venæſectionis loco adhibentur 393. quibus partibus admovendæ *ibid.* ſcapulis adhibitæ cordis tremorem, nuchæ oblivionem, inducere creduntur *ibid.*
Curatio purpuræ peſtisq; an à *Galeno* & *Hippocrate* tradita ſit 311. quo ordine fieri debeat 313
Cutis purpura eluctatis ex volis manuum & plantis pedum abſcedit 128
Cyprini unde dicti 281. quale nutrimentum exhibeant *ibid.*
Cyprinorum palatum venerem excitare dicitur 282

D.

DÆmones precibus & jejunio, non ſuffitibus, aut incantationibus, abiguntur 293
Decocta vox latina à *Græcis* uſurpata 432. *Neronis Romæ* familiaris *ibid.* ejus utilitas 436
Defluxiones malignæ partem vitæ ſenſuq; aliquando ſpoliant 219
Defluxionum malignarum exempla *ibid.* & 532
Defluxiones malignæ ut curandæ 532
Deglutitio læſa in purpuratis unde 186.

Deli-

Digitized by Google

D.

Deliria quomodo purpuræ malignitatem indicent 174. & *ſeq.* cum gravibus ſignis pejora *ibid.*
Delirij imminentis ſigna 464
Democrito curando *Hippocr: Abderam* vocatus 551
Democritus odore panis calentis triduum vitam ſuſtinuit 323. & 509
Deſperatio purpuratis vitanda 550
Deo nolente infelix curatio 551
Diaphoreticorum in purpura utilitas 326
Diaphoretica quando in purpura minus conveniant 354
Diæta quibus præſcribi poſſit 252
Diæta ægris obſervatu neceſſaria 537
Diætæ αὐθώεις 540
Διάχυσις Græcis quid ſignificet 551
Dij ex hominibus 25
Dipſade morſi valde ſitiunt 495
Divini homines qui dicti fuerint 25
Divini variæ ſignificationes 24
Divinum aeris conſtitutioni tribuitur *ibid.* maximè, quæ occultis qualitatibus agit *ibid.* cur talis conſtitutio cenſeatur divina 25 & 26.
Divina quæ proprie dicantur *ibid.*
Divina potentia duplex 116
Divina ira ut placanda 241. & 551
Dolor capitis in purpuratis unde 450. quid in febribus ſignificet *ibid.*
Dolor lomborum in purpuratis *ibid.* ut mitigetur 455
Dorycnium ſingultum facit 188
Druſus lento veneno ſublatus 88

E.

Elephas *Ægypti* vernaculus morbus 35
Elephantinum ſalſamentum *Cratetis* 288
Elixir propr: *Paracelſi* 308
Empedocles Agrigentinus ex flatu pernicioſo, *Selinuntios* fœtore fluvij, peſte correptos, reſtituit 243
Eudemij morbi qui 33
Enemata in purpura ſint leniora 317
Ennius de hariolis 116
Ephidroſis quid portendat 209
Epicuri laus 22
Epicuri ſententia de frugalitate 298
Epicurus de Venere quid ſenſerit 305
Epidemij morbi qui 34. & 106. levibus comitati ſymptomatis ſæpe periculoſi, & contra 26
Epilepſiam quæ tollant 478
Epileptici cur in paroxyſmo vulnerentur 475
Erroris proprij confeſſio maximis viris convenit 558
Ervum caput offendit, articulos diſſolvit 35
Εὐθυμίας ægri in purpura neceſſaria 550. quid præſtet 551. διάχυσις Græcis dicta *ibid.* quomodo morbo auxilietur *ibid.*
Evaporationes quædam tota agunt ſubſtantia 52. de iis *Lucretij* locus *ibid.*
Evaporationes morboſæ ſimilem affectum communicant 54. principii ſui naturam retinent 136. noſtri corporis continuæ *ibid.* & *ſeq.*
Euphorbij vires 40[illegible]
Exanthematum vox πολυώνυμος 19
Τὰ ἔξωθεν in curanda purpurá ut comparata eſſe debeant 537
Exoſſis qualem carnem habeat 25

Facies

Digitized by Google

F.

Facies humorum conſtitutionem indicat 220. purpuratorum qualis *ibid.* cur terribilis 221
Facies in acutis conſideranda *ibid.*
Facies *Hippocratica ibid.* & *ſeq.* deſcripta à *Lucretio* *ibid.*
Famis horrendæ exemplum 124
Fames peſtē purpuramq; generat 123
Fauciū ſqualor in purpuratis 495. eius ſqualori quæ ſint utilia 497
Febris definitio 47
Febres quædam ſpecie mites lethales 56. & 162. putridæ aliquando in malignas degenerant 72
Febris tertianæ malignæ exemplum 79.
Febrium typi à malignitate turbantur 79
Febres malignæ omnis generis dantur 89
Febres malignæ eædem cum purpuratis 145
Febres ὑγεμώδεας quas medici appellent, 199. & *ſeq.*
Ficedula optimum alimentum : in convivio *Trimalcionis* ovo pavonis in luſa & appoſita 160. tota ut comederetur digna æſtimata *ibid.*
Fœtor putredinis index 183. & 195
Fœtor anhelitus in purpuratis *ibid.*
Fœtor purpurā defunctorum gravis 130
Fonticuli tempore peſtis non ſanandi 202
Franciſci Philelphi opinio de lucio improbata 283
Frigidis, ut porcis, anima pro ſale data 97
Fructuum aere infecto natorum eſus ſuſpectus 298

G.

Fundoli in cibis ſaluberrimi 181
Fungi comeſi ſtrangulatus ſuſpendio ſimiles excitant 78. & 297. occultam malignitatem in corpore relinquunt 100

G.

Gagates ſonticum morbum quare deprehendat 477
Gagates & ſuccinum differunt *ibid.*
Gagatis virtus in cardiacis 508
Galeni ſcripta de febr: peſtil: natura & curatione non extant 39
Galenus in anima definienda varius 41. an anima ſit dubitat *ibid.* peſte affectos primis diebus unde cognoverit 163. 229. facto *Eudemo* prognoſticô maximam laudem acquiſivit 232
Galeni locus de victu pleno peſtilentium conciliatus 542
Galli cur & quomodo caſtrentur 255
Galli & gallinæ *Afræ* cur olim in majori pretio 255
Gallinæ cinere aut pulvere ſe lavant ut ſues cœno 210
Gallinarum caro qualis 254
Gallinæ quomodo opimæ & teneræ fiant *ibid.* nigræ ſtercus in peſte 415
Gangræna ex maligna defluxione 219
Garum antiquorum hodie ignotum 294. liquoris genus ex varius piſcibus paratum *ibid.*
Garum ſociorum, & pretioſam malorum piſcium ſaniem, cur dixerit *Seneca* 294. nobile, faſtoſum *Martialis* appellarit 295
Gari vitium alex 296. gari in cibis uſus 295. & *ſeq.* in medicina 296
Garum piperatum 295

Gaudio

Digitized by Google

G. H.

Gaudio nimio mortui 129

Gemes Turca tardo veneno ſublatus 88

Germaniæ præſens ſtatus 1

Gobiones littorales laudati à *Galeno* 280. fluviatiles delicati ſaporis 281

Gruum caro cujus nutrimenti 261

Grůndling 281

H.

HÆdina caro agninæ à medicis prælata 270

Hæmorrhoidum reſeratarum utilitas 391

Hæmorrhagia nulli purpuratorum fere ſalutaris 3. purpuratis familiaris 205. & 488

Hæmorrhagiam quædam venena excitant 205

Hæmorrhois ſerpentis virulentia *ibid.*

Harengorum caro bona, ob copiam vilior 282

Harengi an febrem generent *ibid.*

Harengus piſcium Rex *ibid.*

Harengi ſalliti morbos pellere dicuntur 283. infumati ſalmonis ſaporem mentiuntur *ibid.*

Harengorum recenter ſallitorum laus *ibid.*

Hectica maligna an detur 83. & *ſeq.* ea affecti morborum non ſentiunt *ibid.*

Helenium unde dictum 300

Helenæ Nepenthes oblivionem triſtitiæ afferebat *ibid.*

Helenij vis magna adverſus venena *ibid.*

Hercules ſeptico pharmaco induſio inuncto periit 45

Heroica virtus divina 25

Hippocrates parens medicinæ, à *Cicerone Æſculapio* comparatus, remedia in templo *Æſculapij* ſuſpenſa primus in codices digeſſit, elogiis celebratus 22. quæ de purpura ſcripſerit 23

Hippocrates divino ingenio præditus 25

Hippocratis θεῖον & variæ de eo ſententiæ 24

Hippocrati calidum innatum ἀθάνατον atq; ipſa anima eſt 41

Hippocrates decem talentis *Abderam* vocatus 151. pulſuum notitiam habuit 163, itemq; contagij 136. cur contagij non meminerit *ibid.* vulgaria ſcribere noluit *ibid.* igne peſtem depulit 229. venæſectionis in peſte non meminit 376. per poculenta quid intelligat 444

Hircinæ carnes ſucci improbi 270

Hirudinum noxæ, commoda 397

Hirudines quando adhibendæ 398

Horror in malignis febribus unde 358

Humores ſtato tempore moventur 92

Hypochondria ſubjectorum viſcerum conſtitutionem indicant 223 quæ bona aut mala 224

Hydrophobia ſæpe diu latet 91. ſponte aliquando generatur 99

Hydrops ex colliquatione 192. ut ab aliis hydropis ſpecieb⁹ differat 527

Hyſtericis ſummè fœtida nocent 476

I.

IAchenis ſacerdotes ut peſtem miraculoſe abegiſſe credantur 249

Ichores copioſi unde generentur 218 alij mites, alij acres & maligni 217

Icterus in oculis præcipue obſervatur 528. unde naſcatur in aliis morbis *ibid.* aliquando criticus *ibid.* ante ſepti-

I. L.

ſeptimum diem aliquando ſalutaris 524

Icterus aliquando à veneno, vipera, ſudore animalium, rubetis *ibid.*

Ictero ſudorifera proſunt 515

Idioſyncraſiæ mira vis 81

Idioſyncraſia adverſus purpuram & venena corpora aliquando firmat *ibid.* ejus inſigne exemplum

Idiotæ qui dicantur 252. ſoli diætam obſervare poſſunt *ibid.*

Jejunare in peſte malum *ibid.*

Jejunis anguium ictus, ut & rabidi canis morſus, magis nocet *ibid.*

Ignis non putreſcit 107. aeris humiditatem abſumit 242. præſertim ex lignis ſiccis paratus *ibid.* aeris inquinamenta diſcutit 249. & 537

Igne accenſo *Hippocrates Athenas* peſte liberavit 249 infecta loca ab authore luſtrata *ibid.*

Ignis ex aromaticis lignis accenſus id potentius agit 250. ex putridis lignis noxius 537.

Imaginatio in melancholicis & timidis potentius operatur 133. & *ſeq.* ſubjectum peſtilentis veneni *Paracelſo* 134. inficit Lunam, venenum peſtilens generat, in aliud corpus agit eodem authore *ibid.*

Imaginatio cur non agat in aliud corpus 134

Imaginationes ſunt ſpecies rerum abſq; materia 127

Imaginatione multa homines & beſtiæ agunt *ibid.*

Imaginatio quomodo tanta operetur 128. an reales & ſimiles imaginatæ rei effectus producat 131

Imaginationis in gravidis, ipſaq; conceptione, vis *ibid.*

Imaginatio quomodo ſimiles affectus in fœtu, imò in eodem corpore, exciset 132

Imaginatio in morbo & ſomno multa agit 133

Imaginationes debent eſſe fortiores & quomodo fiant fortiores *ibid.*

Indorum medicorum & agyrtarum in prædicendo inſcitia 232

Intellectus humani imbecillitas 57 67

Incantationum vanitas arguitur 293

Johannes Epiſcopus Lubecenſis litterarum Mæcenas magnus 341

Johannis Rantzovij Equitis *Holſati* vilica in febre maligna cæcutit 179

Ira fœmina malignæ febris accendit 304. venenum ad cor traducit 549. quomodo ſanguinem & humores intro trahere dicatur 550. ſanguinem ad caput rapit *ibid.*

Judicium in medicina difficile 441

Jura in nutriendis ægris carnibus præferuntur 443. & 547

L.

Lachryma cervi ut generetur 340

Lachryma cervi, ſordes oculorum & lapis eadem ſunt 341

Lampetræ unde dictæ 285. alimentum lentum, glutinoſum, pingue, præſertim inſumatæ, præbent *ibid.*

Lapidibus aliquando pluit 121

Lapides quomodo in aere generentur 122. inſignis magnitudinis cælo dejecti 121. fulminares unde figuram accipiant 122

Laudanum opiatum *Nepenthes Zwingero* dictum 461. hæmorrhagiis unice prodeſt *ibid.* ſingultum ſiſtit 517. vomitum cohibet 514

Lenientia majori quantitate non danda 310

Lepus

Iecur Canis rabidi comestum ab eo demorsos iuvat. fol. 359

L.

Lepus marinus pulmonib' noxius 74
Lepus quaſi levipes *Iſidoro*, antiqua vox *Græca* eſt, ſanguinem gignit craſſiorem. 271
Leporis junioris caro laudata *ibid.* pulchritudinem facere dicitur *ibid.* armi expetiti ſapientibus 272
Lepus fœcundiſſimus *ibid.*
Linguæ ſcabrities quib' tollatur 469
Linquentem animum quæ reſiciant 505
Lipothymia quæ periculoſior *ibid.*
Lipothymię ocius ſubveniendum 507
Locorum mutatio in peſte utiliſſima 250
Lotio manuum & pedum, qua & facies vaporari poteſt, in vigiliis prodeſt 458
Lubeca Hanſæ caput, ejus ſitus & loci commoditas 245
Lubecenſes aquæ ut fœdè corrumpantur *ibid.*
Lucius quibusdam lupus dictus 283 an lupus veterum *ibid.* & *ſeq.* minus æſtimatus in quibusdam locis 284
Lues veneria omnibus morbus conjungi poteſt 68
Lumborum dolor in purpuratis 181
Lumbrici in principio, medio ac fine, purpuræ quid ſignificent 199
Lupus olim in maximo pretio apud *Romanos* 284. *Tyberinus* inter pontes captus, aliis prelatus *ibid.* catillo cur vocatus *ibid.*
Luxuria exprobrata 253

M.

MAculæ purpuratæ an deſcriptæ ſint ab *Hippocrate* 16. & *ſeq.* à *Galeno*, 18. & *ſeq.* *Herodoto* 18. ab *Actuario* adumbratæ 19. ab *Avicenna* nomine boſhor, à *Rhaſe* nomine *Alchateba* deſcriptæ 21. cur pulicum morſibus aſſimilentur, cur lenticulis 20. ab exanthematis culicum morſibus ſimilibus differunt 210. à Rubeolâ *ibid.* à Roſaliâ, ab aliis maculis 212
Maculæ purpuratæ ſanguinem venenatum ac maximè corruptum arguunt 212. per ἐκχύμωσιν & ῥαυσίμωσιν τῶν βλεβῶν generantur 213. raro perfectè liberant *ibid.*
Magnes tota ſubſtantia ferrum trahit 63
Malignus idem quod mali moris 7. magnus ac periculoſus 9. lethalis 10. ſterilis 10
Maligna lux, i.e. dubia *ibid.*
Malignus idem quod iniquus & alienus [illegible] 11
Maligni aditus i.e. difficiles *ibid.*
Marſi & *Pſylli* innoxiè utuntur venenis 81
Medicinæ infantia balbutienti ſimilis exiſtimata 28
Medicorum diſſenſiones medicis infames, ægro funeſtæ 6
Medicus ſit φιλάνθρωπος 239
Medici promiſſores taxantur 238
Medicis optimis ſimilitudines, quandoq; imponunt 158
Medici cur in purpura ſæpe fallantur 157. raro ad ægros ſepentrionales vocantur 160. *Galeno* coevi in peſtis cognitione falſi 56
Medicus gubernatori navis comparatus 231. aeris, aquarum, locorum, conſtitutionem noviſſe debet 245
Medico ſæpe infelix morbi eventus temerè imputatur 344

M.

Medicaſtrorum magnæ pollicitationes, fraudes 333. & ſeq. comparatæ *Pythagoræ* commentis, oraculorum reſponſis 334
Medicamentis expertis utendum 478
Medicamentorum quorundam laudes nimiæ *ibid.*
Medicamenta corrupta febres malignas interdum generant 125
Meibomius celebratus 333
Mella *Heracleæ* pernicioſa, quibus apes paſtæ nil detrimenti accipiunt 51
Membrorum laſſitudo purpuratis frequens 188. inquies ; ἀλυσμὸς *Græcis* dicta 181
Menſa ſecunda in ſtomacho debili corrumpitur 298
Mercurius dulcis 417. verminoſis prodeſt. 522
Minadous refellitur 21, 30
Miſtura ſimplex febribus malignis utiſis 430
Mithridatium veneno ſerpentum theriacâ minus reſiſtit 399
Mithridatij diverſæ compoſitiones *ibid.*
Mœror corpora ad purpuram diſponit 304
Montani ſententia examinata 36
Mora ſæpe peſſimè corrumpuntur 39
Morbi incogniti aliquando emergunt 13
Morbi quidam ad has aut illas tempeſtates bene aut male habent 26
Morbi quidam à Deo immittuntur 27. ut & à Diabolo 28
Morbi majorum in poſteros propagantur, quibus tamen nepotes ac filij carnere 100
Morbi authoramenta peccatorum 1 & 90. ſupplicia luxuriæ 1
Morbi totius ſubſtantiæ dantur 39. & ſeq.
Morbi mos attendendus 56
Morbis παραλόγως ceſſantibus non fidendum, nec ſi unum grave ſymptoma perſtet, cæteris vaneſcentibus 237
Morborum exitus & longitudo noſcenda 238
Morbum aliquando augere aut innovare circumſpecti medici eſt 431
Moriendi neceſſitas naturalis 116
Motus quomodo corpora ad recipiendam purpuram diſponat 126
Mulli qui meliores 277. hepar & caput olim in pretio 275. hepar garo tabefactum 277. Mulli grandiores à *Galeno* damnati *ibid.*
Muræna gravida melior 275
Muſcâ peſtis depulſa 304
Mus araneus putrefactione occidit 45

N.

Napellus ſturnis cibus 51
Naſturtium unde dictum 470 mentem acuit *ibid.*
Natura in perpetuo motu 116
Naturæ admirandæ vis 171. & ſeq.
Nepenthes *Helenæ* 300
Neronis decocta *Romæ* familiaris, ſimplici frigida magis refrigerat 432
Neronis oxyporium 513
Nux vomica homini alexipharmaca, canibus vulpibusq; venenoſa 51
Nux juglans venenis adverſatur 309

O.

Oblivio cunctarum rerum & proprij nominis in peſte *Attica* obſervata 176

Occa-

O.

Occaſio præceps 235. 311
Oculi purpuratorum torvum tuentur, aut inflammantur 178. interdum flaceſcunt, caligant 179
Odoratus in purpura læditur 213
Opiata in cephalalgia vix adhibenda 454. quomodo dolorem levent *ibid.* ſomnum concilient 460. & *ſeq.*
Opium ut veteres correxerint 461
Opiatis in ſenibus, pueris, debilibus & imminente criſi abſtinendũ 462
Opiatorum in pleuritide maligna uſus 502. vid. pl: Laud. Opiati
Oſtracoderma quando meliora 291
Oſtracoderma quę dicantur 289. qualem nutrimentum exhibeant *ibid.*
Oſtreæ qualis ſint cibus 289
Oſtrearũ apud antiquos dignitas 290
Oſtreæ crudæ comeduntur 290. coctæ meliores, ſtomacho idoneæ, alvum ſolvunt, facile vitiantur *ibid.*
Oſtrearum dotes in medicina 291
Oſtreæ cur à *Seneca* improbentur *ibid.*
Ova gallinarum meliora, quæ cum gallis degunt 262. anſerum & anatum damnata *ibid.*
Ova ſequuntur naturam animalium unde edita *ibid.* recentia præferuntur 263, ſorbilia, tremula, elixa aſſa, frixa, ſuffocata cujus nutrimenti *ibid.*
Ovi vitellus albumine melior *ibid.* optimum ſanguinem generat 254
Ovi vitelli an refrigerent *ib.* ex accidenti calorem temperant *ibid.*
Ovi vitellum cur frigidum dixerit *Ariſtoteles* 265
Ovorum in alendo præſtantia 546
Ovorum recenter editorum adhuc calentium laus *ibid.*
Ovium caro κακόχυμος 270

P.

PAlombi caro qualis 259. veneri adverſari creditur *ibid.*
Palpitationem cordis quę tollant 506
Pandemii morbi non differunt ab edemiis 35
Paracelſi de imaginationis viribus deliramenta 134
Paralyſis fortiſſima requirit purgantia 338
Paradoxa morborum converſio infida 237
Parodites generantur ob ἔρευξιν venarum, aut humorum copiam 486 in declinatione aſſimilatæ *Caſtori* & *Polluci ibid.*
Parotides quæ laudabiles aut malæ 487
Parotidibus adhibenda *ibid.*
Partus cæſarei feræ ſuis exemplũ 270
Paſſeris volucris caro 260. piſcis, tenera & ſuavis 280
Pavore, gravi perculſus litterarum oblitus 129. quidam una nocte incanuit *ibid.* alij ſubito periere *ibid.* paralyticus illico convaluit *ibid.* quidam peſte infecti 130. & 304.
Pavonis caro dura 255. cur in pretio olim fuerit 255
Peccatorum ſtipendia morbi 90
Percarum dignitas 280
Perdicum caro ſuaviſſima 254
Perſina nigra albam filiam peperit 131
Peſtis unde dicatur 15. nullius certi morbi nomen *Gal.* 70. morborum nomine interdum appellatur *ibid.* cur πορφόρος θεὸς dicatur 72. *ab-*

P.

ρος θάνατος *Philoni* 67. manus Dei 28. interdum ſporadica 35. Peſtis ab aëre pravo, victu 35. & 120. veneficio introducta 60

Peſtilentes febres privatæ quæ 15

Peſtis interdum abſq; febri 47

Peſtis cum jactura membrorum 219 in ſummos digitos graſſata 51. cum anthrace in oculo *ibid.*

Peſtilens colica *ibid.*

Peſtis interdum certo animalium generi certiſq; partibus adverſa 51

Ad peſtis generationem peculiaris corruptio requiritur 137

Peſtem aliorum animalium mortes plerumq; antecedunt 154. boum in noſtra, mulorum & canum in *Græca* apud *Homerum* *ibid.*

Peſtis repentino pavore, in ſomniis, oborta 130 & 233

Peſtis invicta remediis quomodo ab *Hippocrate* dicatur curata 234

Phaſianorum ova & caro optima 262. 255.

Philantropia in medico requiritur 239

Philoſophia prima balbutienti ſimilis 22

Phrenitis gravibus conjuncta ſymptomatis periculoſior 464

Phreneticorum languentium deſcritio 465. conclave quale eſſe debeat 467

Phrenetici cur pictoris facile commoveantur 468

Pilulæ *Ruffi* à peſte præſervant 308

Piſces pro alimentorum, temporis anni, ætatis, membrorum, ſexus, generum, diverſitate variant 273. & *ſeq.*

Piſces qui alimento leviores 274. pelagici cur à medicis, littorales cur ab Ariſtotele, commendati 273 & *ſeq.*

Piſcis quivis humana carne delectatur 231

Piſces in cœnoſis locis degentes pravi 246. & 274

Piſces in ipſis cœnaculis *Romanorum* 459

Piſcium præparatio ut fieri debeat 292

Pleuritidis malignæ epidemiæ exempla 499

Pleuritidi malignæ dulcia cur noceant, acida vero proſint 503

Plinius de abortus facilitate 152

Pluviæ tribus modis copioſæ fiunt, og lapidum, ſanguinis, lactis, portentoſæ 123

Πνεῦμα ἄπνουν καὶ θολερὸν 132

Porcelli lactentis caro qualis 267. aſſa laudatur *ibid.*

Porcinæ carnes ab authoribus celebratæ 266

Potus purpuratorum 548

Prevotius medicus *Patavinus* celeberrimus 426

Prodicus febrientes qua ratione interfecerit 349

Prognoſis quomodo inſtituenda 238 & *ſeq.* ſcitu medico neceſſaria 132 qua *Galenus* magnam gloriam conſecutus *ibid.* In prognoſi facienda cautus ſit medicus 236 cur in prognoſi medicus aliquando aberret *ibid.*

Πρόσωπον νεκρῶδες in purpura 128

Προσώπου διαφθορὰν qui facile patiantur 212

Pullorum caro quò tenerior eò minus nutrit 254

Pul-

P.

Pulſus doctrina tempore *Hippocratis* inexculta 163
Pulſus naturalium fere ſimiles in purpura peſteq; cur aliquando obſerventur 170. in purpura varij 167
Purgatio an purpuratis conferat 405. ſanis nocet 409. quando fieri debeat 410. non ſemper præparationem prærequirit 388. in purpura levior eſſe debet 414
Purpuræ epidemiæ hiſtoria 1. variæ appellationes 11. & 12
Purpura an morbus novus 12
Purpuræ antiquitas 14. & *ſeq.* eſſentia an in putredine poſita 37. calor levis, ſæpe nullus 47. 56. 161. præſertim in pituitoſis, & remota à corde minera 74
Purpura novis ſymptomatis aliquando invadit 31
Purpurati principio vix ægrotare ſibi videntur 159
Purpura aliquando medicos fallit 157
Purpura interdum privata 35
Purpuræ malignitas quomodo cognoſcatur 68
Purpura contagioſa eſt 52. 149. peſte minus ſæva 52. maximè ſanos tollit 49. & ad ſanguinem analogiam potiſſimùm habet 147
Purpura in ſpeciem lenis re vera gravis 55. 60. 92. 142. 146.
Purpuræ eſſentia venenata 57. ſed veneni purpurati eſſentia ſpecifica nobis ignota 67. Purpuræ venenum ſepticum eſt 71. & ſecundis itemq; tertiis qualitatibus agit 74. Purpura omnibus morbis conjungitur 68. & 150. atq; omnis generis febres admittit 147
Purpuræ ſymptomata variant pro diverſitate corruptæ materiæ, loci varietate & corruptionis modo 69. 92. & *ſeq.*
Purpuræ venenum fere lentum eſt 88. & aliquandiu latet 91. ſed ſubito erumpit 91 161. 174.
Purpura defunctorum corpora poſt mortem intumeſcunt, maculantur & citiſſimè putreſcunt 228. & *ſeq.*
Purpura cur ſolito difficili⁹ aliquando curetur 63
Purpuræ definitio 90. cauſſa interna *ibid.* cauſſæ externæ, aer, contagium, 149, cibus pravus, corruptus 123. & *ſeq.* potus conſimilis 125. vina fortia, medicamenta exoleta *ibid.*
Purpura ex viſceribus male affectis *ibid.* omnes humores corrumpere poteſt 93. aliquando ſymptomatica eſt 95. & 148
Purpuræ alexipharmaca eadem non omni tempore proſunt *ibid.*
Purpura & peſtis quomodo differant 143
Purpuratæ febres à ſcorbuticis ut differant 144
Purpuratarum & malignarum impropriè dictarum differentia 145
Purpuratæ febres eædem cum malignis in ſpecie febribus *ibid.* à putridis diſcernuntur 146
Purpuræ inſtantis ſigna ſcitu neceſſaria 151. accipiuntur ex aere ab aſtris, aut alias, alterato *ibid.* ex aeris ὑπηχχάνι τοι, abortus crebritate 152. aquarum inundatione corruptione, piſcibus mortuis 153. terræ motu, ſerpentum, rubetarum, murium copia, horumque in alia loca

P.

loca migratione 154. aliorum animalium peſtilentia, pravorum alimentorum uſu 155. vicinorum locorum infectione *ibid.*

Purpuræ præſentis ſigna 159. & *ſeq.* præteritæ ſigna 225

purpura quomodo caveri poſſit 240 in purpuræ præſervatione validioribus purgantibus non utendum 307

Purpura ſolo robore naturę aliquando curatur, ſed fere labem aliquam relinquit 335

Purpuræ curatio dilata difficilior 334

Purpuræ peſtisq; curatio à *Galeno* & *Hippocrate* tradita non extat 311

Purpuræ indicationes 311. curatio 312 diæta 536

Purpuræ peſtisque alexipharmacum verum ignotum 333

Putredo communis mixtorum paſſio 50. corruptionem interdum antecedit 72. interdum ſequitur 73, ſordida fœtorem conjunctum habet 48

Putredinis Græca vox πλύσμος 43, pro coctione, generatione, carie, vera putredine, corruptione, quæ venenum æmulator, accipitur *ibid.*

Putrida prompte exhalant 52 & 97

Putreſcunt omnia excepto igne 86

Putreſcunt quæq; calore externo 47 & 48

Putrefacientia remedia ex Aſpide 45

Putrefactio membrorum ex morſu ſerpentis regij 44

Purgantia fortiora nec in præſervatione, nec in curatione, purpuræ proſunt 307. 415

Q. R.

Qualitates manifeſtæ & occultæ unde dictæ 39. occultæ cur novæ vocentur *ibid.* an à cælo fluant 41, manifeſtæ ab occultis à *Galeno* diſtinctæ 42

Qualitates omnes à forma dependent 41. de qualitatibus occultis ſcripſit *Galenus* 43

Qualitatis corporis mutatæ ſignum purpuræ præbent 220

Quietis utilitas 307. nimiæ noxa

Quies cardiacis neceſſaria 311. purpuratis utilis 539

R.

Recidiva in purpura frequens 419

Refrigerantium ſeries enarrata 440. & *ſeq.*

Remedia fere tardiora quàm mala 420

Refrigerantia copioſa in principio purpuræ vitentur 496. fortiora in dolore capitis non apponenda 412

Rerum cognitio cur difficilior ſit 57

Reſpiratio in purpura difficilis 182, turbida, frigida, fœtida 153

Rhaſes de victu pleno purpuratorum conciliatus 543

Rhombus phaſianus aquatilis 280. planorum piſcium præcipuus *ibid.*

Rigor unde naſcatur 158, rariſſimus in purpuratis *ibid.*

Romanarum cloacarum ſtructura 244

Romanorum in ſtruendis aquæductibus, cloacis, viis publicis, magnificentia 248

Rubetarum venenum 326. quomodo illud agyrtæ innoxiè accipiant *ibid.*

Ruſticulæ encomium 251

Salaman-

Digitized by Google

S.

Salamandræ virus deſluvium capillorum excitat 228
Sal: ignea vis, coquendi vim habet 283
Sale teneriores carnes liquantur 288
Sales volatiles herbarum 338
Salſamenta *Arctois* populis familiaria 288. cujus nutrimenti ſint *ibid.* & *ſeq.*
Salſamentum elephantinum 289
Salſa non nutriunt 288
Salmonis deſcriptio *Auſoniana* 279, encomium *ibid.* Salmo ignotus veteribus *ibid.* quale nutrimentum præbeat *ibid.*
Salmo ſallitus ac paſſus 280
Salus ægri ſuprema lex medici 448
Sanguis coagulatus venenatus 73
Sanguine taurino mortuus *Themiſtocles* *ibid.*
Sanguinis pluviæ prodigioſæ exempla 121. & 123
Sanguinis ſubſtillum fere malum 106
Sanguinis ſtillæ quæ malæ aut bonæ 397
Sanguinis miſſio in plethoricis pro præſervatione purpuræ cautè adminiſtranda 306. in curatione fere noxia 390
Sanguinis tuſſis in purpura quæ mala aut bona 397
Saracenis quando licitum ſit vinum bibere 508
Sarſa parilla doloribus ex lue venereâ medetur 330. qui ea primùm intendantur *ibid.* Sarſa alexiteria eſt, & variis morbis adhibetur 336
Scabies tempore peſtis non ſananda 302
Σκαλώπας *Ariſtotelis*, noſtris Schnepffe 261

S.

Scarifatio crurum *Oribaſij, Ægyptiorum, Galeni*, in peſte 394
Scarus olim nobiliſſimus piſcium 278 viſceribus laudatus, cur vilis *Martiali* *ibid.*
Schaidfiſch / Silurus veterum 288
Schmerling 281
Scolymus carduus eſculentus 297
Scombri cur ſocij dicti 294. ad garum electi *ibid.*
Scorbuti malignitas 218
Scorbutus ſtomacace & ſcelotyrbe *Plinij*, 33. *Balthicis* maris adſitis populis endemius, *ibid.* omnibus morbis conjungi poteſt 68
Scorpio in corpore generatus 95
Scorpionum oleum vomitu venenum expellit 415
Scripta commentarij obliviofæ ſenectutis 9
Scythicus vultus *Hippocrati* quid ſignificet 221
Semen ſanguisq; menſtruus ſæpe in venenum vertuntur 101. 148
Sepis ſerpentis noxæ 45
Septica impropriè ſic dicuntur *ibid.*
Septica ex aſpide *ibid.*
Serpentes, ſibilo, noxiis vaporibus & ſpiritali veneno vicina contaminant 54. cur igneæ dictæ 72. ſerpentini ſanguinis cujuſdam mira vis 218
Seri lactis in febribus uſus 439. ejuſdem noxa *ibid.* Serum lactis quomodo parandum *ibid.* Serum lactis deſtillatum *ibid.*
Signa naſcentium morborum obſcuriora 158. in purpura eadem non ubiq; apparent 156. 225. pathognomonica omnia diligenter conſideranda 157. venenatorum morbo-

S. S.

rum doctis ſolùm cognita. *ibid.*
Signa purpuræ inſtantis 151
Signa purpuræ à calore 159
Signa vitalis facultatis in purpura affectæ 164. actionum animalium læſarum 174. naturalis facultatis alteratæ 184. Signa ab excretis accepta 189. à qualitatibus mutatis 210. à purpura populatim graſſante, & ægri eum infecto commercio 214
Signa purpuræ præteritæ, 225, ſola purpuram demonſtrare nequeunt 230. cur purpurâ defunctis non ſemper adſint 231
Signa purpuræ prognoſtica 231. & ſeq.
Silanus aerem refrigerat 241. & 539. ſomnum provocat 459. in cœnaculis *Romanorum* *ibid.*
Silurus non eſt ſturio 286. & *ſeq.* Siluri elegans deſcriptio ex *Auſonio* 287. Silurus quomodo capiatur *ibid.* Silurus quaſi σείουρος dictus *ibid.* carne eſt dulci & lauta *ibid.*
Singultus in purpura 187. ex vulnerato cerebro, oſſibus fractis, ſyderatione calcis, veneno, accidit *ibid.*
Singultuoſa febris quæ *Hippocrati* *ibid.*
Singultus aliquando criticus nec malus 514. gravibus conjunctus ſymptomatis periculoſior *ibid.* in purpura ut curandus 515
Singultus immoderati ultimum auxilium 517
Sitis in purpuratis ut malignitatem indicet 185. cur παρεγκλόγως interdum ceſſet *ibid.*
Siti adducti in peſte *Attica* ſe in puteos præcipitarunt *ibid.*
Sitis aere frigido, ore clauſo, mitigatur 496
Smaragdus venenis medetur 357. is tamen naturæ noſtræ aliquo modo adverſari creditur 357. & 520
Socratis & *Platonis* domicilium cur dictum Φροντιστήριον 472
Sol quomodo peſtilentiam excitet 113
Solearum caro optima 280
Somni definitio 456. utilitas & noxa 301. & 469. 459
Somnus muſica, leni aquarum ſonitu invitatur 459. Somni conciliandi alia remedia *ibid.* & *ſeq.*
Somnus ſimulatus ex debilitate virium & humorum ad oculos defluxu interdum naſcitur 178
Somnus altus ſæpe perfectam criſin ſequitur 469
Somnia jucunda beneficio medicamentorum 177
Sophocles gaudio ſubitario mortuus 119
Sopor purpuræ malignitatem indicat 176. unde in purpuratis 175. & 468. ab aſpidis veneno 176. ab aliis venenis 177
Soporoſi affectus capiti diu impreſſi hærent 176
Sopor in principio & augmento morbi, aliis gravibus ſignis concurrentibus, malus 469
Soporis remedia 470
Spiritus aliquando putreſcunt & corrumpuntur 86
Spiritus herbarum inflammabiles 337 alexiterij. *ibid.* eorum fœtor ut tollatur *ibid.*
Sporadici morbi qui 32
Sporades ſtellæ, inſulæ 33

Spo-

Digitized by Google

S.

Sporadici morbi aliquando fiunt epidemij *ibid.*
Sputa quæ laudabilia ſint 500
Stercus canis mundandis faucibus utile 492. calori tollendo fruſtra datur *ibid.*
Σῖτος aliquando metonymicè uſurpatur 188. aliquando ſynecdochicè 189
Sternutatio cur pro numine habita. 25
Stockfiſch 289
Sturio, acipenſis, elops dictus 285. tibiis ac coronis circumferri ſolitus *ibid.* à *Cicerone* celebratus & *Athenæo*: non eſt Silurus veterum 286.
Sturionis & Siluri differentia *ibid.* & *ſeq.*
Sturio ſuillus quare dictus *ibid.*
Sturionis caro dura, viſcida 288
Suada *Athenienſium* Dea 159
Succini magiſterium, ſal, oleum 342
Succinum & Gagates differunt 477
Succinum bituminis genus 477. an ſonticum morbũ deprehendat *ibid.* epilepticis & hyſtericis utile 478
Sudores copioſi 207. & *ſeq.* colliquativi 280. pauci 209. fœtidi unde *ibid.* ab antiquis in peſtilentibus febribus laudati 317. qui admodum utiles in illis 426, malignum calorem evocant 427
Sudor S.V. accenſi vapore cietur 369. quibus provocetur 340, ne ſit nimius 349. 351. 427.
Sudoris immodici coacti exempla an 394
Sudanti ægro quæ fieri debeant 350
Sudore finito quæ facienda *ibid.*
Suecici belli gravitas 5. ex ſtatuum Imperij diſcordia *ibid.*

T.

Suffumigiorum in peſte utilitas 321. & 369. magna vis *ibid.* varius uſus apud antiquos 323. recentiores 324.
Suffumigia non debent fieri ex rebus venenatis 369, fœtidis, in maximè debilibus 370
Suilla caro optimè nutrit, carni humanæ ſimilis, privatis imbecillis non convenit 266. fumo modice durata laudatur 267. de ſuilla perna ænigma *Sympoſij* *ibid.*
Suilla caro popinæ maxime ſervit 258
Suibus anima data pro ſale *ibid.*
Suilli hepatis, vulvæ, apud *Romanos* honos 269
Sulphuris flores, cryſtalli, balſam⁹ 342
Sulphur venenum ex alto trahit 367
Surditas purpuratis unde 480, in principiis febrium, ut & aliis pravis ſymptomatis præſentibus, item quæ poſt criſin accidit, mala 481. interdũ bona, criſinq; præcedit *ib.*
Sycamina aliquando pravè corrumpuntur 100
Symptomatum purpuræ varietas unde 156
Symptomata etiam minima purpuræ malignitatem monſtrare ſolent 157 ſi παραλόγως evaneſcant, mala 236. & *ſeq.* quando propriam curationem deſiderent 449
Syrupus de toto citro *Prevotij* 422. contrayervæ 423
Syderatæ partes ut tractandæ 533

T.

TAurina caro dura & exucca 270
Temporis opportunitas anima curationis 157
Temporum mutationes morbos pariunt 207

T.

Terræ motu *Hornhuſini* fontes mutarunt ſaporem 114. Terræ motus inſtantis ſigna 113
Teſtium gallinaceorum laus 271
Teſtes cæteri cur improbentur 270 & ſeq.
Teſtes arietini monachis *Italis* in deliciis 271
Tetraonis caro qualis 257
Tetrao *Athenæo* τέτραξ 256
Thales quomodo muſica peſtem ſedaverit 304
Theophilus medicus 482
θείου *Hippocratis* variæ ſignificationes 24
θεῖον interdum pro aëris conſtitutione, quæ occultis qualitatibus afficit *ibid.* cur talis dicatur divina 25. & ſeq
θεῖα quæ proprie dicantur *ibid.*
θεῖον morbis totius ſubſtantiæ à quibusdam tribuitur 27
Theriaca tota ſubſtantia agit 26, ejus in peſte & purpura maxima vis 61. & 345
Theriaca non in morbis ſolùm ſed & ſanitatis tempore exhibetur 354 ea *Antoninus* Imperator quotidie uſus 355
Theriacam ſanis non convenire dixit *Avicenna* *ibid.*
Theriaca ratione opij, vitrioli ac carnis viperinæ, venenata dici nequit 360. tota ſubſtantia cordi familiaris 359. ex *Mithridatio* nata *ibid.*
Theriaca recens in enormi vomitu 514. in alvi nimio fluxu, utilis 520
Theriacæ incorruptæ ſignum *ibid.*
θηριώδεις febres quas medici vocent 198

V.

θηριώδης autumnus cur dicatur *ib.*
θηρίον quid ſignificet 198
Thoraci olim manus impoſita ad explorandum calorem 163
Thunnus 285
Toxicum bibitum ſtuporem toto vitæ tempore relinquit 22. 463
Tremor qui perniciosus 375. 479. aliquando criticus 480, malignis febribus familiaris 479
Trojanus porcus 269
Fructuum nobilitas 279
Tumor univerſi corporis in purpuratis 525. ex bupreſtis, rubetarum, veneno 526. ut curetur 527
Vacuationes nimię aut ſuppreſſę purpuræ obnoxios re'dunt 327
Vnukenſis aqua ſaluberrima 245. peſſimè corrumpitur *ibid.*
Varronis laus 335
Varro qua ratione comites ſuos à peſte præſervarit 258
Venarum ἀναστόμωσις 215
Venęſectionis in febribus utilitas 370
Venæſectionem in purpura quæ ſuadeant 371, quæ diſſuadeant 372. & ſeq. ea pleriq; purpurati mortui 375
Venæſectio in purpura quando conveniat 383. an illa, an vero alexipharmarmaca, præponenda 385. an apparentib⁹ petęchiis facienda *ib.*
Venarum hypoglottidum ſectio ſæpe periculoſa 392
Venena quomodo in homine generentur 98 & ſeq. totius ſubſtantiæ ratione operantur 39. 50. 97. 99. interdum manifeſtas qualitates conjunctas habent 40. eorum operationes potentiſſimæ *ibid.* & 64. certo animalium generi aliquando nocens 50

Digitized by Google

V.

Venenorum intus genitorum & foris advenientium ſimilitudo 59. & 60.

Venena quædam primario, quædam ſecundario, cor afficiunt 77. mora invaleſcunt 49. diu in nobis latent 80. 91. & ſeq. quibusdam individuis non nocent 81

Venenum *Colchicum* ephemerum 83

Venena quædam lentè ægros conficiunt 88. interdum certo tempore moventur 92. accedente putredine in actū ducuntur 97. an in homine generari poſſint 98. & ſeq. venenorum conditorum finis ex *Plinio* 99. an neceſſario per putredinem generentur, 101. diu impreſſum characterem aut alios graves morbos poſt ſe relinquunt 22. quemadmodum purpurati veneni veſtigia diu indeleta hærent 419. recidivam paritura *ibid.* venena & vacuari & alterari deſiderant 440

Venenati homines aliquando redduntur 99

Veneno ſublata corpora verſicoloribus maculis pinguntur 212, horum nulla certa indicia ex cadaverum inſpectione peti queunt 213

Venena quomodo venenorum interdū ſint remedia 359. & 363. conſuetudine innoxia, & quibusdam individuis 362. & ſeq. quomodo foras trahantur 364. & 369

Venenatorum animalium partes non omnes venenoſæ 368

Ventriculi immodicus calor naturalem diſſolvit 512

Ventriculo infirmo quæ auxilientur *ibid.* cur ejus orificio cordialia apponantur 500; ejus noxa pectori tribuitur 188

Venus crebra corpora, ad purpuram diſponit. 27. 80. & 300 ejus uſum quomodo *Epicurus* damnarit 103

Venus quæ ſalutaris *ibid.*

Ventus eſt motus aer *Plinio* 241. permutat naturam ſuam cum ſitu locorum 109, aeri quid præſtet 242

Vermes in purpura frequentes 198. unde πυρέτους θηριώδεις & τ θενόπυρον θηριώδες quidam dixere *ib.*

Victus quid ſignificet 537. pravus purpuram generat 124. 155. qui ſanis nocet, & ægris eò magis funeſtus 536. ut *Philonis* filiæ intempeſtive cœnanti mortem attulerit 537

Victus ratio duos ſcopos reſpicit, morbi ſtatum & ægri vires 539. & 144.

Victum pleniorem in purpuratis quæ ſuadeant 539. quæ tenuiorem 540

Victus plenioris incommoda 541. tenuioris damna 543. hunc *Arabes* non ferunt 544. qui proprie tenuis dicatur 547. cur paulo plenior in purpura concedatur 544

Vigiliæ cauſſa & ſignum delirij 175. 456. quomodo malignitatem purpuræ indicent 175

Vigiliarum noxa & utilitas 301. remedia intus & foris uſurpanda 457 item balneum, colloquia grata, muſica, aquæ fluentis ſtrepitus *ib.* & *ſeq.* lecti ſuſpenſi motus, fatigatio oculorum 459. narcotica 461

Villa quas partes ſpectare debeat 241

Vinum ὕδωρ ἐν ξύλῳ σαπὲν *Empedocli* 44. potantium moribus ſe applicat 69. & 157. corruptum mor-

V.

tiferum, febres malignas accendit: eo poto plures monachi mortui 124
Vinum potens qua ratione purpuram excitet *ibid.* omnibus venenis contrarium, atq; ob id in nobiliſſimas antidotos receptum 299
Vini albi, tenuis, nigri, auſteri, dulcis, gilvi, helenitis vires *ibid.*
Vinum *Luſitanicum* rubrum ſcorbuticis noxium, auſterum circa præcordia moratur *ibid.* nigrum οἶνον αἴθοπα quare *Homerus* vocaverit *ibid.*
Vinum ſalutare in hæmorrhagia 493 cardiacis utile 508. reficiendis viribus unice confert *ibid.* & 444
Vinum purpuratis in potu maximè pernicioſum 548. in declinatione tutius datur *ibid.*
Vino caute utendum 445. eo irrorata buccella fervorem vini in venas minus traducit *ibid.*
Viperinæ carnes cur mithridatio additæ 359. innoxiè comeduntur 360. & *ſeq.* leproſos juvant *ibid.*
Viperæ vino iniectæ eosdem reſtituunt *ibid.*
Viperina pinguedo venenis adverſa 366
Vipera demorſis purgationes funeſtæ 407
Virium debilitas ſignum malignitatis purpuræ 164. & *ſeq* facultatis diſſolutione nata 165. 446. quibus tollatur 547. 443. 445.
Vires in purpuratis aliquando fortiores apparent 166. ab exacta purpura debiles 227. in purpura integræ ſervandæ 443. non ſemper inſtaurandæ *ibid.*

X. Y. Z.

Viſcera *Hippocrati* quid ſignificent 486
Vita & ſors humana in manu *Dei* poſita 116
Vitrioli ſpiritus opium corrigit 471
Vlcera diuturna tempore peſtis non ſananda 202
Ulyſſes Aldrovandus ſummus naturæ animalium interpres 279
Vnguenta venenũ foras trahentia 365
Vnguenti mercurialis in febribus peſtilentibus uſus *ibid.*
Vnguentorum antitoxicorũ mira vis 367
Vox acuta & clangoſa in purpura 179. vocem acutam qui populi habeant *ibid.*
Volucrum caro cujus nutrimenti 268
Vomitus purpuratorum 186. quibus ſedetur
Vomitoria in purpura leviora eſſe debent 317. 412
Vrinæ cur in febricitantibus & ſcorbuticis rubeant 122. in purpura variæ 199. interdum copioſæ, interdum paucæ minguntur aut ſupprimuntur 200. & *ſeq.* crudæ, aquoſæ, craſſæ, turbidæ, rubræ, quid ſignificent 201. viridis, lividæ, nigræ cauſſa 202
Vrina nigra aliquando ſalutariter effunditur *ibid.*
Vrinæ pingues, ſpumoſæ colliquantes *ib.*
Vrinarij ductus commodiſſimi ex purgandæ continuarum febrium materiæ 429
Vrinam in purpuratis quæ cieant *ibid.*
Vrogallus *Ulyſſi Aldrovandi* Birckhan unde dicatur 216

X.

Enophon de animi humani divinitate 24
Xenocrates de teſtaceis 219

Z.

Acuti pro contagij putredine argumentum 52. & *ſeq.*
Zelotypus ab uxore mœcha veneno potionatus, porrecto deſuper argento vivo, quò mors inde acceleraretur, ab eadem curatur 116

FINIS.

Errores humanâ incuriâ commiſſi ſic corrigendi

PAg:3.lin:22. lege varij coloris.P.12.l,29. reperiri.16.4. καύσου l 16. verſicoloribus. 19.16. videntur.23.12. quandā.24.7.θείου. l.13.dependent.27.10.abripiant.28.15. χαλεπώτερον. 41.30. innatum. 44. 20. ἀέρος 47.8. declinatio. lin 27. erupere. 49. 23. pro erva leg: æra. 50. 15. σηπεδονώδη.57.29.deliteſcentibus.60.lin:ult:pro uſto.juſto 62.32. tantopere.65.2.pro virtus l.virus.67.2.ἀέρα διεφθαρμένον.69.l.ult: eademq; 70.4.πολυμόρφῳ 74.14.non tam.78.17.venere.80.27.ſubjectorū 82.1. pro cum l. tenuis. lin:5.marceſcit.10. hidropyretum.84.7.excogites l: 27.ſimiles eſſe. 85. 28. ita & 86. 10, λοιμώδει. 87. 12. tranſierit. 88. 26. licet. 90. 29. ἔξωθεν. 91. 26. ἀθρόως. 95. 11. inficit. 96. 20. ſolidas. 98. 9. lædit. 101. 8. μισάνδροι. 11. incolumem. 104. 3. δεξιᾶς. 105. 19. pro de l. die. 23. medicam. 109. 4. notatæ: vel quod 110. 29. conſimile. 112. 7. incommoda. 115. 16. ex aſtris. 116. 17. leg: 139. lin: 24. ſtupuerunt. 118. 8. ἀπολοῦντος.122. 25. cinnabrii 123 2.portendent. lin:30. φαύλη. 124. 20. debilibus viribus. 126. 28. μετὰ λιμοῦ λοιμός. 127. 18. προβολῇ lin 30. illæ. 132. 2. vomentem lin: 22. impreſſione. 140. 3. quarum. 140. 12. dependent 142. 12. rint. 144. 27. corripiunt. 146. 23. morbos lin: 26. πταρμοῦ. 153. 24. pro ut lege ac lin: 29. intolerabili 154. 12. relinquant 167. lin. 19. conetur. 170. 12. eſſet. 171. 34. ὄν. 179. 3. Inluſtris Nobiliſſimique. 193. 20. exiſtit 194. 8. ſint. 195. 12. crudos multos. 197. l. 5. correpti. 198. 22 & 32. θηριώδεις. 204. 11. inveteraverit. lin: 32. reddit. 209. 9. ſed lin: 16. effundat. 210. 29. κεγχρώδεσι. 214. 31. languorem. 218. 26. depaſcant. 219. 23. corrumpunt. 229. 22. arceſſenda. 231. 21. mederi volet. 23. pro decet. l. debet. 232. 9. nec feſel: lin: 5. carina. lin: 32. ſoluuntur. 233. 27. dicta. 236. 11. pro dum l. atq;. 236. 21. inconſtantes graſſatas. 242. 30. certus. 244. 27 auferre. 247. 14. πυρολέχοντο. 249. 11. ſylvâque urbi proxima accenſa. 261. 2. ἐδεσμάτων 263. 23. unda. 265. 21. vitiis. 266. 24. pro de l. die. 271. 18. authoritate. 273. 8. Sol. 277. 29. carne. 279. 4. pro qui enim leg: quæ vero lin. 24. verbera. 287. 1. æquoreum. 288. 10. quaquam. 289. 14. Salmonis. 290. 27 aliàs 293. 1. ſit. 293. 16. auxiliari ſcribit. 300. 6. εἶναι 301. 33. in aere. 308. 15. pro ſubjungam.

ſungam l. laudantur. *lin;* 16. Archidoxis. *310. 29.* inebriatis. *314. 27.*
qualitatis *lin: 34.* intus. *320 24. pro* ℈j. *lege* ʒj. *327. 16.* Galenum. *330. 12.*
in inſidiis, *333. 10.* ἀλεξυλήριον. *334. 15.* καθάπερ. *345. 29.* quoque. *336.*
16. oboriri. *338. 22.* loco. *344. lin: ult:* c: 12. *325. 23.* vel *dele. 347. 30.*
petere. *349. 20* coercer. *350. 24* infectis. *352. 31* buccellæ. *357. 7.* ſecu-
tus. *359. 3.* herbā. *360. 8.* quantitate. *365. 27.* videri. *367. 26.* cordis. *l. 26.*
emunctoriis. *373. 14.* ſe *dele. 381. 25,* ſanguis. *388. lin: antepen:* incipi-
endam. *390. 20.* alia. *lin: 32.* domari. *392. 21.* vires *dele 395. 32.* earum
396. 1. ac locus. *398. 29. pro.* & *leg.* ob. *399. 3.* eorum. *lin: 22.* Alii. *400.*
31 ægrotorum. *404. 6. pro* teſtatur *leg:* ſolent. *405 25.* ſæpe *dele 409. 4.*
gica. *413. 21.* ſymptona. *414. 4.* pura morboſo apparatu genita. *l. 31.*
eligantur. *416. 28,* Johanni Thomæ. *419. 5.* ſuas. *lin. 14.* indelebilis
421. 25. campan:q. *l. 423* 9. ac paucis *425. 31.* permiſcerur. *426. 9.* tepo-
re. *lin: 15.* evacuant, is *428. 5.* habeant. *429. 13.* urinarios. *lin: 21.* lau-
dantur 430. *26.* affectuum. *431. 12.* calor. is. *439. 33.* inexpleta. *443. 20.*
novi ac *444 33.* caloris gratia. *446. 23.* addantur. *448.* σκαλιοδρομῆς.
449. 7. evanida fore. *452. 21,* analogo calore. *456.* 7. ſcripſerit.
456. 18. vigilias. *457. 25. pro* quibus *leg:* cui. *464. 23.* virulentorum. *468.*
2. pravis *470. 11. extremarum. 475. 3.* intermit: *478. 12.* ac penetran-
tiſſima virtute. *481. 11.* catochen. *487. 3.* conſtitutio *491. 26.* eorum.
492. 26. hæmatites. *494. 4.* ſilveſtrium. *505. 11.* ſuccumbat. *495* Ma-
rius *496. 13.* berberes. *l: 25.* purpurati. *506. 2.* animo linquantur. *lin: 15.*
infeſtos *510. 18.* permixtione alterari. *509. 1.* ὀνδέκατον *4.* balſami. *511.*
28. paris. *114. 3.* mirabili. *518. 2.* vaporum. *524. 13.* quia. *525. 2.* conſimi-
li *lin: 6.* commendo. *528. 2.* periodum *533. 31. pro* ad *leg: ac. 544. 31* co-
gamur. *546. 17. pro* heu *l.* neu *lin: penult:* ſeu cobitides. *547. 33.* Qui
cum. 548. 5. cibis. *551. 13.* deliciis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Praeterita magis culpari, quam emendari possunt. fol. 225. c. 18.

Exempla particularia in contemplationem cadunt. fol. 363

Ita est humani [illegible] imbecillitate comparandum est ut postquam ... [illegible] tarij tramite deflectimus, postea ad omnes aliaa magis, magisque adducamur ... [illegible] ... cap. 6°. fol. 381. —

Nullus parens [illegible] est bonus. fol. 397.

[illegible]

Digitized by Google

565

[illegible]
[illegible]
Thomas [illegible]
[illegible] de febre [illegible]
Nicolaus Massa
[illegible]
[illegible] ergo
[illegible] observationes medicae [illegible] fol. [illegible]
[illegible] Saxonia
Ludovicus [illegible]
Daniel Sennertus
Balthasar [illegible]
Nicolaus Tulpius observationes
[illegible] de [illegible]
[illegible] de [illegible]
[illegible] de [illegible] purpura [illegible]
[illegible] de [illegible] Epidemicis
[illegible] de morbo Ungarico
[illegible] de febre
[illegible] de [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] de [illegible]

Thuanus
Balthasar Conrad
Cornelius Gemma de [illegible] Anglico

A. PANDIMIGLIO
RESTAURO
DI
LIBRI - ROMA